This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

A 778,227


1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

3. J, 2, 4.
878
1.5
L54
V. 8

T. LIVII PATAVINI

QUÆ EXSTANT

OMNIA OPERA

EXCUDEBAT FIRMINUS DIDOT,

REGIS ET GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

22J-90

TITUS LIVIUS
PATAVINUS

AD CODICES PARISINOS RECENSITUS

CUM VARIETATE LECTIONUM

ET SELECTIS COMMENTARIIS

ITEM SUPPLEMENTA J. FREINSHEMII

CURANTE

N. E. LEMAIRE

VOLUMEN OCTAVUM



PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXIV

878
L5
.L54
V.8

T. LIVII PATAVINI
HISTORIARUM
AB URBE CONDITA
LIBER XLII.

BREVIARIUM.

Cap. I; L. Postumio Albino et M. Popillio Lænati coss. Liguria decernitur, et prætores sortiuntur cæteras provincias. Prius vero quam magistratus proficiscantur, senatui placet, L. Postumium cos. ad agrum publicum a privato terminandum in Campaniam ire; isque, iratus Prænestinis, literas iis præmittit, ut sibi magistratus obviam exeant, et deversorium jumentaque publice parent. — II; Legati, in Ætoliam et Macedoniam missi, redeunt: et prodigia expiantur sacrificiis ac supplicatione. — III; Tegulæ marmoreæ, quibus Q. Fulvius Flaccus censor ædem Junonis Laciniæ in Bruttiis spoliaverat, ut iis ornaret ædem Fortunæ Equestris, a se olim votam, ex SCto reportantur, piaculariaque Junoni fiunt. — IV; P. Furio ob mortem successoris prorogatur imperium in citeriore Hispania: et ager Ligustinus Gallicusque, bello captus, a decemviris, in eam rem creatis, viritim dividitur. — V; Græcorum animi magis in favorem Persei, quam Eumenis, inclinant: et intestinæ Thessalorum Ætolorumque discordiæ per Ap. Claudium et Marcellum componuntur. — VI; Legati romani ad Persea et Ptolemæum mittuntur; et per idem tempus Eumenes legatique Antiochi Romam veniunt. — VII; C. Cicereius prætor Corsicam subigit; et M. Popillius consul Statiellatibus bellum infert, qui uni ex Ligurum gente non tulerant arma adversus Romanos. — VIII; Eosdem devictos deditosque in fidem pop. rom. sub corona vendit: sed in libertatem eos restituere et decedere de provincia jubetur. — IX; Hinc iratus Patribus Romam, et inde in provinciam redit. Con-

sules prætoresque creantur. — X; Concors censura Q. Fulvii Flacci et A. Postumii Albini. Dedicatio ædis Fortunæ Equestris, a Q. Fulvio votæ. Locustarum nubes in Apulia. Contentiones Patrum consulumque de libertate Ligurum. Provinciæ consulibus prætoribusque decretæ. — XI - XIII; Eumenes Romam venit, et defert de Perseo crimina. — XIV; Invisa senatui est ferocia Harpali, a Perseo missi, et Satyri, Rhodiorum legati, intemperantius in Eumenem invehentis. — XV; Perseus, bellum et optans et ab Eumenis sanguine ordiens, ad cædem ejus subornat Evandrum Cretensem et tres Macedones, qui regem, Delphos ascendentem, lapidibus obruunt. — XVI; Eumenes vulnere sopitus a Pantaleonte aliisque amicis navi Corinthum et inde in Æginam defertur; et falsæ de morte ejus famæ, in Asiam perlatæ, Attalus celerius, quam dignum concordia fraterna est, fidem habet. — XVII; Indices sceleris, Praxo mulier, cujus domus Delphis receptaculum latronum fuerat, et L. Rammius Brundisinus, qui ab ipso Perseo venenum acceperat, quo duces legatosque romanos, hospitio ipsius uti assuetos, necaret, a C. Valerio legato, ex Græcia redeunte, Romam adducuntur. — XVIII; Itaque et Romani et Eumenes summa vi parant bellum. Simul supplementum scribitur legionibus in Hispaniis, eoque cum prætoribus novis portatur. — XIX; Magna pars agri Campani, a privatis possessa et in publicum recuperata, a censoribus fruenda locatur. Ariarathes educandum filium Romam mittit: quo et Thracum legati veniunt, societatem petentes. Contra Romani legatos mittunt in Asiam et insulas. — XX; Columna rostrata, in Capitolio olim a M. Æmilio cos. posita, fulmine discutitur, idque prodigium una cum aliis procuratur. — XXI; C. Cicereius de Corsis in monte Albano triumphat. Rogatio de Statiellatibus deditis, quibus M. Popillius iterum contra jus ac fas bellum intulerat, in libertatem restituendis a M. et Q. Marciis tribunis pl. promulgatur et perfertur. — XXII; Tum demum consules, C. Popillius Lænas et P. Ælius Ligur, in Liguriam provinciam proficiscuntur, et M. Popillius causam dicit apud C. Licinium prætorem, qui tamen damnationem ejus arte fallaci eludit. — XXIII, XXIV; Magnæ contentiones inter legatos carthaginienses et Gulussam, filium Masinissæ, a senatu romano dirimuntur. — XXV; Legati, ad res repetendas in Macedoniam missi, referunt, quæ viderint, quæque audierint. — XXVI; Legationes Gentii, Illyriorum regis, et Issensium, qui

eum senatui suspectum fecerant, et Romanorum, tum ad Gentium proficiscentium, tum circa socios reges in Asiam missorum, et Rhodiorum. — XXVII; Ingens belli Macedonici apparatus. — XXVIII; Serus C. Popillii cos. reditus. Comitia consularia et prætoria. Vota populi romani solennia. Mors L. Æmilii Papi decemviri sacrorum, et Q. Fulvii Flacci pont., qui suspendio vitam finierat. — XXIX; Sententiæ regum de imminente bello, Eumenis, Prusiæ, Ariarathis, Antiochi, Ptolemæi, Masinissæ, Gentii, Cotyis. — XXX; In liberis gentibus populisque plebs omnis ferme in Persen inclinata; at diversa principum studia. Litatio consulum. Rogatio de bello Macedonibus inferendo a Patribus ad populum lata. — XXXI; Provinciæ Macedoniæ illud præcipuum datur, ut augeatur militum numerus in legionibus, ut et centuriones militesque veteres scribantur, utque tribuni militum eo anno non suffragiis populi creentur, sed consulum prætorumque arbitrio fiant. Imperia inter prætores partita et sortitio provinciarum. — XXXII; Consulibus sortientibus P. Licinio Crasso Macedonia, C. Cassio Longino Italia obvenit. Ille veteres quoque scribit et milites et centuriones: horum vero tres et viginti, qui primos duxerant pilos, a tribunis militum citati tribunos plebis appellant. — XXXIII; Ea res in concione agitur, et M. Popillius verba facit pro centurionibus. — XXXIV; At Sp. Ligustinus ex eorum numero profitetur, se ad delectum obedienter responsurum. — XXXV; Ejus exemplum sequuntur cæteri centuriones. Tum quatuor legiones scribuntur urbanæ; et Licinio cos. petenti adduntur auxilia, a Masinissa, Pœnis et Cretensibus petenda. — XXXVI; Legati a Perseo missi jubentur Italia excedere; et pars exercitus rom. trajicitur in Epirum. — XXXVII, XXXVIII; Romanorum legati Illyricum Græcorumque civitates adeunt. — XXXIX-XLII; Iidem colloquium dant Perseo petenti; — XLIII; et, ne bellum jam incipiat, ad quod omnia habet præparata, auctores ei sunt legationis antea Romam mittendæ. Tum in Bœotiam, ubi varii sunt motus, — XLIV; et in Peloponnesum proficiscuntur. — XLV; Alia Romanorum legatio circumit insulas et civitates Asiæ. — XLVI; Rhodiorum Bœotorumque animos frustra sollicitat Perseus. — XLVII; Q. Marcius et A. Atilius, Romam reversi, nulla re magis gloriantur, quam decepto per inducias et spem pacis rege. Quæ nova sapientia etsi displicet senioribus Patrum, a majore tamen senatus parte comprobatur, et Marcius

iterum in Græciam mittitur, simulque A. Atilius ad occupandam Larissam, caput Thessaliæ. — XLVIII; Legati Persei Romæ non iis audiuntur animis, qui aut doceri, aut flecti possint. C. Lucretius prætor cum classe, — XLIX; et P. Licinius consul paludatus ab Urbe proficiscitur, prosequentibus omnium ordinum hominibus. — L; Perseus Pellæ consilium habet; — LI; et Citium copias omnes contrahit, XLIII millia hominum. — LII; Ad bellum cohortatur milites, per omnem orationem satis frequenti assensu succlamantes. — LIII; Civitatibus Macedoniæ, pecunias et frumentum pollicentibus, vehicula tantum imperat; et, in Thessaliam profectus, — LIV; multa capit oppida. — LV; Per eosdem dies consul romanus, ex Epiro in Athamaniam transgressus, Gomphos et inde Larissam pervenit, nec longe a Tripoli Thessaliæ super Peneum amnem ponit castra; quo mox Eumenis et Græcorum auxilia conveniunt. — LVI; C. Lucretius et Q. Marcius cum classibus Chalcidem petunt, et M. Lucretius, frater prætoris, Haliartum Bœotiæ opp. obsidet. Interea Perseus, qui ad Sycurium sub radicibus Ossæ montis stativa habet, agros Pheræorum vastat, — LVII; et inde ad castra consulis romani admovet copias. Equestre prælium incerta finitur victoria, et per aliquot dies rex frustra Romanos ad certamen elicere conatur. — LVIII; Tandem acies utrimque instruitur; — LIX; et victor equestri pugna Perseus, auctore Evandro, receptui cani jubet, victoria uti nesciens. — LX; Consul trans Peneum transfert castra, ut perculsi milites animos colligant. — LXI; Rex suos, lætitia exsultantes, pro concione laudat donatque virtutis causa. — LXII; Suadentibus deinde amicis, ut secunda fortuna in conditione honestæ pacis utatur, bis legatos ad consulem mittit, sed superbum ab eo fert responsum. — LXIII; Fama rei bene a Perseo gestæ nudat voluntates Græcorum. Lucretius autem prætor in Bœotia Haliartum vi captam diruit, et Thebas, sine certamine receptas, exsulibus hominibusque romanæ factionis tradit. — LXIV; Perseus nequidquam conatur castra incendere Romanorum, et hi ea, demessis circa segetibus, ex aliis agris in alios movent. — LXV; In Phalannæo agro DC frumentatores capiuntur, et proximum circumsidetur præsidium. Multis jam, cestrosphendones maxime ictu, vulneratis consul auxilio venit. — LXVI; Extemplo conseritur prælium, et Macedones fugantur. — LXVII; Inde Perseus, præsidio satis valido ad Gonnum et Timotheo

cum modica manu ad Philam relicto, in Macedoniam, et Cotys ad sua tuenda in Thraciam redit. Consul, auxiliis fere omnibus dimissis, partem exercitus in hiberna per Thessaliam distribuit, cum parte Pteleum, Antrona et Larissam expugnat, et, a Thebanis arcessitus, in Bœotiam proficiscitur.

I. L. Postumius Albinus, M. Popillius Lænas quum omnium primum de provinciis exercitibusque ad senatum retulissent, Ligures utrique decreti sunt; ut novas[1] ambo, quibus eam provinciam obtinerent, legiones (binæ singulis decretæ), et socium latini nominis dena millia peditum et sexcenos equites, et supplementum Hispaniæ[2] tria millia peditum romanorum scriberent et ducentos equites. Ad hoc mille et quingenti pedites romani cum centum equitibus scribi jussi; cum quibus prætor, cui Sardinia obtigisset, in Corsicam transgressus bellum gereret; interim M. Atilius, vetus prætor, provinciam obtineret Sardiniam. Prætores deinde provincias sortiti sunt, A. Atilius Serranus urbanam, C. Cluvius Saxula inter cives et peregrinos, N. Fabius Buteo Hispaniam citeriorem, M. Matienus ulteriorem, M. Furius Crassipes Siciliam, C. Cicereius Sardiniam. Prius quam magistratus proficiscerentur, senatui placuit, L. Postumium consulem ad agrum publicum a privato[3] terminandum in Campaniam ire; cujus ingentem modum possidere privatos, paulatim proferendo fines, constabat. Hic, iratus Prænestinis, quod, quum eo privatus sacrificii

Cap. I. 1. *Ligures utrique decreti sunt; ut novas*, etc. forte leg. *et* (sc. decretum est) *ut novas*, etc.

2. *Supplementum Hispaniæ;* solet alias dicere *in Hispaniam:* unde τὸ *Hispaniæ* accipiendum dandi casu; Gron. — *M. Atilius, vetus prætor*, qui proprætor anno superiori fuerat; Ernest.

3. *Ad agrum publicum a privato terminandum*, terminis disjungendum. — *Quum eo* (Præneste) *privatus... in templo Fortunæ*, etc. vid. XXIII, 19, n. 13.

in templo Fortunæ faciundi causa profectus esset, nihil in se honorifice, neque publice, neque privatim, factum a Prænestinis esset, prius quam ab Roma proficisceretur, literas Præneste misit, ut[4] sibi magistratus obviam exiret, locum publice pararet, ubi deverteretur, jumentaque, quum exiret inde, præsto essent. Ante hunc consulem nemo unquam sociis in ulla re oneri aut sumptui fuit[5]. Ideo magistratus mulis tabernaculisque et omni alio instrumento militari ornabantur[6], ne quid tale imperarent sociis. Privata hospitia habebant; ea benigne comiterque colebant: domusque eorum Romæ hospitibus patebant, apud quos

4. *Literas Præneste misit, ut*, etc. vide ad VIII, 19, n. 10. — *Ut sibi obviam exiret magistratus*, sc. summus Prænestinorum, ut *magistratus Lanuvinus*, XLI, 16 pr. Præneste municipium erat (vid. Fest. voc. *municipium*, et Flor. III, 21, § 27), in quo unus summum magistratum videtur gessisse, ut Tusculi L. Mamilius dictator et Lanuvii Milo dictator; Duk. Conf. ad I, 23, n. 3. — *Locum publice pararet* (vide ad XLI, 20, n. 5), *ubi deverteretur:* ita scribendum, et mox *deverti*, pro vulg. *diverti;* vide ad I, 51, n. 2.

5. *Ante hunc consulem nemo sociis in ulla re oneri aut sumptui fuit*, etc. immemor videri potest Livius eorum, quæ dixit XXXII, 27, de Catone prætore Sardiniæ: *fugati ex insula feneratores, et sumptus, quos in cultum prætorum socii facere soliti erant, circumcisi.* Vid. Sig. II de Ant. Jur. Prov. Sed agitur h. l. de magistratibus rom. in provincias vel legationis causa peregre proficiscentibus. Legatis solebant ædes liberæ, lautia, etc. dari (vide ad XXX, 17, n. 4 et 5), magistratibus autem provincialibus decerni sumptus itineris, muli, vehicula, ligna, sal aliaque instrumenta ad iter necessaria, quæ ad *ornatum provinciarum* spectabant (vide ad IX, 40, n. 12); et magistratibus, ne sociis molesti essent, præbenda erant a redemptoribus (*parochis*, παρόχοις, seu *præbitoribus*, germ. *Lieferanten*), qui ea publice locaverant. Postea magistratus ab ipsis provincialibus plurima exegerunt: unde modus eorum præscriptus est, et pecunia tandem ab Augusto pro omnibus his constituta; vid. Intpp. Horat. Sat. I, 5, v. 46; Suet. Aug. 36; Lamprid. 42; Burm. de Vectigal. cap. 6, pag. 73; Ernesti Clav. Cic. voc. *parochus*, *præbitor* et *vectigal*.

6. *Magistratus mulis tabernaculisque... ornabantur;* conf. Gell. XV, 4; Suet. Aug. 36; Cic. Agrar. II, 13; Lamprid. Sever. 42. — *Omni alio instrumento militari ornabantur;* vide ad IX, 40, n. 12. Sed τὸ *militari* h. l. non satis aptum. Forte leg. *itineris*, aut *mox ituri*. — *Ea benigne c. colebant* hospitia, proprie hospites.

ipsis deverti mos esset. Legati, qui repente aliquo mitterentur, singula jumenta per oppida[7], iter qua faciundum erat, imperabant: aliam impensam socii in magistratus romanos non faciebant. Injuria consulis, etiamsi justa, non tamen in magistratu exercenda, et silentium nimis aut modestum, aut timidum Prænestinorum, jus, velut probato exemplo, magistratibus fecit graviorum in dies talis generis imperiorum.

II. Principio hujus anni legati, qui in Ætoliam et Macedoniam missi erant, renuntiarunt, *sibi conveniendi regis Persei, quum alii abesse eum, alii ægrum esse, falso utrumque, fingerent, potestatem non factam. Facile tamen apparuisse sibi, bellum parari, nec ultra ad arma ire dilaturum. Item in Ætolia seditionem gliscere in dies, neque discordiarum principes auctoritate sua coerceri potuisse.* Quum bellum Macedonicum in exspectatione esset, prius quam id susciperetur, prodigia expiari pacemque deum peti precationibus, quæ editæ ex fatalibus libris[1] essent, placuit. Lanuvii classis magnæ species in cælo visæ

7. *Singula jumenta per oppida*, etc. conf. Spanhem. de usu et pr. num. Diss. XIII, pag. 562, qui hinc originem cursus publici vehicularis repetit. — *Injuria consulis*, etc. cum Schelio (Diss. ad Polyb. cap. 5, pag. 1211) forte leg. *Ira consulis..... exercenda* fuit, *et silentium*, etc. vel *In ira c. exercenda silentium*, etc. — *Exercere iram*, ut *exercere victoriam*, VI, 22, n. 1, et *exercere inimicitiam*, de quo vide Cortium ad Sallust. Cat. cap. 49, n. 2. Ed.

Cap. II. 1. *Prodigia expiari* (vide ad I, 20, n. 11), *pacemque deorum peti* (vide ad I, 16, n. 4) *precationibus, quæ editæ ex fatalibus libris essent;* vide ad I, 18, n. 2; III, 10, n. 6, et XLI, 21, n. 8. — Malit hic Gronovius, *qui editi*, sc. dii, *ex fatalibus*, etc. Decemviros quidem ex libris Sibyllinis edidisse deos, quibus sacrificaretur, satis constat ex Livii XXI, 61; XL, 45, et alibi. Eosdem tamen ex libris fatalibus etiam precationes edidisse, et in votis concipiendis verba præivisse, indicat non semel Liv. præsertim jam laudato lib. XLI, cap. 21. Ob hanc igitur causam servandum vulgatum putat Drak., præeunte Creverio, qui urget verba finalia hujus capitis, *sacrificatum est, ut decemviri scriptum ediderunt.* Cæterum, si admittatur Gron. emendatio, quo referas vocem *precationibus*, ad quam omnino spectarent verba sequen-

dicebantur; et Priverni lana pulla[2] terra enata; et in Veienti apud Rementem lapidatum; Pomptinum omne velut nubibus locustarum coopertum esse; in Gallico agro, qua induceretur aratrum, sub exsistentibus glebis pisces emersisse[3]. Ob hæc prodigia libri fatales inspecti, editumque ab decemviris[4] est, et quibus diis quibusque hostiis sacrificaretur, et ut supplicatio prodigiis expiandis fieret; altera, quæ priore anno valetudinis populi causa vota esset, ea uti feriæque essent. Itaque sacrificatum est, ut decemviri scriptum ediderunt.

tia? tum profecto suffecisset *pacem deum peti.* Ed.

2. *Lanuvii classis magnæ species in cælo visæ dicebantur, et Priverni lana pulla*, etc. vide ad I, 31, n. 1, et XXI, 62, n. 1. *Visæ* forsan sæpius, aut leg. *visa dicebatur;* Gronov. Id probat Periz. qui monet, *hominum* quidem et *navium species visas* memorari XXIV, 10 et 44; sed voci *species* illis locis nomen plurale *navium*, nostro singulare *classis* jungi, adeoque ibi species plurium navium indicari, h. l. unius classis plures species, aut unam classem sæpius visam. — *Rementem:* locusne fuerit in Veienti agro *Remens*, an Livius scripserit *Cremeram*, dubium esse dicit Cluver. Ital. Ant. II, 3, pag. 537. — Doujatius suspicatur, tractum aut locum quemdam agri Veientis consecratum fuisse memoriæ *Remi*, fratris Romuli, et inde *Rementem* appellatum esse, ut Romæ *Remuriam;* ita a Lauris agrum *Laurentem*, et populum Laurentes dictum esse. Se vero non Doujatii etymologiam probare ait Drak. Unde enim ex nomine Remi Albani, adeoque Latini, nomen nactus erit locus in Veienti? Ed.

3. *In Gallico agro, qua* parte *induceretur aratrum, sub exsistentibus glebis* (vide ad XXV, 21, n. 3) *pisces emersisse;* quod inter mira quoque prodigia refert Juven. XIII, 65. Pisces hos fuisse fossiles seu subterraneos et terrenos, τοὺς ὀρυκτοὺς ἰχθύας, gobios, siluros, carpiones, cobitides, multi scriptores, et veteres et recentiores, docent; vid. Voss. ad Mel. II, 4; Ruhkopf. ad Senec. Nat. Quæst. III, 17, 19; Hard. ad Plin. IX, 57 seu 83; Casaub. ad Strab. IV, p. 182, et XII, pag. 562 seq. Heyn. Opusc. Acad. t. III, pag. 264; Beckman. ad Aristot. de Mirab. Auscult. cap. 74 sq. Schneideri Hist. Pisc. pag. 327; Schweigh. ad Athen. VIII, 2 et 4, ad Polyb. XXXIV, 10, § 4, t. VIII, pag. 118; Dausqu. de Terra et Aqua, cap. 9, p. 185 seq. Miraculum contra profectum esse a stupore rustici hominis, qui lumbricos, seu ranas, seu anguillas, seu serpentes pro piscibus habuerit, suspicatur Steger de Prodigiis, pag. 167.

4. *Editum ab decemviris;* vide ad I, 18, n. 2; III, 10, n. 6. — *Altera, quæ priore anno*, etc. conf. ad XLI, 21.

III. Eodem anno ædis Junonis Laciniæ[1] detecta. Q. Fulvius Flaccus censor ædem Fortunæ[2] Equestris, quam in Hispania prætor bello Celtiberico voverat, faciebat eniso studio, ne ullum Romæ amplius aut magnificentius templum esset. Magnum ornamentum se templo ratus adjecturum, si tegulæ marmoreæ[3] essent, profectus in Bruttios, ædem Junonis Laciniæ ad partem dimidiam detegit; id satis fore ratus ad tegendum, quod ædificaretur. Naves paratæ fuerunt, quæ tollerent atque absportarent, auctoritate censoria sociis deterritis id sacrilegium prohibere. Postquam censor rediit, tegulæ, expositæ de navibus, ad templum portabantur. Quanquam, unde essent, silebatur, non tamen celari potuit. Fremitus igitur in curia ortus est: ex omnibus partibus postulabatur, ut consules eam rem ad senatum referrent. Ut vero arcessitus in curiam censor venit, multo infestius singuli universique præsentem lacerare: *Templum augustissimum regionis ejus, quod non Pyrrhus, non Hannibal violassent, violare parum habuisse, nisi detexisset fœde, ac prope diruisset. Detractum culmen templo, nudatum tectum patere imbribus*[4] *putrefaciendum. Censorem, moribus regendis creatum, cui sarta tecta exigere sacris publicis et loca tuenda*[5] *more majorum traditum esset,*

Cap. III. 1. *Ædis Junonis Laciniæ* in Bruttiis (vide ad XXIV, 3, n. 3) *detecta*, tecto et quidem tegulis marmoreis privata fuit a Fulvio censore. Conf. seqq.

2. *Ædem Fortunæ Equestris*, etc. vide ad XL, 40, n. 7.

3. *Tegulæ marmoreæ;* tegulæ argenteæ, κεραμίδες ἀργυραῖ, fuere Ecbatanis in Medorum regia; vid. Polyb. X, 27, § 10 et 2. — *Id satis fore ratus ad tegendum* tegulis (vide ad XXVII, 36, n. 4) templum Fortunæ Equestris, *quod ædificaretur* a se.

4. *Nudatum tectum patere imbribus*, malim *nudatum tecto*, scil. templum, ut XXVII, 4, et XLV, 28: nam tectum semper patet imbribus, et imponitur ædificiis ad arcendas pluvias, ne iis putrescant, quæ sub tecto sunt; Duk. *Nudatum* tegulis *tectum* est lignum, cui tegulæ imponuntur, quod *putrefaciendum* declarat; Ern.

5. *Censorem, cui sarta tecta exigere*

eum per sociorum urbes, diruentem templa nudantemque tecta ædium sacrarum, vagari, et, quod, si in privatis sociorum ædificiis faceret, indignum videri posset, id deum immortalium templa demolientem facere; et obstringere religione populum[6] *romanum, ruinis templorum templa ædificantem; tanquam non iidem ubique dii immortales sint, sed spoliis aliorum alii colendi exornandique.* Quum, prius quam referretur, appareret, quid sentirent Patres, relatione facta, in unam omnes sententiam ierunt[7], ut hæ tegulæ reportandæ in templum locarentur, piaculariaque Junoni fierent. Quæ ad religionem pertinent, cum cura facta: tegulas relictas in area templi, quia reponendarum nemo artifex inire rationem potuerit, redemptores nuntiarunt[8].

IV. Ex prætoribus, qui in provincias ierant, N. Fabius Massiliæ moritur, quum in citeriorem Hispaniam

sacris publicis, et loca tuenda, etc. vide ad VI, 4, n. 4. « *Sacris publicis* potest esse casus tertius, pro ad sacra publica, i. e. ut in iis sacra publica fieri possint. Non scio tamen, alios de sartis tectis ædium sacrarum ita loqui, aut *loca* tum simpl. dicere pro locis publicis, quorum tutela ad curam censorum pertinebat. Adde quod nonnihil scabri in hoc sermone est, *cui sarta tecta exigere et loca tuenda traditum esset;* etsi non omnino dissimilia sunt, quæ XXVI, 32, et XXVII, 5 leguntur. Livius fortassis aliquid de sartis tectis *ædium sacrarum* et *locorum publicorum* scripserat, ut Cic. ad Div. XIII, 11, *sarta tecta ædium sacrarum locorumque communium tueri* ». Duker. Forte leg. *cui sarta tecta exigere sacris*, sc. locis (ex seqq. de quo vide ad XXI, 43, n. 4), *publica et loca tuenda* vel potius *tueri traditum esset.* — Verba *loca tuenda* non ad *traditum esset*, sed ad *exigere* refert Doering. et jungit: *cui sarta tecta sacris publicis et loca tuenda exigere traditum esset.* Sic res bene se habere videtur. Ed. — Pronomen *eum*, quod superfluum videri possit, nam vox *censorem* præcedit, hanc vim habere notat Doering., ut sit pro *talem*, h. e. cui templorum cura demandata sit. Ed. — *Deum immortalium templa;* vox *templa* exsulat ab editionibus ante Cur., ut ad voces *deum immortalium* ex præcedenti repetendum sit *ædificia;* Drakenb.

6. *Obstringere religione pop. rom.* vide ad V, 23, n. 8.

7. *In unam sententiam ierunt;* vid. I, 32, n. 13.

8. *Redemptores nuntiarunt;* vide ad V, 23, n. 6.

iret. Itaque, quum id nuntiatum a Massiliensibus legatis esset, senatus decrevit, ut P. Furius et Cn. Servilius, quibus succedebatur, inter se sortirentur[1], uter citeriorem Hispaniam prorogato imperio obtineret. Sors opportuna fuit[2]; P. Furius idem, cujus ea provincia fuerat, remaneret. Eodem anno, quum agri Ligustini et Gallici, quod bello captum erat, aliquantum vacaret, senatusconsultum factum, ut is ager viritim divideretur. Decemviros in eam rem ex senatusconsulto creavit A. Atilius prætor urbanus, M. Æmilium Lepidum, C. Cassium, T. Æbutium Carum, C. Tremellium, P. Cornelium Cethegum, Q. et L. Appuleios, M. Cæcilium, C. Salonium, C. Munatium. Diviserunt dena jugera in singulos, sociis nominis latini terna. Per idem tempus, quo hæc agebantur, legati ex Ætolia Romam venerunt de discordiis sedi-

Cap. IV. 1. *Inter se sortirentur;* non opus est cum Sigon. legere *compararent inter se aut sortirentur:* nam *inter se sortiri* bene dicitur latine, ut XXVIII, 45, et sortitio aliquibus præcipi potest sine comparatione, ut et hæc sine illa; Gron. Conf. ad IV, 46; VIII, 20; XXIII, 24; XXVI, 8; XXIX, 20; XL, 47.

2. *Sors opportuna fuit,* quod non Servilium ex ulteriore provincia transire in citeriorem jussit, sed P. Furium, in qua jam erat, retinuit; Gron. — *Remaneret,* ut remaneret, scilic. constituit, præcepit. Sed forte *ut* ante *P. Furius* excidit, aut cum Periz. leg. *remanere,* vel cum Gron. *remansit.*— Simplicissimum putat Doeringius, si legatur *remanet.* Ed. — *Agri Ligustini et Gallici,* etc. conf. ad XLI, 16 extr. — *Aliquantum vacaret,* sine dominis et cultoribus esset. — *Ut is ager viritim divideretur,* et quidem, ut mox dicitur, inter *singulos* cives et *socios nominis latini:* quibus tamen omnibus non suffecisset. Hinc eorum numerum excidisse, Crev. et Drak. suspicantur; at Doujat. putabat agrum inter veteranos exercitus ligustici et gallici, legionarios et sociales, dividi jussum fuisse, et Liv. accusabat, qui apertius id narrare neglexit. Supra, XXXII, 1, *militibus, qui in Hispania, Sicilia, Sardinia stipendia per multos annos fecissent, agrum assignandum curaret:* sed hoc potius librariorum culpa. Ed.— *T. Æbutium Carum;* ita legendum, ut testatur Drak., docuit Pighius in Annal. ad a. Urb. IDLXIV, pag. 291, eamque lectionem Gruteri postrema editio recepit, et recentiores aliorum servarunt. Antea vulgabatur *T. Æbutium Parrum. T. Æbutius Carus* supra memoratur XXXIX, 45; et is forte *T. Æbutii* prætoris nomine indicatur XLI, 6. T. Parrus inter cognomina Æbutiæ gentis nunquam memoratur. Ed.

tionibusque suis [3], et Thessali legati, nuntiantes, quæ in Macedonia gererentur.

V. Perseus, jam bellum vivo patre cogitatum in animo volvens, omnes, non gentes modo [1] Græciæ, sed civitates etiam, legationibus mittendis, pollicendo plura, quam præstando, sibi conciliabat. Erant tamen [2] magna ex parte hominum ad favorem ejus inclinati animi, et aliquanto quam in Eumenem propensiores; quum Eumenis beneficiis muneribusque omnes Græciæ civitates et plerique principum obligati essent; et ita se in regno suo gereret, ut, quæ sub ditione ejus, urbes nullius liberæ civitatis fortunam secum mutatam vellent. Contra Persea fama erat post patris mortem uxorem manu sua occidisse; Apellem, ministrum quondam fraudis in fratre tollendo atque ob id requisitum a Philippo ad supplicium, exsulantem, arcessitum post patris mortem ingentibus promissis ad præmia tantæ perpetratæ rei clam interfecisse. Intestinis externisque præterea multis cædibus infamem, nec ullo commendabilem merito, præ-

3. *De discordiis seditionibusque s.* conf. ad XLI, 25.

Cap. V. 1. *Non gentes modo Græciæ*, etc. conf. Polyb. XXVI, 5.

2. Particula *tamen* respondet sequenti particulæ *quum* pro *quamvis*. Oratio sic cohæret: Quamvis omnes Græciæ civitates, et plerique principum obligati essent beneficiis, muneribusque Eumenis, et quamvis Eumenes ita se in regno gereret, ut... tamen animi, etc.—*Eumenis beneficiis m. omnes Græciæ civitates*, etc. unde ab his multæ ei statuæ positæ et decreta in honorem ejus facta; videatur Polyb. XXVII, 15; XXVIII, 7 et 10. — *Quæ sub ditione ejus*, scil. essent, quod Curio aliique adjecerunt. — *Urbes nullius liberæ civitatis fortunam secum mutatam vellent*, cum sua fortuna. « Verbo *mutare* præpositionem *cum* addi, docuit Gronov. ad Plaut. Prol. Captiv. v. 28, laudatis locis Ovid. Met. III, 196, VII, 59; Sall. Jug. 44, et Justini I, 2. Similiter Antiqui dixerunt *commutare rem re aliqua* et *cum re aliqua*; nec tantum, ut h. l., mutare rem, quam accipimus, cum re, quam damus, sed etiam mutare rem, quam damus, cum re, quam accipimus, ut Ovid. l. l. Cf. V, 30, n. 3, et Gron. l. l. Drak. — *Contra Persea fama erat... Apellem,... clam interfecisse;* notabile exemplum amphibologiæ orationis, Apellem intellige a Perseo interfectum. Ed.

ferebant vulgo civitates tam pio erga[3] propinquos, tam justo in cives, tam munifico erga omnes homines regi, seu fama et majestate macedonum regum præoccupati ad spernendam originem novi regni[4]; seu mutationis rerum cupidi; seu quia eum objectum esse Romanis volebant. Erant autem non Ætoli modo in seditionibus, propter ingentem vim æris alieni, sed Thessali etiam: ea contagione, velut tabes[5], in Perrhæbiam quoque id pervaserat malum. Quum Thessalos in armis esse nuntiatum est[6], Ap. Claudium legatum ad eas res aspiciendas componendasque senatus misit. Qui, utriusque partis principibus castigatis, quum injusto fenere gravatum æs alienum[7], ipsis magna ex parte concedentibus, qui onerarant, levasset, justi crediti solutionem in * annorum pensiones distribuit. Per eumdem Appium eodemque modo compositæ in Perrhæbia res. Ætolorum causas Marcellus

3. *Pio erga propinquos;* matrem et tres fratres, Attalum (quem Philadelphum a mutuo in fratrem amore cognominatum dicunt Strabo, XIV, pag. 641, 667; Steph. Byz. in Εὐμένεια, et Marcianus Heracleota), Philetærum et Athenæum. Conf. cap. 16, 55, et XLV, 13; Polyb. XXII, 1, 5, 27; XXIII, 18; XXVII, 15; XXVIII, 7, 10; XXXII, 23; Strab. XIII, p. 624; Plut. περὶ φιλαδελφίας, pag. 480 et 489. — Mox *præoccupati* et *cupidi* pro *præoccupatæ* et *cupidæ*, sc. civitates; vide ad I, 41, n. 1, et III, 47, n. 1.

4. *Ad spernendam originem novi regni* Pergameni. Hujus fines amplificavit Eumenes, ejusque pater Attalus primus regium adscivit nomen. Cf. XXXIII, 21, et XXXVIII, 39.

5. *Ea contagione, velut tabes,* etc. vide ad XXXIX, 9, n. 1. Scribe *et contagione;* Gronov.— Etsi Gronovii emendationem probent Crev. et Drakenb., Doeringio legendum videtur *ex contagione.* Sic supra, V, 6, *velut ex contagione;* et IX, 1, *ne quid ex contagione noxæ remaneat penes nos.* Ed.

6. *Nuntiatum est;* forsan *nuntiatum esset.* Gron. — *Ad eas res aspiciendas;* vide ad XXI, 6, n. 4.

7. *Injusto fenere gravatum æs alienum,* hic locus quoque valet adversus Salmas. de Usur. cap. 2, pag. 33; cap. 5, pag. 121, ubi *fenus* improprie et per abusum pro usura, quæ pecuniæ creditæ præter sortem accedit, dici contendit: quod Gronov. de Pec. Vet. IV, 1, et Mant. Pec. Vet. I, confutavit; Duker. — *Justi crediti solutionem;* vide ad VI, 14, n. 6. Mox ante *annorum* numerus eorum excidisse videtur.

Delphis per idem tempus hostilibus actas animis, quas intestino gesserant bello[8], cognovit. Quum certatum utrimque temeritate atque audacia cerneret, decreto quidem suo neutram partem aut levare, aut onerare voluit : communiter ab utrisque petiit, abstinerent bello, et oblivione præteritorum discordias finirent. Hujus reconciliationis inter ipsos fides obsidibus ultro citroque datis firmata est. Corinthum, ut ibi deponerentur obsides, convenitur[9].

VI. A Delphis et Ætolico concilio Marcellus in Peloponnesum trajecit, quo Achæis edixerat conventum[1]. Ubi, collaudata gente, quod constanter vetus decretum de arcendis[2] aditu finium regibus Macedonum tenuissent, insigne adversus Persea odium Romanorum fecit : quod ut maturius erumperet, Eumenes rex, commentarium ferens secum, quod de apparatibus belli omnia inquirens fecerat, Romam venit. Per idem tempus quinque legati ad regem missi, qui res in Macedonia aspicerent[3]. Alexandriam iidem ad

8. *Quas intestino gesserant bello;* suspicor *quasi intestino bello :* non enim bellum verum fuit, sed factionum rabies ; et τὸ *gesserant* addidit aliquis supplendæ sententiæ, quum jam τὸ *quas* corrupte legeretur ; Gronov. Sed gravius bellum intestinum et XLI, 25 describitur, et mox memoratur. Conf. ad XLI, 25, n. 1. *Quæque intestino g. b.* conj. Drakenb. (et Frider. Jac. apud Goell. p. 390. Ed.) Malim *quos intestino gesserant bello ;* ut *gerere animum*, VII, 31, et XXXII, 11. An scribendum : *quos intestina* aut potius *internecina efferarant bella ?* Conf. XLI, 25 pr. — Doeringio hic locus videtur integer ; per *causas hostilibus actas animis* intelligit seditiones, discordias, quas *intestino gesserant bello*, inversa oratione pro : ob quas bellum intestinum gesserant. De his ipsis seditionibus pariter Noster paulo post : *abstinerent bello, et oblivione præteritorum discordias finirent ;* et sic de seditionibus supra, XLI, 25, *inde gravius de integro bellum exarsit.* Ed.

9. *Corinthum, ut ibi deponerentur obsides, convenitur :* malim *Corinthi ut deponerentur o., convenit.*

Cap. VI. 1. *Quo Achæis edixerat conventum ;* vide ad XXII, 12, n. 1. Sed excidit nomen loci in Peloponneso, quo eos convenire voluit; Duk. et Crev.

2. *Vetus decretum de arcendis*, etc. conf. XLI, 23.

3. *Qui res in Macedonia aspice-*

Ptolemæum renovandæ amicitiæ causa proficisci jussi. Legati erant hi, C. Valerius, Cn. Lutatius Cerco, Q. Bæbius Sulca, M. Cornelius Mammula, M. Cæcilius Denter. Et ab Antiocho rege sub idem tempus legati venerunt; quorum princeps Apollonius, in senatum introductus, multis justisque causis regem excusavit, *quod stipendium serius quoad diem*[4] *præstaret. Id se omne advexisse, ne cujus, nisi temporis, gratia regi fieret. Donum præterea afferre, vasa aurea quingentum pondo. Petere regem, ut, quæ cum patre suo societas atque amicitia fuisset, ea secum renovaretur; imperaretque sibi populus romanus, quæ bono fidelique socio regi essent imperanda. Se nullo usquam cessaturum officio. Ea merita in se senatus fuisse, quum Romæ esset, eam comitatem juventutis, ut pro rege, non pro obside, omnibus ordinibus fuerit.* Legatis benigne responsum[5], et societatem renovare cum Antiocho, quæ cum patre ejus fuerat, A. Atilius prætor urbanus jussus. Quæstores urbani stipendium, vasa aurea censores acceperunt; eisque negotium datum est, ut ponerent ea, in quibus templis videretur: legatoque centum millium æris munus missum, et ædes liberæ hospitio datæ[6], sumptusque decretus,

rent; vide ad XXI, 6, n. 4.—*Cn. Lutatius Cereo*, forte *C. Lut. C.;* Sigon.

4. *Serius quoad diem;* immo *serius quam ad diem;* Duk., Gron. et Drak. qui docent, *quoad* pro *quantum ad, quod attinet ad,* apud probos linguæ latinæ scriptores non occurrere, ideoque apud Plaut. Pseud. II, 2, v. 29, leg. *quam ad;* apud Varr. Ling. lat. VII, 23, et Re Rust. I, 9, n. 5, *quod ad.* Conf. Vorst. de Latin. mer. susp. cap. 32. — *Vasa aurea quingentum pondo;* quingenta pondo auri sunt marcæ auri nostrates 781, unciæ 2, ex rationibus Creverii; qui præterea ad hunc locum notat Livium procul dubio numerum vasorum apposuisse, quem librariorum incuria perire passa est. Mox *centum millia æris* idem æstimat marcis argenti nostratibus 156, unciis 2. Ed.

5. *Legatis benigne responsum*, forte *legato*, scil. Apollonio, qui solus in senatum fuerat introductus. Hinc et mox *legatoque centum millium æris munus missum.* Conf. n. 6.

6. *Ædes liberæ hospitio datæ*, etc. vide ad XXIV, 7, n. 3, et XXVIII,

donec in Italia esset. Legati, qui in Syria fuerant, renuntiaverunt, in maximo eum honore apud regem esse amicissimumque populo romano.

VII. In provinciis eo anno hæc. C. Cicereius prætor in Corsica signis collatis pugnavit: septem millia Corsorum cæsa; capti amplius mille et septingenti. Voverat in ea pugna prætor ædem Junoni Monetæ[1]. Pax deinde data petentibus Corsis, et exacta ceræ ducena millia pondo. Ex Corsica subacta Cicereius in Sardiniam transmisit. Et in Liguribus in agro Statiellati pugnatum ad oppidum Carystum[2]. Eo se magnus exercitus Ligurum contulerat. Primo sub adventum M. Popillii consulis mœnibus sese continebant: deinde, postquam oppidum oppugnaturum romanum cernebant, progressi ante portas, aciem struxerunt: nec consul (ut qui id ipsum oppugnatione comminanda quæsisset) moram certamini fecit. Pugnatum est amplius tres horas, ita ut neutro inclinaret spes. Quod

39, n. 8. — *In maximo eum honore a. r. esse*, sc. Apollonium. Hinc etiam et quia attulerit donum *vasa aurea quingentum pondo*, tantum ei munus datum, monet Drak. ad cap. 19: nam aliis legatis hoc tempore bina tantum millia æris muneri fuisse data (vide ad XLII, 19; XLIII, 5, 6, 8; XLIV, 14, 15; XLV, 42), raro majora vel ob merita, vel ob dignitatem eorum, quorum nomine fuerint missi, ut XXVIII, 39; XXX, 17; XXXI, 9; XXXVII, 3. Conf. Periz. de ære gravi, § 26, pag. 116.

Cap. VII. 1. *Junonis Monetæ;* edd. vett. *Junoni.* Ed. — *Exacta ceræ duc. millia pondo;* vide ad XL, 34, n. 4. *Ducenta* conj. Crev. sed vid. Drak. IV, 16, n. 6. — Libras romanas 200,000 æquiparat Crever. libris parisiensibus 156,250. Ed. — *In Sardiniam transmisit; transmittere* simpliciter pro transire, ut notat Doering. Supra, XXVIII, 30 extr. cap. *ni cum reliquis quinque navibus Adherbal velis in Africam transmisisset.* Ed. — *In Liguribus in agro Statiellati* (edd. ante Grut. *Statellati*), ubi oppid. *Aquæ Statiellæ*, Ἀκουαιστάτελλαι Strab. V, pag. 217. *Aquæ Statiellorum* seu *Statyellorum* Plin. III, 5 seu 7, hodie *Acqui*, inter Dertonam et Vada Sabatia ad Bormiam fl. Hinc *Statiellates* (cap. 8, 21, 22) et *Statiellenses.* Cf. Cluver. Ital. Ant. I, 10, pag. 82.

2. *Ad oppidum Carystum*, cujus vestigia in vico *Carso*, in via, a Genua Dertonam ferente, sito, superesse suspicabatur Cellar. *Caristum* ed. Basil. 1554, et quædam aliæ, non improb. Cluver. — *Aciem struxerunt;* vide ad cap. 51, n. 2.

ubi consul vidit, nulla parte moveri[3] Ligurum signa, imperat equitibus, ut equos conscendant, ac tribus simul partibus in hostes, quanto maximo possent tumultu, incurrant. Pars magna equitum mediam trajecit aciem, et ad terga pugnantium pervasit. Inde terror injectus Liguribus: diversi in omnes partes fugerunt[4]; perpauci retro in oppidum, quia inde se maxime objecerat eques; et pugna tam pervicax multos absumpserat Ligurum, et in fuga passim cæsi sunt. Decem millia hominum cæsa traduntur; amplius septingenti passim capti: signa militaria relata octoginta duo. Nec incruenta victoria fuit: amplius tria millia militum amissa; quum, cedentibus neutris, ex parte utraque primores caderent.

VIII. Post hanc pugnam ex diversa fuga in unum collecti[1] Ligures, quum majorem multo partem civium amissam, quam superesse, cernerent (nec enim plus decem millia hominum erant), dediderunt sese; nihil quidem illi pacti. Speraverant tamen, non atrocius, quam superiores imperatores, consulem in se sæviturum. At ille arma omnibus ademit, oppidum diruit, ipsos bonaque eorum vendidit; literasque senatui de rebus ab se gestis misit. Quas quum A. Atilius prætor in curia recitasset (nam consul alter Postumius, agris recognoscendis in Campania occupatus, aberat), atrox res visa senatui: *Statiellates, qui uni ex Ligurum gente non tulissent arma adversus Romanos,*

3. *Quod ubi consul vidit,... moveri;* vide ad VI, 8, n. 2.

4. *Diversi in omnes partes fugerunt;* vide ad III, 60, n. 1.

Cap. VIII. 1. *Ex diversa fuga in unum c.* vid. III, 60, n. 1; XXVII, 39, n. 2. — *Ligures,* non omnes, sed Statiellates. — *Nec enim plus decem millia hominum erant;* conf. ad XLI, 12, n. 3. Observat Creverius, vel hic numerum justo majorem esse, vel numerum cæsorum in pugna justo minorem; in proxime enim præcedentibus dictum esse, Statiellates in prælio multo majorem civium numerum amisisse, quam qui superesset. Ed.

tum quoque oppugnatos[2], *non ultro inferentes bellum; deditos in fidem populi romani, omni ultimæ crudelitatis exemplo laceratos ac deletos esse: tot millia capitum innoxiorum, fidem implorantia populi romani, ne quis unquam se postea dedere auderet, pessimo exemplo venisse*[3]: *et distractos passim justis quondam hostibus populi romani pacatis servire. Quas ob res placere senatui, M. Popillium consulem Ligures, pretio emptoribus reddito, ipsos restituere in libertatem; bonaque ut iis, quidquid ejus*[4] *recuperari possit, reddantur curare. Arma primo quoque tempore fieri in ea gente*[5]: *consulem de provincia decedere, quum de-*

2. *Statiellates, qui uni ex Ligurum gente non tulissent arma adversus Romanos, tum quoque oppugnatos:* verba *tum quoque* inepta videntur (forte leg. *tam inique oppugnatos*), et sqq. *non ultro inferentes bellum* languent. *Oppugnatos*, ut in fine cap. *vincendo oppugnantes:* nam *oppugnare* propr. est bellum inferre, vel adoriri. — Quum *tum quoque* ad *non ultro inferentes bellum*, non *ad oppugnatos* trahendum existimet Walchius, Emend. pag. 138, verba trajicit sic: *Statiellates, qui* (antea) *uni ex Ligurum gente non tulissent arma adversus Romanos, tum quoque non ultro inferentes bellum, oppugnatos.* Non tamen novato opus esse ait Buttn. Obss. Liv. p. 97; alibi nempe apud Livium conspici verborum trajectiones minime leves. Plurium instar exemplorum sit XXXIII, 18, *postero die eodem ordine instructi majus aliquanto prælium, quam pro numero edidere pugnantium;* etsi XXI, 29 sine ulla trajectione dicitur: *prælium atrocius, quam pro numero pugnantium editur.* Egregie huc faciunt quæ Analectt. litt. pag. 294 de Veterum in trajiciendis verbis licentia sic disserit Frid. August. Wolfius: « Sunt omnino trajectiones verborum Latinis et multo magis Græcis valde frequentes; immo ne sunt quidem, quod vocantur, nisi iis qui veterem loquendi usum ad novarum linguarum regulas metiuntur ». Ed.—*Deditos in fidem pop. rom.* vide ad XXXVI, 28, n. 1.

3. *Pessimo exemplo venisse;* vide ad III, 55, n. 8. — *Justis quondam hostibus p. r. pacatis*, h. e. pacatis iis qui vere et plane hostes fuerant; vel, quibuscum pium gestum esset bellum: vide ad II, 29, n. 5.

4. *Quidquid ejus*, propr. *eorum;* vid. V, 25, n. 5, et XXXIII, 24, n. 4.

5. *Arma pr. quoque tempore fieri in ea gente:* id jubet senatus, ut rescindat id, quod fecerat consul, qui non tantum arma Statiellatibus ademerat, sed procul dubio nova etiam fabricari vetuerat; Crever. Sic *arma facta* inf. cap. 52, *arma quoque imperare fieri in ea g.*, sc. quia non indigna ea gens et tutela benigna et fiducia facili videretur, conj. Ern. Malim *arma finiri*, h. e. bellum; vide ad I, 30, n. 8. Idem conjecisse video Jac. Gron. —

ditos in sedem suam Ligures restituisset. Claram victoriam vincendo oppugnantes, non sæviendo in afflictos, fieri.

IX. Consul, qua ferocia animi usus erat in Liguribus[1], eamdem ad non parendum senatui habuit. Legionibus extemplo Pisas in hibernacula missis, iratus Patribus, infestus prætori[2], Romam rediit; senatusque extemplo ad ædem Bellonæ vocato[3], multis verbis invectus est in prætorem, *qui, quum ob rem bello bene gestam, uti diis immortalibus honos haberetur, referre ad senatum debuisset, adversus se pro hostibus senatusconsultum fecisset*[4], *quo victoriam suam ad Ligures transferret, dedique iis prope consulem prætor juberet. Itaque mulctam ei se dicere: a Patribus postulare, ut senatusconsultum in se factum tolli juberent, supplicationemque, quam absentes ex*[5] *literis, de bene gesta republica missis, decernere debuerint, præsentes honoris deorum primum causa, deinde et sui aliquo tandem respectu, decernerent.* Nihilo lenioribus, quam absens, senatorum aliquot orationibus increpitus, neutra impetrata re, in provinciam redit. Alter consul Postumius, consumpta æstate in recognoscendis agris, ne visa quidem provincia[6] sua, comitiorum causa Romam rediit. Consules C. Popillium Lænatem, P. Ælium Ligurem creavit. Prætores exinde facti C. Licinius Crassus, M. Junius Pennus,

Vincendo oppugnantes; Cler. et Crev. emend. *pugnantes.* Sed conf. n. 2.

Cap. IX. 1. *Ferocia a. usus in Liguribus;* vide ad VI, 22, n. 1.

2. *Infestus prætori*, A. Atilio. Cf. cap. 8.

3. *Ad ædem Bellonæ vocato;* vide ad XXVI, 21, n. 1.

4. *Adversus se pro hostibus SCtum fecisset;* vide supra ad VII, 16, n. 6.

5. *Quam absentes ex literis*, etc. lege: *quam absenti sibi ex literis... præsenti honoris*, etc. Gron. *Absentis* et *præsenti* conj. Drak. *Absente se* et *præsente* Pithœus.

6. *Ne visa quidem provincia sua*, Liguria. Conf. cap. 1 et 8. — *Consules C. Popillium... creavit;* vide ad VII,

Sp. Lucretius, Sp. Cluvius, Cn. Sicinius, C. Memmius iterum.

X. Eo anno lustrum conditum est. Censores erant Q. Fulvius Flaccus, A. Postumius Albinus[1]. Postumius condidit. Censa sunt civium romanorum capita ducenta sexaginta novem millia et quindecim. Minor aliquanto numerus, quia L. Postumius consul pro concione edixerat, qui socium latini nominis ex edicto C. Claudii consulis[2] redire in civitates suas debuissent, ne quis eorum Romæ, sed omnes in suis civitatibus censerentur. Concors et e republica censura fuit[3]. Omnes, quos senatu moverunt quibusque equos ademerunt, ærarios fecerunt et tribu moverunt; neque ab altero notatum alter probavit. Fulvius ædem

16, n. 6.—*C. Memmius iterum;* conf. Pigh. Ann. ad annum 578.

Cap. X. 1. *A. Postumius Albinus* recte ex Fastis Capitol. edidit Sigon. pro *L. Postumius A.* qui hoc anno consul fuit, et frater censoris: ambo certe in Fastis A. F. A. N. dicuntur; Drakenb. — *Capita CCLXIX millia et XV;* minorem numerum edidit auctor Epit. hujus libri, isque verior videtur, judice etiam Pigh. Annal. ad annum 579, p. 356, quia Livius subjungit *minor aliquanto numerus*, sc. quam lustro priore, de quo vid. Epit. lib. XLI, ubi omnes edd. ante Cur. et multi MSS præferunt *CCLXIII millia et CCXCIV*, tres codd. *CCLVIII m.* Dubitat Drak. quoniam Livius *aliquanto*, non *multo* dixerit. Sed h. l. profert lectionem Curionis *CCLXXIII millia CCXLIV*, quam supra in Epit. lib. XLI recte damnaverat. Ea quoque si probabilior esset, vox *aliquanto* non adversaretur minori numero in Epit. XLII; vide ad II, 39, n. 1.

2. *Ex edicto C. Claudii cos.*, etc. vide ad XLI, 9, et XXXIX, 3, n. 3. — *Sed omnes* primus Curio pro, *et omnes*, edidit. *At omnes* conj. Drak.— Vulgatum *et* defendit Walch. Emend. Liv. p. 227, laudato hoc Livii exemplo, XXXII, cap. 35, *opinionem ipse affirmavit petendo, ut submotis aliis, ne tempus altercando tereretur, et aliquis finis rei imponi posset, cum imperatore romano liceret sibi colloqui.* Quæ compara ad vim particulæ intelligendam cum Phædro, I, 3, *Ne gloriari libeat alienis bonis, Suoque potius habitu vitam degere.* Scripserat cum Meursio Bentleius *suo quin potius.* Nihil mutandum esse vidit quasi per nebulam Burmannus. Ed.

3. *E republica censura fuit;* vide ad I, 27, n. 5. — *Omnes, quos senatu moverunt, quibusque equos ademerunt, ærarios fecerunt et tribu moverunt;* vide ad IV, 24, n. 5, et XXIV, 18, n. 4. — *Neque ab altero notatum alter probavit;* vide supra ad libb. IV, 22, n. 5, XXIV, 16, n. 5, et XL, 51, n. 2.

Fortunæ Equestris[4], quam proconsul in Hispania, dimicans cum Celtiberorum legionibus, voverat, annos sex post, quam voverat[5], dedicavit; et scenicos ludos per quatriduum, unum diem in circo fecit. L. Cornelius Lentulus, decemvir sacrorum, eo anno mortuus est. In locum ejus suffectus A. Postumius[6] Albinus. Locustarum tantæ nubes[7] a mari vento repente in Apuliam illatæ sunt, ut examinibus suis agros late operirent. Ad quam pestem frugum tollendam Cn. Sicinius prætor designatus, cum imperio in Apuliam missus, ingenti agmine hominum ad colligendas eas coacto, aliquantum temporis absumpsit. Principium insequentis anni, quo C. Popillius et P. Ælius fuerunt consules, residuas contentiones ex priore anno habuit. Patres referri de Liguribus[8] renovarique senatusconsultum volebant, et consul Ælius referebat. Popillius et collegam et senatum pro fratre deprecabatur; præ

4. *Fulvius ædem Fortunæ Eq.*, etc. vide ad XL, 40, n. 7. — *Quam proconsul in Hispania voverat;* vide ad XXVIII, 38, n. 4.

5. *Annos sex post, quam voverat,* « Recte, nec cum Periz. leg. *annos octo,* si in numerandis annis omittamus et illum, quo vota, et illum, quo dedicata ædes est. Ita Livium numerare solitum fuisse, docet Sigon. XXV, 15, et XL, 52, nosque ad XXXIII, 44; XXXIV, 44; XXXVIII, 52. Solet etiam vel alterum terminum numerare, ut IV, 20, et XXXIV, 1; vel utrumque, ut XLIV, 3, 4, 5; XLV, 1, 9, et locis, quæ laudat Dodwel. de Cyclis, Diss. X, § 26, pag. 493, ubi docet, *tertium annum* et *diem* vocari, licet inter utrumque terminum unus tantum dies medius sit ». Drak. Conf. ad IV, 20, n. 7, et XXXVIII, 52, n. 4. — *Scenicos ludos,* « scilic. dedicationis ædis Fortunæ Equestris: nam dedicationis templorum causa ludos fieri, mos erat; vide ad XL, 52. Voverat quidem et ædem Fortunæ Equestri, et ludos Jovi: sed hos in consulatu fecit; vide ad XL, 40 et 45 ». Duk. — *In circo fecit ludos;* vid. I, 9, n. 4.

6. *A. Postumius Albinus* forte non censor ille, vir provectæ ætatis tantæque dignitatis, sed is, qui a. Urb. 598 prætor et a. 602 consul fuit; Drakenb. Conf. Cic. Acad. Quæst. IV, 45.

7. *Locustarum tantæ nubes;* vide ad XXXV, 49, n. 2.—*Cum imperio,* non magistratus, sed militari, quia Sicinius nondum inierat magistratum. Ita Sigon. in Disput. post. cum Gruch. pag. 748, et de lege Cur. cap. ult. At vid. Gruch. refut. ad post. Sigon. Disp. cap. 33.

8. *Patres referri de Liguribus*, etc. conf. cap. 8, 9.

se ferens, si qui decernerent, intercessurum, collegam deterruit. Patres, eo magis utrique pariter consulum infensi, in cœpto perstabant. Itaque, quum de provinciis ageretur, et Macedonia, jam imminente Persei bello, peteretur, Ligures ambobus consulibus decernuntur. Macedoniam decreturos negant, ni de M. Popillio referretur. Postulantibus deinde, ut novos exercitus scribere, aut supplementum veteribus liceret, utrumque negatum est. Prætoribus quoque in Hispaniam supplementum petentibus negatum; M. Junio in citeriorem, Sp. Lucretio in ulteriorem. C. Licinius Crassus urbanam jurisdictionem, Cn. Sicinius inter peregrinos erat sortitus, C. Memmius Siciliam, Sp. Cluvius Sardiniam. Consules, ob ea irati[9] senatui. Latinis feriis in primam quamque diem indictis, in provinciam abituros esse denuntiarunt; nec quidquam reipublicæ acturos, præterquam quod ad provinciarum administrationem attineret.

XI. Attalum, regis Eumenis fratrem, legatum venisse Romam, Valerius Antias[1] his consulibus scribit, ad deferenda de Perseo crimina indicandosque apparatus belli. Plurium annales, et quibus credidisse malis, ipsum Eumenem venisse tradunt. Eumenes igitur,

9. *Consules ob ea irati*, scil. quod provincia Macedonia et novi exercitus negarentur; Periz. qui verba *Prætoribus quoque..... Sardiniam* interjecta putat, quia prætoribus idem negatum fuit. Quoniam hæc verba non causis irarum statim subjiciuntur, Gronov. conj. *consules obirati... senatui* — De voce *obirati* vid. Drak. ad h. l. Ed. — Mox *abituros esse* edd. ante Frob. qui a. 1535 dedit *abituros se*. Sed pronomen hoc sæpe omitti, docet Drakenb. Supra hoc cap. *præ se ferens, si qui decernerent, intercessurum, collegam deterruit*. Ed.

Cap. XI. 1. *Attalum... venisse Romam, Valerius Antias scribit*, fortasse Antias cum hac legatione Eumenis confudit illam Attali et minorum natu fratrum, memoratam a Polyb. l. l. et Diodoro, Legat. XIV, t. II, p. 622 sq. ed. Wessel. quam silentio præteriisse Livium mirum est, nisi forte retulit eam in exordio libri XLI, quod injuria temporum intercidit; Schweigh. ad Polyb. XXV, 6, § 2.

ut Romam venit, exceptus cum tanto honore, quantum non meritis tantum ejus, sed beneficiis etiam suis[2], ingentia quæ in eum congesta erant, existimaret deberi populus romanus, in senatum est introductus. *Causam veniendi sibi Romam fuisse*, dixit, *præter cupiditatem visendi deos hominesque, quorum beneficio in ea fortuna esset, supra quam ne optare quidem auderet, etiam ut coram moneret senatum, ut Persei conatis obviam iret.* Orsus inde a Philippi consiliis, *necem Demetrii filii* retulit, *adversantis romano bello; Bastarnarum gentem excitam*[3] *sedibus suis, quorum auxiliis fretus in Italiam transiret. Hæc eum volutantem in animo, oppressum fato, regnum ei reliquisse, quem infestissimum esse sensisset Romanis. Itaque Persea hereditarium a patre relictum bellum, et simul cum imperio traditum, jam jam*[4] *primum alere ac fovere omnibus consiliis. Florere præterea juventute, quam stirpem longa pax ediderit, florere opibus regni, florere etiam ætate. Quæ quum corporis robore ac viribus vigeat, animum esse inveteratum diutina arte atque usu belli. Jam inde a puero, patris contubernio, Romanis quoque bellis, non finitimis tantum, assuetum, missum a patre in expedi-*

2. *Beneficiis etiam suis*, etc. conf. XXXVIII, 39. Ad seqq. conf. Appian. Maced. IX, 1. Polybii locus, ab utroque expressus, intercidit. — *Supra quam ne optare quidem auderet*, addendum *quidquam*; Crev. An leg. *non optare quidquam?* — *Ut Persei conatis obviam iret*; observat Doujatius, teste Drak., minus usitata inflexione *conatis* dixisse pro *conatibus*. Eadem etiam utitur supra XXI, 50, *statum deinde insulæ et Carthaginiensium conata exposuit*. Et ita Silius, perpetuus Livii imitator, XII, 434: «Vertebat et mentem Tyria ad conata Tarentus». Cæs. de Bell. Gall. I, 3: «perfacile factu esse illis probat, conata perficere». Vid. Nic. Heinsius ad Vell. Paterc. II, 35; et Vorstii Indic. Corn. Nep. voce *conata*. Ed.

3. *Bastarnarum gentem excitam*, etc. conf. ad XL, 57, 58.

4. *Jam jam primum*, forte *tanquam p.* Gron. — *Florere præterea juventute*, abundare Persea ejusque regnum multitudine juvenum.

tiones multas variasque. Jam ex quo ipse accepisset regnum, multa, quæ non vi, non dolo, Philippus, omnia expertus, potuisset moliri, admirando rerum successu tenuisse[5]. *Accessisse ad vires eam, quæ longo tempore, multis magnisque meritis pareretur, auctoritatem.*

XII. *Nam apud Græciæ*[1] *atque Asiæ civitates vereri majestatem ejus omnes: nec, pro quibus meritis, pro qua munificentia tantum ei tribuatur, cernere; nec dicere pro certo posse, utrum felicitate id quadam ejus accidat, an, quod ipse vereatur dicere, invidia adversus Romanos favorem illi conciliet. Inter ipsos quoque reges ingentem auctoritate; Seleuci filiam duxisse eum*[2], *non petentem, sed petitum ultro; sororem dedisse Prusiæ precanti ac oranti: celebratas esse utrasque nuptias gratulatione donisque innumerabilium legationum, et velut auspicibus nobilissimis populis deductas esse*[3]. *Bœotorum gentem,*

5. *Successu tenuisse multa;* vide ad II, 42, n. 2. — *Pareretur,* acquireretur; vid. Drak. *Pararetur* ed. Basil. a. 1554 et al.

Cap. XII. 1. *Nam apud Græciæ,* etc. forte del. *apud;* Drak.

2. *Seleuci filiam duxisse eum*, Laodicen, filiam Seleuci Philopatoris, qui fuit Antiochi M. filius, Demetrii Soteris pater; Gron. Conf. Polyb. XXVI, 7, § 10; Plut. Æmil. p. 261, et marm. Arundel. pag. 277. Hæc autem uxor diversa fuisse videtur ab illa, quam cap. 5, post patris mortem manu sua occidisse dicitur; Drak. — *Sororem dedisse Prusiæ:* « quæ prima ejus uxor fuisse videtur, mater Nicomedis, patri in regno succedentis. Altera uxor fuit Diegyllis Thracis filia, unde suscepit liberos. quorum causa Nicomedem interficere voluit; qui patrem occupans interfecit; vid. Justin. XXXIV, 4. Ex hac uxore procreatus videtur Prusias Monodes; vid. Epit. L; Val. Max. I, 8, extr. 12, et Fest. voc. *Monodes* ». Drak. Conf. ad Epit. Liv. L.; Appian. Mithridat. 2-7; Polyb. XV, 22, 23; XVII, 4, et XXXVII, 2; ad quæ loca videatur Schweigh. — *Precanti ac oranti;* vid. III, 16, n. 2.

3. *Celebratas esse utrasque nuptias... et velut auspicibus nobilissimis populis deductas esse;* vide ad V, 21, n. 1, et X, 23, n. 4. Διέβαλλε (in invidiam adduxit Eumenes) δ' αὐτοῦ καὶ τὰς ἐπιγαμίας, βασιλικὰς ἄμφω γενομένας, καὶ τὰς νυμφαγωγίας ὅλῳ τῷ Ῥοδίων στόλῳ παραπεμφθείσας, Appian. Maced. IX, 1, qui

captatam Philippo[4], *nunquam ad scribendum amicitiæ fœdus adduci potuisse : tribus nunc locis cum Perseo fœdus incisum literis esse ; uno Thebis, altero ad Delum, augustissimo et celeberrimo in templo, tertio Delphis. In Achaico concilio vero, nisi discussa res per paucos romanum imperium intentantes*[5] *esset, eo rem prope adductam, ut aditus et in Achaiam daretur. At, Hercule, suos honores, cujus merita in eam gentem privatim, an publice, sint majora, vix dici posset, partim desertos*[6] *per incultum ac negligentiam, partim hostiliter sublatos esse. Jam, Ætolos, quem ignorare, in seditionibus suis non ab Romanis, sed a Perseo præsidium petiisse? His eum fultum societatibus atque amicitiis eos domesticos apparatus belli habere, ut externis non egeat; triginta millia peditum, quinque millia equitum : in decem annos frumentum præparare*[7], *ut abstinere et suo et hostium*

locus et conf. ad seqq. « Hæc sine dubio e Polybio descripta; nam eadem habet Livius, qui Polybium interpretatus est, non Appianum. Sed Livius de suo et ex Romanorum ritibus, orationis exornandæ causa addidisse videtur *auspices;* a quibus tamen sponsas ad sponsos deductas fuisse, ut apud Græcos a νυμφαγωγοῖς, fortassis nusquam traditum est. Nec valde usitatum genus loquendi, quo græca expressit, *nuptias deductas esse* pro *sponsas d. e.* » Duk.

4. *Captatam* a *Philippo*, quam Philippus omnibus modis sibi conciliare studuisset. — *Altero ad Delum* (vide ad X, 23, n. 12) ex emend. Sigon. pro *a. ad Sidenum.* Recte, puto, nisi leg. *ad ins. Delum :* sed locus Suidæ voc. Πειρασεὺς, a Sigon. laudatus et descriptus ex Polybio (vid. Exc. Peiresc. pag. 1440), huc non pertinet; Drak. — *Augustissimo et c. in templo* Apollinis, de quo conf. XLIV, 29; Spanhem. ad Callim. H. in Del. 24, et Voss. Theol. Gent. II, 12. Paulo tamen aptiora hæc verba essent, si iis præponerentur seqq. *tertio Delphis.*

5. *Romanum imperium intentantes*, ad terrorem ostentantes; Ern. coll. Virgil. Æn. I, 91.

6. *Suos honores... partim desertos*, etc. qui tamen postea Eumeni restituti sunt, rogante Attalo, qui fratrem singulari amore complectebatur. Conf. Polyb. II, 15; XXVIII, 7 et 10; ad quæ loca vid. Vales. et Schweigh.

7. *In decem annos frumentum præparare;* conf. Plut. Æmil. pag. 259. *Præparatum* (sc. habere) conj. Crev. — *Ut decem millibus mercenariorum*, etc. Antea legebatur *decem millibus*, quod emendavit Gron. « Forte olim, ait Drak., per notas scriptum fuerat

agro frumentandi causa possit. Jam pecuniam tantam habere, ut decem millibus mercenariorum militum, præter Macedonum copias, stipendium in totidem annos præparatum habeat; præter annuum, quod ex metallis regiis[8] *capiat, vectigal. Arma vel tribus tantis exercitibus in armamentaria congessisse. Juventutem, ut jam Macedonia deficiat, velut ex perenni fonte unde hauriat, Thraciam subjectam esse.*

XIII. Reliquum orationis adhortatio fuit. « Non ego « hæc, inquit, incertis jactata rumoribus[1], et cupidius « credita, quia vera esse de inimico crimina volebam, « affero ad vos, Patres conscripti; sed comperta et « explorata, haud secus quam si speculator missus a « vobis subjecta oculis referrem. Neque, relicto regno « meo, quod amplum et egregium vos fecistis[2], mare « tantum trajecissem, ut vana ad vos afferendo fidem « abrogarem mihi. Cernebam nobilissimas Asiæ et « Græciæ civitates, in dies magis denudantes judicia « sua[3], mox, si permitteretur, eo processuras, unde « receptum ad pœnitendum non haberent. Cernebam « Persea, non continentem se Macedoniæ regno, alia « armis occupantem, alia, quæ vi subigi non[4] possunt,

ut X. M. quod perperam postea a librariis *ut decem millia* redditum est, pro *millibus.* » Eos alibi sæpe ita errasse, idem monuerat ad XXV, 9, § 6; XXXII, 23, § 10; XXXVI, 1, § 8; similiter eos in reddendis aliis numerorum notis lapsos esse vidit, ad XL, 18, § 5; et XLII, 18, § 7; ut et in quibus vis vocibus per compendium scriptis ad X, 10, § 4. Ad marginem Livii notavit Ant. Perizon. etiam legi posse *ut in decem millia.* Ed.

8. *Ex metallis regiis*, locis, unde metalla eruuntur, metallifodinis, ut XXXIX, 24, n. 1; XLII, 52; XLV, 18, 29, 30, 40, et gr. μέταλλα, ut apud Pausan. I, 1; Drakenb. Conf. Goesii Ind. in rei agrar. script. — *Ut*, quamvis, *jam Macedonia deficiat* ea.

Cap. XIII. 1. *Incertis jactata rumoribus;* vide ad II, 12, n. 7.

2. *Quod amplum et e. vos fecistis;* vide ad XXXVIII, 39.

3. *Denudantes judicia sua*, non obscure significantes, quibus faverent; Ern. Cf. ad XXXIII, 21, n. 6. —*Receptum ad pœnitentiam n. h.* vid. XXIV, 26, n. 10.

4. *Quæ vi subigi non possunt*, forte

« favore ac benevolentia complectentem. Videbam, « quam impar esset sors, quum ille vobis bellum, vos « ei securam pacem præstaretis; quanquam mihi qui- « dem non parare, sed gerere pæne bellum videbatur. « Abrupolim, socium atque amicum vestrum [5], regno « expulit. Artetarum Illyrium, quia scripta ab eo quæ- « dam vobis comperit, socium item atque amicum ve- « strum, interfecit. Eversam et Callicritum [6] Theba- « nos, principes civitatis, quia liberius adversus eum « in concilio Bœotorum loquuti fuerant, delaturosque « ad vos, quæ agerentur, professi erant, tollendos cu- « ravit. Auxilium Byzantiis adversus fœdus tulit, Do- « lopiæ bella intulit [7], Thessaliam et Doridem cum « exercitu pervasit, ut in bello intestino deterioris par- « tis auxilio meliorem affligeret. Confudit et miscuit « omnia in Thessalia Perrhæbiaque spe novarum tabu- « larum [8], ut manu debitorum obnoxia sibi optimates

possent. — *Quum ille vobis bellum, vos ei securam pacem præstaretis:* verbum *præstare* non satis convenit *bello*, nisi forte huc transferenda, quæ ad I, 33, n. 7, notavi. « Sed leg. *quum ille vobis bellum pararet, vos ei pacem præstaretis;* nam sequitur: *quanquam mihi quidem non parare, sed gerere pæne bellum videbatur:* quæ est correctio, tanquam minus, quam res est, dixisset; quare oportuit etiam eum dixisse, quod corrigit »; Gronov.

5. *Abrupolim, socium atque amicum vestrum*, regem Sapeorum vel Sapæorum, gentis Thraciæ, *regno expulit*, et *Artetarum Illyrium... interfecit* per insidias. Conf. cap. 40, 41; Appian. Maced. IX, 1 et 3 (qui reges illos Ἀβρόπολιν et Ἀρθέταυρον appellat), et Pausan. VII, 10, ubi Ἀβρούπολιν pro vulg. Ἄβρου πόλεως legendum, et post hanc vocem inserenda esse καὶ Ἀρθέταυον, monet Ursin. ad Appian. Quod si verum est, Pausanias tradit, Persea in exsilium pepulisse Artetarum, quem tamen interfectum esse, Livius hic, cap. 40, 41, et Appianus referunt; Drak. Cf. Sylburg. et Kuhn. ad Pausan. *Abrupolim* h. l. omnes edd. sed cap. 40 et 41. *Abrypolim* omnes ante Sigon.

6. *Eversam et Callicritum;* Valesius emend. *Evercam*, ut sit nomen græcum; quod recepere Cler. et Crever. Sed ab εὑρεκὴς faciendum erat *Evercem*, ut *Demosthenem* et alia; Drak. *Callicratem* conj. Ursinus. Sed hic Achæus fuit; vide ad XLI, 23, n. 2.

7. *Dolopiæ bella intulit;* immo *bellum*, ex Gron. conject., nisi consulto fortasse, ut rem augeret, pluralem pro singulari posuerit Livius. Ed.

8. *Spe novarum tabularum*, etc. vide ad XXXII, 38, n. 3.

« opprimeret. Hæc quum vobis quiescentibus et pa-
« tientibus fecerit, et concessam sibi Græciam esse a
« vobis videat; pro certo habet, neminem sibi, ante
« quam in Italiam trajecerit, armatum occursurum.
« Hoc quam vobis tutum aut honestum sit, vos vide-
« ritis[9] : ego certe mihi turpe esse duxi, prius Persea
« ad bellum inferendum, quam me socium ad prædi-
« cendum, ut caveritis, venire in Italiam. Functus ne-
« cessario mihi officio, et quodam modo liberata atque
« exonerata fide mea, quid ultra facere possum, quam
« uti deos deasque precer, ut vos et vestræ reipublicæ,
« et nobis sociis atque amicis, qui ex vobis pendemus,
« consulatis? »

XIV. Hæc oratio movit Patres conscriptos. Cæterum in præsentia nihil, præterquam fuisse in curia regem, scire quisquam potuit: eo silentio clausa curia erat. Bello denique perfecto, quæque dicta ab rege, quæque responsa essent, emanavere. Persei deinde regis legatis post paucos dies senatus datus est[1]. Cæterum, præoccupatis non auribus magis, quam animis ab Eumene rege, omnis et defensio et deprecatio legatorum respuebatur; et exasperavit animos ferocia animi Har-

9. *Hoc quam vobis tutum aut honestum sit, vos videritis*, ut ὑμεῖς ὄψεσθε Act. Apost. XVIII, 15, et τί πρὸς ἡμᾶς; σὺ ὄψει Evang. Matth. XXVII, 4, vel σὸν δὲ εἰδῆσαι (judicare, exquirere), εἰ ὀρθῶς λέγω in procem. Theophr. Cf. Heins. ad Ovid. ex Ponto, I, 2, v. 9; Burm. ad Petron. Sat. VI, et Schleusn. Lex. N. T. voc. ὄπτομαι.

Cap. XIV. 1. *Senatus datus est legatis;* vide ad VIII, 5, n. 1. — *exasperavit animos ferocia animi* (immo *nimia;* Gronov.) *Harpali*, etc. Conf. Appian. Maced. IX, 2. — Frid. Jacobs. apud Goell. pag. 405, hanc lectionem ex duabus conflatam suspicatur, altera, *exasperavit animos ferocia Harpali;* altera, *exasperati animi ferocia Harpali.* Confert idem hunc Livii locum, XXXIII, 44, *ver sacrum ex decreto pontificum jussit fecere,* quod aliquot edd. exhibent, dum nostra ex codice Moguntino admiserit: *ver sacrum ex pontificum jussu fecere.* Hanc lectionum discrepantiam Jacobs. ita explicat: *Jussi* legendum esse dubitari nequit. Quum in cod. Mog. *decreto* abesset, *jussu* correxerunt. Ed.

pali, qui princeps legationis erat. Is, *velle quidem et laborare*, dixit, *regem, ut purganti, se nihil hostile dixisse aut fecisse, fides habeatur: cæterum, si pervicacius causam belli quæri videat, forti animo defensurum se. Martem communem esse*[2], *et eventum incertum belli.* Omnibus civitatibus Græciæ atque Asiæ curæ erat, quid Persei legati, quid Eumenes in senatu egisset; et propter adventum ejus, quem moturum aliquid rebantur, miserant pleræque civitates, alia in speciem præferentes, legatos. Et legatio Rhodiorum[3] erat, ac Satyrus princeps, haud dubius, quin Eumenes civitatem quoque suam Persei criminibus junxisset. Itaque omni modo per patronos[4] hospitesque disceptandi cum rege locum in senatu quærebat. Quod quum contigisset, libertate intemperantius invectus in regem, quod Lyciorum gentem adversus Rhodios concitasset, graviorque Asiæ esset, quam Antiochus fuisset; popularem quidem ac gratam[5] populis Asiæ (nam eo quoque jam favor Persei venerat) orationem habuit, cæterum invisam senatui, inutilemque sibi et civitati suæ. Eumeni vero conspiratio adversus eum, favorem apud Romanos fecit[6]. Ita omnes

2. *Martem communem esse*, etc. vide ad V, 12, n. 1.

3. *Et legatio Rhodiorum*, etc. ante hæc verba videtur deesse *inter cæteras*, aut simile quid; Gron. *Et legationis Rhodiorum erat Satyrus princeps*, conj. vir doctus laudatus a Drak., hic vero: *Et legatio Rhodiorum venerat ac S. p.*

4. *Per patronos* suos? an Rhodiorum? Conf. ad XXV, 29, n. 5. — *Quod quum contigisset*, ex Appian. l. l. forte leg. *non contigisset;* Duk. — *Libertate intemperantius invectus in regem;* vide ad XXIV, 22, not. 1. Ἀγανακτοῦντες (Harpalus et Satyrus) καὶ παῤῥησίᾳ χρώμενοι πλίον, Appian. l. l. qui tamen Satyro non coram cum rege in senatu disceptandi facultatem datam tradit. *Intemperanti* malebat Gron. Rationes, cur Eumenes Rhodiis fuerit invisus, tradit Polybius, XXVII, 6.

5. *Popularem ac gratam;* vide ad II, 8, n. 1.

6. *Favorem apud Romanos fecit;* forte *auxit:* jam enim ante satis erat favorabilis; Gron. Appianus l. l. dicit, legatos nimia dicendi libertate Romanos magis exasperasse adversus

ei honores habiti, donaque quam amplissima data, cum sella curuli atque eburneo scipione.

XV. Legationibus dimissis, quum Harpalus, quanta eximia[1] celeritate poterat, regressus in Macedoniam, nuntiasset regi, nondum quidem parantes bellum reliquisse se Romanos, sed ita infestos, ut facile appareret, non dilaturos; et ipse, præterquam quod et ita credebat futurum, jam etiam volebat, in flore virium se credens esse. Eumeni ante omnes infestus erat: a cujus sanguine[2] ordiens bellum, Evandrum Cretensem, ducem auxiliorum, et Macedonas tres, assuetos ministeriis talium facinorum, ad ædem regis subornat; literasque eis dat ad Praxo hospitam, principem auctoritate et opibus Delphorum. Satis constabat, Eumenem, ut sacrificaret Apollini, Delphos ascensurum[3]. Progressi cum Evandro insidiatores, nihil aliud ad peragendum inceptum, quam loci opportunitatem, omnia circumeuntes, quærebant. Ascendentibus ad templum a Cirrha, prius quam perveniretur ad frequentia ædificiis loca, maceria erat ab læva[4] semitæ

Persea Rhodiosque; multis tamen Patribus fuisse suspicionem, Eumenem invidia tantum privata ac metu auctorem tanti belli exstitisse.

Cap. XV. 1. *Quanta eximia*, immo *quanta maxima*; Gron.

2. *A cujus sanguine;* vide ad XL, 9, n. 7.

3. *Delphos ascensurum*, ut XXIX, 11, n. 3, et XLI, 22, n. 3. Conf. XLII, 42 pr. ubi Perseus idem fecisse dicitur. Nam incolæ urbis primum Lycoream in summo Parnasi vertice, ubi et templum Apollinis fuit, tenuere; et deinde degressi Delphos condiderunt in media montis parte. Conf. seqq. et Pausan. X, 6; Strab. IX, p. 288, al. 418, 637 sq. 648. Justin. XXIV, 6: *templum Apollinis positum est in monte Parnaso, in rupe undique impendente... media saxi rupes in formam theatri recessit... In hoc rupis anfractu, media ferme montis altitudine, planities exigua est, atque in ea profundum terræ foramen, quod in oracula patet.* Diodor. XVI, 26. Hinc Πυθὼν (priscum nomen Delphorum) πετρήεσσα apud Homer. Il. II, 519, et Δελφὶς πέτρα in Soph. Œd. R. 464. — *Progressi*, forte *prægressi;* Gronov. Id recepit Crever.

4. *Ascendentibus ad templum a Cirrha... maceria erat ab læva* parte *semitæ*, etc. vide ad I, 8, n. 5. Eumenes ἐκ Κίῤῥας ἐς Δελφοὺς ἀνέβαινε

paulum exstans a fundamento[5], qua singuli transirent; dextra pars labe terræ in aliquantum altitudinis diruta erat. Post maceriam se abdiderunt, gradibus adstructis, ut ex ea, velut e muro, tela in prætereuntem conjicerent. Primo a mari circumfusa turba amicorum ac satellitum procedebat; deinde extenuabant paulatim angustiæ agmen. Ubi ad eum locum ventum est, qua singulis eundum erat, primus semitam ingressus Pantaleon Ætoliæ princeps[6], cum quo institutus regi sermo erat. Tum insidiatores exorti saxa duo ingentia devolvunt; quorum altero caput ictum est regi, altero humerus sopitus[7]. Ex semita proclivi in declive multis super prolapsum jam saxis congestis, et cæteri quidem etiam amicorum et satellitum, postquam cadentem videre, diffugiunt: Pantaleon constanter impavidus mansit ad protegendum regem.

θύσων, καὶ αὐτῷ τέσσαρες ἄνδρες ὑπὸ τὸ τειχίον ὑποστάντες ἐπεβούλευον, Appian. l. l. *Cirrha* Phocidis opp. et navale Delphorum ad radices Parnassi situm, unde Delphos ascendebatur in via *LX* aut *LXXX* stadiorum; vid. Pausan. X, 37, n. 4, et Strab. l. l. Intpp. Frontin. III, 7, n. 6, et Poliæni Strat. VI, 13; Palmer. Græc. Ant. VI, 3, n. 4.

5. *Paulum exstans a fundamento;* vide ad XXV, 21, n. 3.—*Qua* parte *singuli transirent*, ut mox *qua singulis eundum erat*, sc. propter angustias semitæ. — *Dextra pars labe terræ* (vide ad II, 44, n. 5) *in aliquantum altitudinis diruta erat*, forte *derupta*, vel *desederat* (ut XXX, 2, 38; XXXII, 4); nam, quæ *diruuntur*, non *in altitudinem*, quasi specu et hiatu quodam, considunt, sed per planum disjiciuntur et disperguntur; Duk. — *Primo a mari circumfusa*, etc. pro *a mari* Gron. conj. *agmine*. Malim *Eumeni*. Sed nil muto: indicatur, quod jam alios observasse video, ascensus a Cyrrha, oppido maritimo, ad templum. Conf. Appian. et Pausan. ll. ll. ac supra not. 3 et 4, οἱ δὲ περὶ Δελφοὺς ἐνήδρευον, αἰσθόμενοι βαδίζοντα πρὸς τὸν θεὸν ἀπὸ θαλάσσης, Plut. περὶ φιλαδελφίας, Opp. tom. II, pag. 489.

6. *Pantaleon Ætoliæ princeps*, forte is, qui memoratur Polyb. XX, 9, et XXVIII, 4, ut pater aut avus IV, 57.

7. *Altero humerus sopitus* saxo; vide ad I, 41, n. 6. — *Ex semita proclivi in declive*, vel *proclive* redundat, vel *in declive;* Crev.—*Et cæteri quidem etiam;* forte *cæteri q. statim*, aut *ut cæteri quidem statim* seu *continuo*. Majorem interpunct. in fine cap. cum minori permutandam, et copulam *et* non ante *cæteri*, sed ante *latrones* in princ. cap. seq. ponendam

XVI. Latrones, quum brevi circumitu maceriæ decurrere ad conficiendum saucium possent, velut perfecta re, in jugum Parnasi[1] refugerunt eo cursu, ut, quum unus non facile sequendo per invia atque ardua moraretur fugam eorum, ne comprenso indicium emanaret, occiderint comitem. Ad corpus regis primo amici, deinde satellites ac servi concurrerunt, tollentes sopitum vulnere ac nihil sentientem[2]. Vivere tamen ex calore et spiritu remanente in præcordiis senserunt; victurum exigua ac prope nulla spes erat. Quidam ex satellitibus, sequuti latronum vestigia, quum usque ad jugum Parnasi, nequidquam fatigati, pervenissent, re infecta redierunt. Aggressi facinus Macedones, ut inconsulte, ita audacter cœptum, nec consulte et timide reliquerunt[3]. Compotem jam sui regem amici postero die deferunt ad navem; inde Corinthum : a Corintho, per Isthmi jugum navibus traductis, Æginam trajiciunt. Ibi adeo secreta ejus curatio fuit admittentibus neminem, ut fama mortuum in Asiam perferret. Attalus quoque celerius, quam dignum concordia fraterna erat[4], credidit. Nam et cum

putabat Jac. Periz. — Hujus loci sensus a Doeringio ita exponitur : Quum ex semita proclivi jam multa deorsum in prolapsum Eumenem saxa congesta essent, cæteri quidem tam amicorum quam satellitum, postquam viderunt cadentem, diffugiunt : sed Pantaleon, qui nunc quoque sibi constabat in tuenda impavidi animi laude, ad protegendum regem remansit. Ed.

Cap. XVI. 1. *In jugum Parnasi;* conf. ad cap. 15, n. 3. *Parnasi* omnes edd. ante Gronov. quæ scriptura est antiquior, ut Κηφισὸς, Κρίσα, Μεσήνη et al. Conf. ad Sil. XIII, 311, et Heyn. ad Homer. Il. II, 522, et ad Apollod. I, 7, n. 9, ubi in his non argutandum monet.

2. *Sopitum vulnere ac nihil sentientem;* vide ad I, 41, n. 6.

3. *Et timide reliquerunt;* vide ad XXXIV, 58, n. 1.—Walch. Emend. Liv. 123, ita hoc loco distingui jubet : *Aggressi facinus Macedones ut inconsulte ita audacter, cœptum nec consulte et timide*, etc. Sensum enim esse : Quod cœperant non minore stultitia quam audacia, id, postquam cœperant, non modo inconsulte, sed timide etiam reliquerunt. Ed.

4. *Celerius, quam dignum concordia fraterna erat* (vide ad XLII, 5,

uxore fratris et præfecto arci, tanquam jam haud dubius regni heres, est loquutus. Quæ postea non fefellere Eumenem; et, quanquam dissimulare et tacite habere id patique statuerat, tamen in primo congressu non temperavit, quin uxoris petendæ præmaturam festinationem fratri objiceret. Romam quoque fama de morte Eumenis perlata est.

XVII. Sub idem tempus C. Valerius ex Græcia[1], qui legatus ad visendum statum regionis ejus speculandaque consilia Persei regis missus erat, rediit; congruentiaque omnia criminibus ab Eumene allatis referebat. Simul et adduxerat secum Praxo a Delphis, cujus domus receptaculum latronum fuerat, et L. Rammium Brundisinum, qui talis indicii delator erat. Princeps Brundisii Rammius fuit; hospitio quoque et duces romanos omnes, et legatos exterarum quoque gentium insignes, præcipue regios, accipiebat. Ex eo notitia ei cum absente Perseo fuerat; literisque spem amicitiæ interioris magnæque inde fortunæ facientibus, ad regem profectus, brevi perfamiliaris haberi, trahique, magis quam vellet, in arcanos sermones est cœptus. Promissis enim ingentibus præmiis petere institit ab eo rex[2], *Quoniam duces omnes legatique*

n. 3), *credidit:* nam facile creditur, quod optatur. — *Nam et cum uxore fratris*, Stratonica (vid. XXXVIII, 39, n. 3), *est loquutus:* quin duxit quoque eam uxorem, seque regem creari passus est. Conf. Plut. Apophth. pag. 184, et περὶ φιλαδελφίας opp. t. II, pag. 489. Quo spectant et verba seqq. *qui uxoris petendæ præmaturam festinationem fratri objiceret.* — Cæterum uxorem illam fuisse Ariarathis Cappadociæ regis filiam monet Drakenb. Vid. Liv. ad XXXVIII, 39, et XLII, 29. Vocabatur autem Stratonice, Strab. XIII, p. 624, et Plut. de Frat. Am. p. 489. Ed. — *Tacite habere*, forte *tacitum;* Drak. Cf. I, 50, n. 7. — *Quin uxoris petendæ præmaturam festinationem.* Conf. Plut. Apophth. p. 184. Ed.

Cap. XVII. 1. *C. Val. ex Græcia*, *qui*, forte *quo;* Drak.—*L. Rammium Brundisinum*, etc. qui Ἐῤῥέννιος aut Ἐῤῥένιος dicitur Appiano Maced. Exc. IX, 4.

2. *Petere institit ab eo rex;* vide ad

romani hospitio ejus uti assuessent, quibus eorum ipse scripsisset, ut venenum dandum curaret. Cujus scire se comparationem plurimum difficultatis et periculi habere, pluribus consciis comparari. Eventu præterea incerto esse, ut aut satis efficacia[3] *ad rem peragendam, aut tuta ad rem celandam dentur. Se daturum, quod nec in dando, nec datum, ullo signo deprendi posset.* Rammius, veritus ne, si abnuisset, primus ipse veneni experimentum esset, facturum pollicitus proficiscitur; nec Brundisium ante redire, quam convento C. Valerio[4] legato, qui circa Chalcidem esse dicebatur, voluit. Ad eum primum indicio delato, jussu ejus Romam simul venit. Introductus in curiam, quæ acta erant, exposuit.

XVIII. Hæc ad ea, quæ ab Eumene delata erant, accessere, quo maturius hostis Perseus judicaretur; quippe quem non justum modo apparare bellum regio animo, sed per omnia clandestina grassari scelera latrociniorum ac veneficiorum cernebant. Belli administratio ad novos consules rejecta[1] est: in præsentia tamen Cn. Sicinium prætorem, cujus inter cives et peregrinos jurisdictio erat, scribere milites placuit, qui, Brundisium ducti, primo quoque tempore Apolloniam in Epirum trajicerentur ad occupandas maritimas urbes, ubi consul, cui provincia Macedonia obvenisset, classem appellere tuto, et copias per

XXIV, 26, n. 7. — *Cujus scire se... habere, pluribus consciis comparari. Eventu præterea*, etc. Walch. Emend. Liv. pag. 122, sic interpungit: *cujus scire se... habere. Pluribus consciis comparari; eventu præterea*, etc. Ita centies, ait, *præterea* ponitur, ut in membro, quod præcessit, reticeatur *primo*. Ed.

3. *Aut satis efficacia*, etc. forte leg. *efficax, tutum, detur*: saltem delend. τὸ *rem* posteriore loco; Gronov. quem non improbat Drakenb. coll. Cic. de Invent. II, 30. Ed.

4. *Quam convento C. Valerio*; vid. XXX, 43, n. 4.

Cap. XVIII. 1. *Ad novos coss. rejecta*; vide ad II, 22, n. 4.

commodum exponere[2] posset. Eumenes, aliquamdiu Æginæ retentus periculosa et difficili curatione, quum primum tuto potuit, profectus Pergamum, præter pristinum odium recenti etiam scelere Persei stimulante, summa vi parabat bellum. Legati eo ab Roma, gratulantes quod e tanto periculo evasisset, venerunt. Quum Macedonicum bellum in annum[3] dilatum esset, cæteris prætoribus jam in provincias profectis, M. Junius et Sp. Lucretius, quibus Hispaniæ provinciæ obvenerant, fatigato sæpe idem petendo senatu, tandem pervicerunt, ut supplementum sibi ad exercitum daretur tria millia peditum, centum et quinquaginta equites in romanas legiones : in socialem exercitum quinque millia peditum et trecentos equites imperare sociis jussi. Hoc copiarum in Hispanias cum prætoribus novis portatum est.

XIX. Eodem anno, quia per recognitionem Postumii consulis magna pars agri Campani, quem privati sine discrimine passim possederant, recuperata in publicum[1] erat, M. Lucretius tribunus plebis promulgavit, ut agrum Campanum censores fruendum locarent[2] : quod factum tot annis post captam Capuam non fuerat, ut in vacuo[3] vagaretur cupiditas privatorum. Quum in exspectatione senatus esset, bello etsi non indicto, tamen jam decreto, qui regum suam,

2. *Per commodum exponere ;* vide ad XXX, 29, n. 3.

3. *In annum*, sc. proximum, ut sup. *ad novos coss.*

Cap. XIX. 1. *Recuperata in publicum ;* vide ad II, 9, n. 4. — *Tribunus plebis promulgavit*, post *plebis* excidit *legem ;* Drak. — Observat tamen Doering. passim *promulgare* simpliciter poni ; v. c. apud Cic. pro Sext. cap. 32 : *de meo reditu octo tribuni promulgarunt.* Ed.

2. *Agrum C. censores fruendum locarent ;* vide ad XXVII, 3, n. 1. — *Quod factum tot annis*, etc. immo biennio post ; vide ad XXVII, 3 et 11. Sed deinde videtur intermissum fuisse ; Duk.

3. *In vacuo*, vacante agro, qui sine domino esse videbatur. Conf.

Persei qui sequuturi amicitiam essent, legati Ariarathis, puerum filium regis secum adducentes, Romam venerunt. Quorum oratio fuit, *regem educandum filium Romam misisse, ut jam inde a puero assuesceret moribus romanis hominibusque. Petere, ut eum non sub hospitum modo privatorum custodia, sed publicæ etiam curæ ac velut tutelæ vellent esse.* Ea regis legatio grata senatui fuit. Decreverunt, ut Cn. Sicinius prætor ædes instructas[4] locaret, ubi filius regis comitesque ejus habitare possent. Et Thracum legatis, apud se disceptantibus et societatem amicitiamque petentibus, et, quod petebant, datum est, et munera binum millium æris summæ in singulos missa. Hos utique populos, quod ab tergo Macedoniæ Thracia esset, assumptos in societatem gaudebant. Sed ut in Asia quoque et insulis explorata omnia essent, Ti. Claudium Neronem, M. Decimium legatos[5] miserunt. Adire eos Cretam et Rhodum jusserunt, simul renovare amicitiam, simul speculari, num sollicitati animi sociorum ab rege Perseo essent.

XX. In suspensa civitate ad exspectationem[1] novi belli, nocturna tempestate columna rostrata in Capitolio* bello Punico consulis, cui collega Ser. Fulvius

Intpp. Suet. Claud. 9 extr. — *Filium regis*, non genuinum quidem, sed illi subditum ab uxore regis Antiochide diu sterili; quod vero infra fusius narratum reperies, lib. XLVII, cap. 14; ex Diodor. lib. XXXI depromptum. Ed.

4. *Ædes instructas*, instruendas, instructas præbendas, *locaret*, omnigena supellectile a redemptoribus instrui curaret; Drak. Conf. ad V, 23, n. 6, et VI, 5, n. 3. — *Munera binum millium æris summæ in singulos missa;* vid. cap. 6, n. 6. Vox *summa* abest aliis locis, quibus vel de hac re, vel de pecunia in ærarium a triumphantibus illata, vel de præmiis publice datis agitur; Duk. — Cæterum hanc summam æquiparat Crev. marcis argenti Paris. 3, cum uncia 1. Ed.

5. *Legatos miserunt;* conf. cap. 36, et Appian. Maced. IX, 2, 3.

Cap. XX. 1. *Suspensa ad exspectationem;* vide ad II, 54, n. 12. Mox Sigon. lacunam ita explet: *in Capitolio bello Punico priore posita a M. Æmi-*

fuit, tota ad imum fulmine discussa est. Ea res, prodigii loco habita, ad senatum relata est. Patres ad haruspices referre, et decemviros adire libros[2] jusserunt. Decemviri, lustrandum oppidum[3], supplicationem obsecrationemque habendam, victimis majoribus sacrificandum et in Capitolio Romæ, et in Campania ad Minervæ promontorium, renuntiarunt; ludos per decem dies Jovi Optimo Maximo primo quoque die faciendos: ea omnia cum cura facta. Haruspices, in bonum versurum[4] id prodigium, prolationemque finium et interitum perduellium[5] portendi, responderunt; quod ex hostibus spolia fuissent ea rostra, quæ tempestas disjecisset. Accesserunt, quæ cumularent religiones animis. Saturniæ, nuntiatum erat, sanguine per triduum in oppido pluisse: Calatiæ asinum tripedem natum, et taurum cum quinque vaccis uno ictu fulminis exanimatos: Auximi terra pluisse. Horum quoque prodigiorum causa res divinæ factæ, et supplicatio unum diem feriæque habitæ.

lio consule, cui, etc. et Pigh. *in Capitolio M. Æmilii, priore bello Punico consulis.* — Cæterum hujus columnæ rostratæ nulla alia exstat memoria, ut jam Crever. vidit. Triumphasse illos consules de Pœnis et Cossurensibus Fasti Capit. testes sunt. Vide supra ad XVIII, cap. 41. Ed.

2. *Decemviros adire libros;* vide ad III, 10, n. 6.

3. *Lustrandum oppidum;* vide ad XXXIX, 22, n. 3. Ed. — *Oppidum* quoties simpl. memoretur, intelligendum esse Romam antiquam Romuli vel quadratam, in monte Palatino et X regione Urbis conditam, docet Scaliger in Append. conjectan. in Varr. Ling. Lat. p. 185. Ita *oppidum* accipi posse XLV, 16, n. 5; sed h. l. et cap. 36 pr. de tota Urbe dici, monet Drak. — *Supplicationem obsecrationemque;* vide ad III, 63, n. 2. — *Sacrificandum et... Romæ et in Campania*, etc. vide ad XXII, 1, n. 25.

4. *In bonum versurum;* vide ad II, 3, n. 2.

5. *Interitum perduellium;* vide ad I, 26, n. 4. — *Ex hostibus spolia*, hostilia; vide ad XXXV, 32, n. 3. — *Accesserunt* prodigia, *quæ cumularent religiones animis;* vide ad V, 23, n. 8. — *Sanguine per triduum*, etc. vide ad I, 31, n. 1. — *Auximi terra pluisse;* hujus urbis nomen Oximum olim scribebatur. Sed, ut notat Drak. XLI, 22, § 12, verum ejus nomen Auximum esse, monuit Cluv. Ital. Ant. II, pag. 737. Vide etiam Cellar.

XXI. Consules ad id tempus in provincias non exierant[1], quia neque, uti de M. Popillio referrent, senatui obsequebantur, et nihil aliud decernere prius statutum Patribus erat. Aucta etiam invidia est Popillii literis ejus, quibus iterum cum Statiellatibus Liguribus proconsul pugnasse se scripsit, ac se decem millia eorum occidisse: propter cujus injuriam belli cæteri quoque Ligurum populi ad arma ierunt. Tum vero non absens modo Popillius, qui deditis contra jus ac fas bellum intulisset, et pacatos ad[2] rebellium incitasset, sed consules, quod non exirent in provinciam, in senatu increpiti. Hoc consensu Patrum accensi M. Marcius Sermo et Q. Marcius Scylla, tribuni plebis, et consulibus mulctam se dicturos, nisi in provinciam exirent, denuntiarunt, et rogationem, quam de Liguribus deditis promulgare in animo haberent, in senatu recitarunt. Sanciebatur, *ut qui ex*[3] *Statiellis deditis in libertatem restitutus ante Calendas Sextiles primas non esset, cujus dolo malo is in servitutem venisset, ut juratus senatus decerneret*[4], *qui eam*[5] *rem*

Geogr. Ant. II, 3, p. 479. Corrupta lectio *Oximum* formata videtur ex ejus nomine hodierno *Osimo*, vel *Osmo*. Ed.

Cap. XXI. 1. *Consules in provincias non exierant*, immo *in provinciam*, quod mox bis dicitur, et cap. 22 pr. nam una fuit provincia, Liguria, ambobus consulibus decreta; vid. cap. 10. — *Uti de M. Popillio referrent*, etc. cf. cap. 10.—*Proconsul pugnasse*, etc. forte *pro consule pugnasse se scripsit, ac sedecim millia*, etc. Jac. Periz.

2. *Pacatos ad rebellium*, pro vulgari *rebellionem*, ut *contagium* et *contagio*, *consortium* et *consortio*, *oblivium* et *oblivio*, *obsidium* et *obsidio*; Gron. Mox cognomina *Sermo* et *Scylla* a librariis forte depravata, sed, quia plane incertum est, quid pro iis substitui debeat, potius relinquenda, ut multa locorum hominumque nomina, quæ alibi non occurrunt; Drak. Conf. ad III, 50, n. 1. *Ralla* pro *Scylla* conj. Pigh.

3. *Ut qui ex Statiellis*, etc. pro *ut si quis ex St.* — *Ante Calendas Sextiles primas*, proximas. — *In servitutem venisset*, immo *in servitute mansisset*; Gron.

4. *Ut juratus senatus decerneret*; vide ad XXVI, 33, n. 9. De iteratione particulæ *ut* vide ad XXII, 11, n. 2.

5. *Qui eam rem quæreret animadverteretque*, cognosceret, vel potius

quæreret animadverteretque. Ex auctoritate deinde senatus eam rogationem promulgarunt. Prius quam proficiscerentur consules, C. Cicereio prætori prioris anni ad ædem Bellonæ senatus datus est. Is, expositis, quas in Corsica res gessisset, postulatoque frustra triumpho, in monte Albano, quod jam in morem venerat, ut sine publica auctoritate fieret, triumphavit. Rogationem Marciam de Liguribus magno consensu plebes scivit jussitque. Ex eo plebiscito C. Licinius prætor consuluit senatum, quem quærere ea rogatione[6] vellet. Patres ipsum eum quærere jusserunt.

XXII. Tum demum consules in provinciam profecti sunt, exercitumque a M. Popillio ceperunt[1]. Neque tamen M. Popillius reverti Romam audebat, ne causam diceret, adverso senatu, infestiore populo, apud prætorem, qui de quæstione in se posita senatum consuluisset. Huic detrectationi ejus tribuni plebis alterius rogationis denuntiatione occurrerunt: ut, si non ante Idus Novembres in urbem Romam introisset, de absente eo C. Licinius statueret ac judicaret. Hoc tractus vinculo[2] quum redisset, ingenti cum invidia in senatum venit. Ibi quum laceratus jurgiis

puniret; ut *animadvertere peccata* apud Cic. Rosc. Am. 40. Res malæ seu peccata puniri solent, postquam animadversa sunt et cognita.

6. *Quærere ea rog.* (ut XXXVIII, 55, et *causam dicere lege* XXXIX, 6; XLII, 22) ex emend. Drak. pro *quærere ex r.*

Cap. XXII. 1. *Exercitumque a M. P. ceperunt;* leg. *acceperunt;* Gron.— Hanc emendationem omnino probat Drak. coll. lib. XXXII, cap. 1: *Lentulus consul novas legiones scribere jussus; Villius a P. Sulpicio exercitum accipere.* Eodem libro, cap. 9, *exercitumque ab L. Lentulo acceptum prætori tradidit;* XXXVII, 11, *ad eum exercitum, quem a M'. Acilio acceptur esset.* Nihil in Nostro frequentius. Sic etiam Curt. III, 3, *ut omnes peregrinos milites... a Pharnabazo acciperet.* Ed. — *Quæstione in se posita;* vide ad XXI, 45, n. 4.

2. *Hoc tractus vinculo*, hac adductus necessitate, vel causa, eum cogente; ut passim *vinculum* dicitur ratio, ob quam aliquid vel facimus vel omittimus. Metaphora hoc loco desumpta ab eo, qui vinculis constrictus attrahitur.

multorum esset, senatusconsultum factum est, ut, qui Ligurum post Q. Fulvium, L. Manlium consules hostes non fuissent, ut eos C. Licinius, Cn. Sicinius prætores in libertatem restituendos curarent, agrumque iis trans Padum consul C. Popillius daret. Multa millia hominum hoc senatusconsulto restituta in libertatem, transductisque Padum ager est assignatus. M. Popillius rogatione Marcia bis apud C. Licinium causam dixit: tertio prætor, gratia consulis absentis et Popilliæ familiæ precibus victus, Idibus Martiis adesse reum jussit[3], quo die novi magistratus inituri erant honorem; ne diceret jus, qui privatus futurus esset. Ita rogatio de Liguribus arte fallaci elusa est.

XXIII. Legati carthaginienses eo tempore Romæ erant et Gulussa filius Masinissæ. Inter eos magnæ contentiones in senatu fuere. Carthaginienses querebantur, *præter agrum, de quo ante legati*[1] *ab Roma, qui in re præsenti cognoscerent, missi essent, amplius septuaginta oppida castellaque agri carthaginiensis biennio proximo Masinissam vi atque armis possedisse*[2]. *Id illi, cui nihil pensi sit, facile esse: Carthaginienses fœdere illigatos silere; prohiberi enim extra fines efferre arma. Quanquam sciant, in suis finibus, si inde Numidas pellerent, se gesturos bellum: illo*

3. *Idibus Martiis adesse reum jussit;* vide ad III, 14, n. 6. — *Elusa est;* vide ad XXXIX, 6, n. 5.

Cap. XXIII. 1. *Præter agrum, de quo ante legati,* etc. vide ad XL, 17, ibique n. 1. — *In re præsenti;* vide ad XXXIV, 62, n. 7.

2. *Vi atque armis possedisse;* vide ad XXIV, 45, n. 6. — *Cui nihil pensi sit,* ut XLIII, 7; nihil, cujus ratio in agendo habenda, quod ipsi expendendum sit, et quo prohiberi possit. — *Carthaginienses fœdere illigatos silere;* conj. *sedere* Frider. Jacobs. apud Goell. pag. 389, laudatis Liv. III, 68, VII, 3, XXII, 14, XXXV, 34, et Senec. Troad. v. 211. Observat enim, nec immerito, eos qui arma extra fines prohibentur efferre, non propterea ad silentium adactos videri posse. Et tantum abfuit ut *silerent* Carthaginienses, ut potius graviter de injuria ipsis illata conquererentur. Ed.

haud ambiguo capite fœderis deterreri[3], *quo diserte vetentur cum sociis populi romani bellum gerere. Sed jam ultra superbiam crudelitatemque et avaritiam ejus non pati posse Carthaginienses. Missos esse, qui orarent senatum, ut trium harum rerum unam ab se impetrari sinerent: ut vel ex æquo apud socium populum, quid cujusque esset, disceptarent; vel permitterent Carthaginiensibus, ut adversus injusta arma pio justoque se tutarentur bello*[4]*; vel ad extremum, si gratia plus, quam veritas, apud eos valeret, semel statuerent, quid donatum ex alieno Masinissæ vellent. Modestius certe daturos eos, et sciituros, quid dedissent: ipsum nullum, præterquam suæ libidinis arbitrio, finem facturum. Horum si nihil impetrarent, et aliquod suum post datam a P. Scipione pacem delictum esset, ipsi potius animadverterent in se. Tutam servitutem se sub dominis romanis, quam libertatem expositam ad injurias Masinissæ, malle. Perire namque semel ipsis satius esse, quam sub acerbissimi carnificis arbitrio spiritum ducere.* Sub hæc dicta lacrymantes procubuerunt; stratique humi non sibi magis misericordiam, quam regi[5] *.

XXIV. Interrogari Gulussam placuit, quid ad ea responderet, aut, si prius mallet, expromeret, super qua re Romam venisset. Gulussa, *Neque sibi facile esse*, dixit, *de iis rebus agere, de quibus nihil mandati a patre haberet; neque patri facile fuisse mandare, quum Carthaginienses, nec de qua re acturi*

3. *Prohiberi extra fines efferre arma... capite fœderis deterreri*, etc. vide ad XXX, 37.—*Missos esse*, forte *missos sese*; Gron. aut *sese missos esse*; Drak.

4. *Pio justoque se t. bello*; vide ad I, 22, n. 6. — *Quam veritas*; vide ad II, 48, n. 2. — *Modestius*; vide ad V, 6, n. 7.

5. *Non sibi magis misericordiam, quam regi*: adjiciendum forte *invidiam concitarunt*; Sigon.

essent, nec omnino ituros se Romam, indicaverint. In æde Æsculapii clandestinum eos per aliquot noctes consilium principum habuisse, unde præterea legatos occultis cum mandatis Romam mitti[1]. *Eam causam fuisse patri mittendi se Romam, qui deprecaretur senatum, ne quid communibus inimicis criminantibus se crederent, quem ob nullam aliam causam, nisi propter constantem fidem erga populum romanum, odissent.* His utrumque auditis, senatus, de postulatis Carthaginiensium consultus, respondere ita[2] jussit: *Gulussam placere extemplo in Numidiam proficisci, et nuntiare patri, ut de iis, de quibus Carthaginienses querantur, legatos quam primum ad senatum mittat; denuntietque Carthaginiensibus, ut ad disceptandum veniant. Si aliquid possent Masinissæ honoris causa, et fecisse et facturos esse: jus gratiæ non*[3] *dare. Agrum, qua cujusque sit, possideri velle; nec novos statuere fines, sed veteres observari, in animo habere. Carthaginiensibus victis se et urbes, et agros concessisse; non ut in pace eriperent per injuriam, quæ jure*

Cap. XXIV. 1. *Unde præterea legatos occultis cum mandatis Romam mitti*, locus lacer. *Placuit* addendum putabat vir doctus ad marg. ed. Cur. *inde se nihil audisse, præterquam legatos*, etc. Cler. *inde nihil emanasse, præterquam legatos*, etc. Drak.—Audacter, sed non satis probabiliter hunc locum Doer. ita refingit: *patrem comperisse tantum: in æde Æsculapii... unde præsentes legatos... mitti placuit.* Ed.

2. *Respondere ita jussit*, sc. prætorem urbanum (nam consules erant absentes), vel eum qui senatum consuluerat: nisi leg. *responderi*; Drak.

3. *Jus gratiæ non dare*: ex eo quod Pœni, cap. 23, in senatu dicunt, *si gratia plus, quam veritas, apud eos valeret*, patet, sententiam horum verborum esse, plus apud se jus valiturum, quam gratiam; se gratiæ causa non violaturos jus, aut cuiquam jus negaturos; omnia juri, nihil gratiæ daturos esse; Duk. — Hæc verba, *jus gratiæ non dare*, obscuritate laborant, quæ evanescet, si legeris cum Frid. Jacobs. apud Goell. pag. 400, *jus gratiæ non prodere*, et h. l. sensus fiet: Et tum gratiam, qua Masinissa apud Romanos floreret, non tantum valituram, ut propterea jus prodere atque violare sustinerent. Ed.—*Veteres observari*, immo *observare*; Gronov. Conf. tamen Drak. ad III, 51, n. 2. — *Regulus*; vide ad I, 39, n. 2.

belli non ademissent. Ita regulus Carthaginiensesque dimissi. Munera ex instituto data[4] utrisque, aliaque hospitalia comiter conservata.

XXV. Sub idem tempus Cn. Servilius[1] Cæpio, Ap. Claudius Centho, T. Annius Luscus legati, ad res repetendas in Macedoniam renuntiandamque amicitiam regi[2] missi, redierunt; qui jam sua sponte infestum Persi senatum insuper accenderunt, relatis ordine, quæ vidissent, quæque audissent. *Vidisse se per omnes urbes Macedonum summa vi parari bellum. Quum ad regem pervenissent, per multos dies conveniendi ejus potestatem non factam; postremo, quum desperato jam colloquio profecti essent, tum demum se ex itinere revocatos, et ad eum introductos esse. Suæ orationis summam fuisse: fœdus, cum Philippo ictum, cum ipso eo post mortem patris renovatum; in quo diserte prohiberi eum, extra fines arma efferre; prohiberi, socios populi romani lacessere bello. Exposita deinde ab se ordine, quæ ipsi nuper in senatu Eumenem vera omnia et comperta referentem*

4. *Munera ex instituto data;* vide ad cap. 6, n. 6. — *Aliaque hospitalia*, sc. jura, quæ sunt loca, lautia et quæ plura hospitii et honoris causa iisdem tribui mos erat; Duk. — *Comiter;* vide ad XXV, 12, n. 7. — *Conservata*, forte *servata*, ut XLV, 20; vel *observata;* Drak.

Cap. XXV. 1. *Cn. Servilius Cæpio*, etc. hanc legationem, et quidem de tanta re, in Macedoniam missam fuisse, nusquam in superioribus dixit: sed si hi legati ea, quæ iis tribuit, in senatu loquuti sunt, apparet, eos post Eumenis adventum in Urbem missos fuisse; Duk. — *Ap. Claudius Centho*, non vero *Cento*, quod quædam veteres editiones perperam exhibent. Conf. Drakenb. ad XXII, 34, § 1. Ed.

2. *Ad res repetendas renuntiandamque amicitiam regi;* vide ad I, 22, n. 5, et XXV, 18, n. 5. — *Persi* MS et vett. edd. ante Paris. 1573, pro *Perseo*, ut cap. 49, 52, XLIII, 7, 8, XLV, 19, et *Perse* mox cap. 26. Etenim et *Perses* et *Persa* dicimus, non tantum *Perseus*, a quo et patrio casu *Persi*, ut *Achilli, Ulyssi, Euripidi, Sophocli, Theodecti, Mithridati, Themistocli, Aristoteli, Theophani, Ariobarzani;* Gronovius. Cæterum conferatur Drakenborch. ad hunc locum; Cort. ad Sallust. pag. 934; Heyn. ad Virg.

audissent. Samothracæ præterea per multos dies occultum consilium cum legationibus civitatium Asiæ regem habuisse. Pro his injuriis satis fieri, senatum æquum censere, reddique sibi res sociisque suis, quas contra jus fœderis habeat. Regem ad ea primo accensum ira inclementer loquutum, avaritiam superbiamque Romanis objicientem frequenter; quod alii super alios legati venirent speculari[3] *dicta factaque sua, quod se ad nutum imperiumque eorum omnia dicere ac facere æquum censerent. Postremo, multum ac diu vociferatum, reverti postero die jussisse. Scriptum se responsum dare velle. Tum ita sibi scriptum traditum esse: Fœdus, cum patre ictum, ad se nihil pertinere. Id se renovari, non quia probaret, sed quia in nova possessione regni patienda omnia essent, passum. Si novum fœdus secum facere vellent, convenire prius de conditionibus debere; et, si in animum inducerent, ut ex æquo fœdus fieret, et se visurum, quid sibi faciundum esset, et illos credere reipublicæ consulturos. Atque ita se proripuisse, et submoveri e regia omnes cœptos. Tum se amicitiam et societatem renuntiasse. Qua voce eum accensum restitisse, atque voce clara denuntiasse sibi, ut triduo regni sui decederent finibus. Ita se profectos; nec sibi, aut venientibus, aut manentibus, quidquam hospitaliter aut benigne factum.* Thessali deinde Ætolique legati auditi. Senatui, ut scirent quam primum, quibus ducibus usura respublica esset, literas mitti consulibus pla-

Æn. I, 30, 220; II, 7. — *Samothracæ*, alii *Samothraciæ*; et quidem hæc forma infra occurrit cap. 50 med. *Samothraciam aliamve quam insulam petere ab Romanis.* Sic etiam XLV, 2 med. *existimari Samothraciam petiturum.* At in omnibus veteribus edd. legitur *Samothracæ*; quam lectionem multis Livii locis et ipsam firmari probat Drak. ad h. l. Ed.

3. *Legati venirent speculari*, forte *speculaturi.* Illa dictio frequens, sed, ni fallor, poetis tantum, Græca exprimentibus.

cuit, ut, uter eorum posset, Romam ad magistratus creandos veniret.

XXVI. Nihil magnopere, quod memorari attineat, reipublicæ eo anno consules gesserant. Magis e republica visum erat, comprimi ac sedari exasperatos Ligures. Quum Macedonicum bellum exspectaretur, Gentium quoque Illyriorum regem suspectum Issenses legati fecerunt, simul questi, fines suos secundo populatum, simul nuntiantes, *uno animo vivere Macedonum atque Illyriorum regem; communi consilio parare Romanis bellum; et specie legatorum Illyrios speculatores Romæ esse, Perse auctore missos*[1], *ut, quid ageretur, scirent.* Illyrii vocati in senatum. Qui quum legatos se esse missos ab rege dicerent ad purganda crimina, si qua de rege Issenses deferrent; quæsitum, ecquid[2] ita non adissent magistratum, ut ex instituto loca, lautia, acciperent? sciretur denique venisse eos, et super qua re venissent? Hæsitantibus in responso, ut curia excederent, dictum. Responsum, tanquam legatis, ut qui adire senatum non postulassent, dari non placuit; mittendosque ad regem legatos censuerunt, qui nuntiarent, *qui socii quererentur*[3] *apud senatum, exustum a rege agrum. Non æquum eum facere, qui ab sociis suis non abstineret injuriam.* In hanc legationem missi A. Terentius Varro, C. Plætorius, C. Cicereius. Ex Asia[4], qui circa socios reges missi erant, legati redierunt, qui renuntiarunt,

Cap. XXVI. 1. *Perse auctore missos;* ita edd. vett. Curio deinde *Perseo auctore* substituit, et reliqui servarunt; sed vide ad cap. 25, n. 2.

2. *Ecquid* (pro *quid*, et hoc pro *cur*) *ita* (si res ita se haberet) *non adissent... loca, lautia a.* vide ad I, 9, n. 3, et XXVIII, 39, n. 8. — *Tanquam legatis, ut qui*, etc. immo *t. legatis iis, qui;* Crev.

3. *Qui socii quererentur*, etc. potius *quod* (quoniam) *socii quererentur a. s., exustum a r. agrum, non*, etc. Gron. *Quia socii* conj. Jac. Periz.

4. *Ex Asia, qui circa*, etc. conf. cap. 19, et ibi n. 5.

Eumenem in ea[5], *Antiochum in Syria, Ptolemæum in Alexandria sese convenisse. Omnes sollicitatos legationibus Persei, sed egregie in fide permanere, pollicitosque omnia, quæ populus romanus imperasset, præstaturos. Et civitates socias adisse: cæteras satis fidas; solos Rhodios fluctuantes et imbutos Persei consiliis invenisse.* Venerant Rhodii legati ad purganda ea, quæ vulgo jactari de civitate sciebant: cæterum senatum iis dari[6], quum novi consules magistratum inissent, placuit.

XXVII. Belli apparatum non differendum censuerunt. C. Licinio prætori negotium datur, ut ex veteribus quinqueremibus, in navalibus Romæ[1] subductis, quæ possent usui esse, reficeret, pararetque naves quinquaginta. Si quid ad eum numerum explendum deesset, C. Memmio collegæ in Siciliam scriberet, ut eas, quæ in Sicilia naves essent, reficeret atque expediret, ut Brundisium primo quoque tempore mitti possent. Socios navales libertini ordinis[2] in viginti et quinque naves ex civibus romanis C. Licinius prætor scribere jussus: in quinque et viginti parem numerum Cn. Sicinius sociis imperaret: idem prætor peditum octo millia, quadringentos equites a sociis latini nominis exigeret. Hunc militem qui Brundisii acciperet, atque in Macedoniam mitteret, A. Atilius Serranus, qui priore anno prætor fuerat, deligitur: Cn. Sicinius prætor, qui exercitum paratum[3] ad trajiciendum ha-

5. *Eumenem in ea*, scilic. Asia, Pergami. — *In Alexandria*, scribe *Alexandriæ;* Gron. Conf. XXXVIII, 39, n. 4. Mox forte leg. *civitates socias adisse se* vel *sese*. Sed hoc pron. etiam ex præoc. suppleri potest.

6. *Senatum iis dari;* vide supra ad VIII, 5, n. 1.

Cap. XXVII. 1. *Veteribus quinqueremibus, in navalibus Romæ subductis;* vide ad III, 26, n. 6, et VIII, 26, n. 1.

2. *Socios navales lib. ord.* conf. ad XL, 18, et ad IX, 38, n. 1.

3. *Qui exercitum paratum*, scribe *quo* pro *qui;* Gron. Sed *qui*, æque ac

beret. C. Popillio consuli ex auctoritate senatus C. Licinius prætor scribit, ut et legionem secundam, quæ maxime veterana in Liguribus erat, et socios latini nominis, quatuor millia peditum, ducentos equites, Idibus Februariis Brundisii adesse juberet. Hac classe et hoc exercitu Cn. Sicinius provinciam Macedoniam obtinere, donec successor veniret, jussus, prorogato in annum imperio. Ea omnia, quæ senatus censuit, impigre facta sunt. Duodequadraginta quinqueremes ex navalibus deductæ: qui deduceret eas Brundisium, L. Porcius Licinius præpositus: duodecim ex Sicilia missæ. Ad frumentum classi exercituique coemendum in Apuliam Calabriamque tres legati missi, Sex. Digitius, T. Juventius, M. Cæcilius. Ad omnia præparata Cn. Sicinius prætor, paludatus ex Urbe profectus, Brundisium venit.

XXVIII. Exitu prope anni C. Popillius consul Romam rediit aliquanto serius, quam senatus censuerat; cui primo quoque tempore magistratus creare, quum tantum bellum immineret, jussum erat[1]. Itaque non

quo, pro *ut* poni, monet Drakenb.— *Et socios latini nominis, q. m. ped.*, etc. legi jussit Gron. *socium*. Sed nihil videtur Crev. et Drak. mutatione opus esse. Hoc loco, ut jam alibi, per epexegesim loquutus est Livius. Vid. Duk. ad XXXV, 20, § 5, et Sanctii Min. IV, 8, ut et Periz. ad h. l. Ed.

Cap. XXVIII. 1. *Cui primo quoque tempore magistratus creare jussum erat;* usus loquendi dictat: *quem creare jussum erat*, vel *quippe primo quoque tempore magistratus creare jussus erat;* Gron. *Qui* (consul) *creare jussus erat*, et *cui* (senatui) *creari visum erat* emend. Crev. et *qui* (senatus) *creari jusserat* Periz. *Creari* edd. ante Vascos. *Creari pulsuerat* MS Vindob. unde *creari placuerat* vel *perlibuerat* conj. Oudend. ad Suet. Vesp. 23. Verbum *jubere* infinitivo activo passim jungi, sed intellecto accusativo eorum, qui jubentur, docet Drakenb. ad XXVII, 24, n. 3; vid. et Burmann. ad Virgil. Æn. II, 3, et Ern. ad Tacitum, Hist. I, 38. Locutionem *jubere alicui* solœcam esse et in optimis scriptoribus vel nunquam vel rarissime saltem obviam, contendunt Gron. ad XXVII, 24; Duk. ad XXIII, 21, XXVI, 41, XXVII, 24; Drak. ad XXVII, 24, XXXII, 16; Burm. ad Petron. cap. 71; Cort. ad Sall. Jug. 84; intpp. Suet. Vesp.

secundis auribus Patrum auditus[2] est consul, quum in æde Bellonæ de rebus in Liguribus gestis dissereret[3]. Subclamationes frequentes erant interrogationesque, cur scelere fratris oppressos Ligures in libertatem non restituisset? Comitia consularia, in quam edicta erant diem, ante diem duodecimum Calendas Martias sunt habita. Creati consules, P. Licinius Crassus, C. Cassius Longinus. Postero die prætores facti C. Sulpicius Galba, L. Furius Philus, L. Canuleius Dives, C. Lucretius Gallus, C. Caninius Rebilus, L. Villius Annalis. His prætoribus provinciæ decretæ: duæ jure Romæ dicendo[4], Hispania et Sicilia et Sardinia; ut uni sors integra esset, quo senatus[5] censuisset. Consulibus designatis imperavit senatus, ut, qua die magistratum inissent, hostiis majoribus rite maetatis, precarentur, ut, quod bellum populus romanus in animo haberet gerere, ut id prosperum eveniret. Eodem die decrevit senatus[6], C. Popillius consul ludos per dies decem Jovi Optimo Maximo voveret, donaque circa omnia pulvinaria dari, si respublica decem annos in eodem statu fuisset. Ita ut censuerant, in Capitolio vovit consul ludos fieri, donariaque dari, quanta ex pecunia decresset senatus, quum centum et quinquaginta non minus adessent[7]. Præeunte

23, et alii. Contra vero Periz. ad Sanctii Min. II, 4, n. 6, et Scheller in Lex. Lat. monent, illa et plura ejusmodi loca non temere solicitanda videri. Cf. XXVII, 16, n. 3; XXX, 34, n. 7; XLII, 43, n. 4; ad Tacit. Ann. XIII, 15, n. 4; Ern. Clav. Cic.

2. *Secundis auribus P. auditus;* vid. II, 38, n. 3.

3. *In æde Bellonæ... dissereret;* vide ad XXVI, 21, n. 1.

4. *Duæ jure Romæ dicendo;* vide ad librum XXII, cap. 35, not. 5.

5. *Quo senatus censuisset;* vide ad XXVII, 22, n. 2. — *Precarentur, ut... ut id p. eveniret;* vide ad XXII, 11, n. 2.

6. *Eodem die decrevit senatus*, ut (quod excidisse putabat Creverius) *C. Popillius consul ludos*, etc. vide ad XXVII, 33, n. 4.

7. *Decresset senatus, quum CL Patres non minus adessent;* vide ad II, 23, n. 9.

verba Lepido pontifice maximo, id votum susceptum est. Eo anno sacerdotes publici mortui, L. Æmilius Papus decemvir sacrorum, et Q. Fulvius Flaccus pontifex, qui priore anno fuerat censor; hic fœda morte periit. Ex duobus filiis ejus, qui tum in Illyrico militabant, nuntiatum alterum decessisse, alterum gravi et periculoso morbo ægrum esse. Obruit animum simul luctus metusque: mane ingressi cubiculum servi laqueo dependentem invenere. Erat opinio, post censuram minus compotem fuisse sui: vulgo Junonis Laciniæ iram[8] ob spoliatum templum alienasse mentem ferebant. Suffectus in Æmilii locum decemvir M. Valerius Messalla; in Fulvii pontifex Cn. Domitius Ahenobarbus, oppido adolescens sacerdos lectus.

XXIX. P. Licinio, C. Cassio consulibus, non urbs tantum Roma, nec terra Italia, sed omnes reges civitatesque, quæ in Europa, quæque in Asia erant, converterant animos in curam Macedonici ac Romani belli. Eumenem quum vetus odium stimulabat, tum recens ira, quod scelere ejus prope ut victima[1] mactatus Delphis esset. Prusias, Bithyniæ rex, statuerat abstinere armis, eventumque exspectare. Nam neque pro Romanis se æquum censere adversus fratrem uxoris[2] arma ferre; et apud Persea victorem veniam per sororem impetrabilem fore. Ariarathes, Cappadocum rex, præterquam quod Romanis suo nomine auxilia pollicitus erat, ex quo est junctus Eumeni[3] affinitate, in omnia belli pacisque se consociaverat consilia. An-

8. *Junonis Laciniæ iram*, etc. conf. cap. 3. — *Alienasse mentem;* vide ad X, 29, n. 1. — *Suffectus*, etc. vide ad XXIII, 21, n. 5. Mox vocem *sacerdos* delendam videri, jam monuit Crever.

Cap. XXIX. 1. *Scelere ejus prope ut victima*, etc. conf. cap. 13, 16 et 40. Pro *ejus*, quod non habet, quo referatur, leg. *Persei*, vel post *stimulabat* insere *in Persea;* Drak.

2. *Adversus fratrem uxoris* Persea; vid. cap. 12, n. 1.

3. *Ex quo est* (forte *erat*, Crev.)

tiochus imminebat quidem Ægypti regno[4], et pueritiam regis, et inertiam tutorum spernens; et ambigendo de Cœle Syria causam belli se habiturum existimabat, gesturumque sine ullo impedimento, occupatis Romanis in Macedonico bello, id bellum: tamen omnia et per suos legatos senatui, et ipse legatis eorum eximie pollicitus erat. Ptolemæus propter ætatem alieni etiam tum arbitrii erat[5]. Tutores et bellum adversus Antiochum parabant, quo vindicarent Cœlen Syriam, et Romanis omnia pollicebantur ad Macedonicum bellum. Masinissa et frumento juvabat Romanos, et auxilia cum elephantis Misagenenque filium[6] mittere ad bellum parabat. Consilia autem in omnem fortunam ita disposita habebat: si penes Romanos victoria esset, suas quoque in eodem statu mansuras res, neque ultra quidquam moven-

junctus Eumeni a. vid. XXXVIII, 39. — Walch. Emend. Liv. pag. 74, vulgatum τὸ *est* defendit, quod ἀοριστον esse monet. Vide ad XLI, cap. 8, n. 3. Ed.

4. *Antiochus* Epiphanes *imminebat Ægypti regno* (vide ad III, 51, n. 3), *et pueritiam regis* Ptolemæi Philometoris *et inertiam tutorum spernens:* qui quum *bellum adversus Antiochum parassent, quo vindicarent Cœlen Syriam* eique eriperent, Antiochus, fraude magis, quam virtute, totam pæne Ægyptum præter Alexandriam expugnavit; sed deprecantibus Græcorum legationibus in regnum restituit Ptolemæum captivum, qui ex eo tempore regnavit simul cum minore fratre, Ptolemæo Evergete II, seu Physcone. Cf. XLIV, 19, XLV, 11; Polyb. XXVII, 17, XXVIII, 1, § 16 sq. Diodor. t. II, pag. 579, ed. Wessel. Joseph. XII, 5, n. 2; Justin. XXXIV, 2. De altera expeditione Antiochi in Ægyptum, et de discordiis Ptolemæorum fratrum, quorum major tandem ita regnum cum minore partitus est, ut Cyrenaicam ei relinqueret; vid. inf. XLV, 11-13; Epit. LII; Polyb. XXVIII, 17, 18; XXIX, 1, 8, 12; XXX, 11; XXXI, 18, 25 sq. XXXII, 1; XXXIII, 5; XXXIV, 14; XL, 12, et intpp. Diodori, t. II, p. 583, ed. Wessel. Cœlen Syriam in dotem accepisse credebatur Cleopatra, uxor Ptolemæi Epiphanis, mater Ptolem. Philometoris et Physconis, filia Antiochi M. et Antiochi Epiph. soror; quod negabat Antiochus Epiph. vid. Polyb. XXVIII, 17.

5. *Alieni arbitrii erat,* tutorum; vide ad III, 62, n. 5. — *Quo vindicarent Cœlen Syriam;* conf. n. 4, et ad XXXI, 47, n. 1.

6. *Misagenemque filium;* vide ad Epit. Liv. L, n. 7.

dum; non enim passuros Romanos, vim Carthaginiensibus afferri: si fractæ essent opes Romanorum, quæ tum protegerent Carthaginienses, suam omnem Africam fore. Gentius, rex Illyriorum, fecerat potius, cur suspectus esset Romanis, quam satis statuerat, utram foveret partem; impetuque magis, quam consilio, his aut illis se adjuncturus videbatur. Cotys Thrax [7], Odrysarum rex, evidenter Macedonum partis erat.

XXX. Hæc sententia regibus quum esset de bello, in liberis gentibus populisque plebs ubique omnis ferme, ut solet, deterioribus erat ob regem Macedonasque inclinata [1]; principum diversa cerneres studia. Pars ita in Romanos effusi [2] erant, ut auctoritatem immodico favore corrumperent: pauci ex iis justitia imperii romani capti; plures ita, si præcipuam operam navassent, potentes sese in civitatibus suis futuros rati. Pars altera regiæ adulationis erat, quos æs [3] alienum et desperatio rerum suarum, eodem manente statu, præcipites ad novanda omnia agebat; quosdam ventosum ingenium, quia Perseus magis auræ popularis erat [4]. Tertia pars, optima eadem et prudentissima, si utique optio domini potioris daretur, sub Romanis

7. *Cotys Thrax* genere, non moribus; vid. Polyb. XXVII, 10, et Diodor. t. II, pag. 577 sq. ed. Wessel. — *Macedonum partis erat;* vide ad III, 62, n. 5, et XXIV, 42, n. 4.

Cap. XXX. 1. *Plebs ubique* (edd. vett. exhibent *utique*, quod servat et defendit Crev. invitis codd. Ed.) *omnis ferme, ut solet, deterioribus*, ad deteriora, *erat ob regem M. inclinata.* Sed forte cum Gron. et Duk. leg. *deterioribus erat ad regem M. i.*, sc. studiis, e seqq. vide ad XXI, 43, n. 4. *Deterioribus favens* (ut cap. 63) *erat ad regem M. i.* conj. Crev. — Vide Bütnerum, qui fusius de hujus loci difficultate disputat, Obss. Liv. p. 98 seqq. Ed.

2. *Pars in Romanos effusi;* vide ad I, 41, n. 1, et XXIX, 23, n. 5.

3. *Pars altera regiæ adulationis erat* (vide ad III, 36, n. 4, et III, 62, n. 5), *quos æs alienum*, etc. vide ad XXXVI, 6, n. 2.

4. *Magis auræ popularis erat;* vid. III, 33, n. 2, et III, 62, n. 5. —

quam sub rege, malebat esse: si liberum inde arbitrium fortunæ esset, neutram partem volebant potentiorem, altera oppressa, fieri; sed, illibatis potius viribus utriusque partis, pacem ex eo manere. Ita inter utrosque optimam conditionem civitatium fore, protegente altero semper inopem ab alterius injuria. Hæc sentientes certamina fautorum utriusque partis taciti ex tuto spectabant. Consules, quo die magistratum inierunt, ex senatusconsulto quum circa omnia fana, in quibus lectisternium majorem partem anni esse solet, majoribus hostiis immolassent, inde preces suas acceptas ab diis immortalibus ominati, senatui rite sacrificatum precationemque de bello factam renuntiarunt[5]. Haruspices ita responderunt, *si quid rei novæ inciperetur, id maturandum esse. Victoriam, triumphum, prorogationem imperii portendi.* Patres, *quod faustum felixque populo romano esset, centuriatis comitiis primo quoque die ferre ad populum consules*, jusserunt, *ut, quod Perseus, Philippi filius, Macedonum rex, adversus fœdus cum patre Philippo ictum, et secum post mortem ejus renova-*

Liberum inde, forte *liberum autem*. — *Illibatis viribus utriusque partis* (vide ad III, 61, n. 2), *pacem manere ex eo*, quod hæ vires essent illibatæ. *Ex æquo malebat* Gron. — *Quo die magistratum*, etc. olim distinguebatur: *quo die magistratum inierunt ex senatusconsulto, quum*, etc. quasi Livius indicaret, consules non ordinario, sed per senatusconsultum definito die magistratum occepisse, ut IX, 8, *quo creati sunt die (sic enim placuerat Patribus), magistratum inierunt.* Distinxit vero Drak., præeunte Crev., *magistratum inierunt, ex senatusconsulto quum circa*, etc. ut consules dicantur ex senatusconsulto circa omnia fana majoribus hostiis immolasse. Id enim senatus imperaverat cap. 28 med. *consulibus designatis imperavit senatus, ut qua die magistratum inissent, hostiis majoribus rite mactatis*, etc. Ed.

5. *Inde preces suas acceptas... renuntiarunt:* hæc post verba *imperii portendi* ponenda putabat Crever. *acceptas ab diis:* nam precantes rogabant, ut dii preces suas acciperent; Drak. Conf. Brisson. de Form. I, 33. — *Prorogationem imperii*, immo *propagationem*; Periz. Vide ad XXIII, 25, n. 7.

tum, sociis populi romani arma intulisset, agros vastasset, urbesque occupasset; quodque belli[6] *parandi adversus populum romanum consilia inisset, arma, milites, classem ejus rei causa comparasset; ut, nisi de iis rebus satis fecisset, bellum cum eo iniretur.* Hæc rogatio ad populum lata est.

XXXI. Senatusconsultum inde factum est, *Ut consules inter se provincias Italiam et Macedoniam compararent sortirenturve. Cui Macedonia obvenisset, ut is regem Persea, quique ejus sectam sequuti*[1] *essent, nisi populo romano satis fecissent, bello persequeretur.* Legiones quatuor novas scribi placuit, binas singulis consulibus. Id præcipue provinciæ Macedoniæ datum[2], quod, quum alterius consulis legionibus quina millia et duceni pedites ex vetere instituto darentur in singulas legiones, in Macedoniam sena millia peditum scribi jussa; equites treceni æqualiter in singulas legiones. Et in sociali exercitu consuli alteri auctus numerus: sexdecim millia peditum, octingentos equites (præter eos, quos Cn. Sicinius duxisset, sexcentos equites) in Macedoniam trajiceret. Italiæ

6. *Belli parandi*, forte *patrandi*, h. e. gerendi; Gron. Sed *patrare* est potius perficere, ad finem perducere, v. c. *facinora, bellum*, XXVIII, 41; unde *cœptum* et *commissum bellum* opponitur *patrato* (vid. Cort. ad Sall. Jug. 19; intpp. Vell. II, 21; Duk. ad Flor. II, 15): sic et *patrare pacem* non tantum notat agere de pace, sed, ut XL, 52, et XLIV, 25, eam firmare, tractationi de pace finem optatum imponere; Drak. Sic et *perpetrare pacem* et *bellum*, XXXIII, 21; XLIV, 32; et hinc *impetrare*. Conf. Drakenb. ad II, 26, n. 4, et Duk. ad XLIV, 25, ubi *pacem patrare* putabat dici, quorum interventu pax conciliaretur.

Cap. XXXI. 1. *Ejus sectam sequuti*; vide ad XXIX, 27, n. 2.

2. *Id præcipue provinciæ Macedoniæ datum*; vide ad III, 58, n. 4. *Præcipui*, ut XXXIV, 18, emend. Lips. et *præcipuum*, ut mox, Duk. et Crev. — *Quina millia et duceni pedites ex vetere instituto*, etc. vide ad VIII, 8, n. 10, et conf. XL, 1, 18; XLI, 9; XLIV, 21. *Pedites* reposui pro vulg. *equites* ex emend. Lips. de Mil. Rom. II, 5, et Perizon., cujus veritas e seqq. patet: nam nusquam apud Liv. *ducenti equites* in legione

satis visa duodecim millia sociorum peditum, sexcenti equites. Illud quoque præcipuum datum sorti Macedoniæ[3], ut centuriones militesque veteres scriberet, quos vellet, consul usque ad quinquaginta annos. In tribunis militum novatum eo anno propter Macedonicum bellum, quod consules ex senatusconsulto ad populum tulerunt, ne tribuni militum eo anno suffragiis crearentur[4], sed consulum prætorumque in iis faciendis judicium arbitriumque esset. Inter prætores ita partita imperia. Prætorem, cujus sors fuisset, ut iret, quo senatus censuisset[5], Brundisium ad classem ire placuit, utque ibi recognosceret socios navales, dimissisque, si qui parum idonei essent, supplementum legeret ex libertinis, et daret operam, ut duæ partes civium romanorum, tertia sociorum[6] esset. Commeatus classi legionibusque ut ex Sicilia Sardiniaque subveherentur, prætoribus, qui eas provincias sortiti essent, mandari placuit, ut alteras decumas Siculis Sardisque imperarent, utque id frumentum ad exercitum in Macedoniam portaretur. Siciliam C. Caninius Rebilus est sortitus, L. Furius Philus Sardiniam, L. Canuleius Hispaniam, C. Sulpicius Galba urbanam jurisdictionem, L. Villius Annalis inter peregrinos. C. Lucretio Gallo, quo senatus censuisset, sors evenit.

XXXII. Inter consules magis cavillatio, quam ma-

memorantur, sed semper *trecenti*, et mox legimus *equites trecenos æqualiter in singulas legiones* scribi jussas. Conf. ad VIII, 8, n. 10, et Schweigh. ad Polyb. VI, 20, n. 9.

3. *Datum sorti Maced.* vide ad III, 58, n. 4, et X, 26, n. 4. — *Usque ad L annos;* vide ad III, 57, n. 5, et XXII, 11, n. 8.

4. *Ne tribuni militum eo anno suffragiis crearentur* populi in comitiis; vide ad VII, 5, n. 4, et ad XLIII, 12, n. 3.

5. *Quo senatus censuisset;* vide ad XXVII, 22, n. 2.

6. *Recognosceret socios navales, dimissisque, si qui p. id. essent, supplementum... esset;* vid. IX, 38, n. 1.

gna contentio, de provincia fuit. Cassius, *sine sorte se Macedoniam oppugnaturum*[1], dicebat, *nec posse collegam, salvo jurejurando, secum sortiri. Prætorem eum, ne in provinciam iret, in concione jurasse, se stato loco statisque diebus sacrificia habere*[2], *quæ, absente se, recte fieri non possent; quæ non magis consule, quam prætore, absente recte fieri possent. Si senatus, non quid vellet in consulatu potius*[3], *quam quid in prætura juraverit P. Licinius, animadvertendum esse censeat, se tamen futurum in senatus potestate*[4]. Consulti Patres, cui consulatum populus romanus non negasset, ab se provinciam negari, superbum rati, sortiri consules jusserunt. P. Licinio Macedonia, C. Cassio Italia obvenit. Legiones inde sortiti sunt: prima et tertia in Macedoniam trajicerentur, secunda et quarta ut in Italia remanerent. Delectus consules multo intentiorem, quam alias, curam habebant. Licinius veteres quoque scribebat milites centurionesque: et multi voluntate nomina[5] dabant, quia locupletes videbant, qui priore Macedonico bello aut adversus Antiochum in Asia, stipendia fecerant.

Cap. XXXII. 1. *Sine sorte se Macedoniam oppugnaturum*, adversus eam pugnaturum, bellum gesturum. *Occupaturum* conj. Ern. Malim cum Ruben. legere *optaturum*, quod etiam recepere Crev. et Cler. (et recentius Doering. Ed.) *Extra sortem collegæ optionem dari provinciæ iniquum fuerit*, XXVI, 29. Conf. ad librum III, 64, n. 5.

2. *Prætorem eum jurasse, se stato loco statisque diebus sacrificia habere*, etc. vide ad XLI, 15, n. 5.

3. *Si senatus, non quid vellet in consulatu potius*: pro *non* forte leg. *nunc*, aut del. *non* suadente Gronov. qui hanc Livii mentem esse dicit: Si tamen Patres tantum indulgerent Licinio, ut potius rationem haberent ejus, quod ille cuperet consul, quam ejus, quod jurasset prætor, se obtemperaturum senatui eique daturum hoc, ut, contra quam justum putet, in sortem provincias mittat.

4. *Se futurum in senatus potestate*; vide ad II, 56, n. 16. — *Secunda et quarta* ex iis, quæ hoc anno a consulibus scriptæ et ex SCto iis assignatæ erant; Drak. — *Veteres quoque*, immo *quosque*; Duk. Conf. cap. 31.

5. *Voluntate*, sponte, *nomina dabant*; vide ad I, 11, n. 3.

Quum tribuni militum[6] centuriones, sed primum quemque citarent, tres et viginti centuriones, qui primos pilos duxerant[7], citati tribunos plebis appellarunt. Duo ex collegio[8], M. Fulvius Nobilior et M. Claudius Marcellus, ad consules rejiciebant; *eorum cognitionem esse debere, quibus delectus, quibusque bellum mandatum esset.* Cæteri, *cognituros se, de quo appellati essent*, aiebant, *et, si injuria fieret, auxilium civibus laturos.*

XXXIII. Ad subsellia tribunorum res agebatur. Eo M. Popillius consularis, advocatus[1], centuriones et consul venerunt. Consule inde postulanti, ut in concione ea res ageretur, populus in concionem advocatus. Pro centurionibus M. Popillius, qui biennio ante consul fuerat, ita verba fecit: *Militares homines et*

6. *Quum tribuni militum*, etc. nam hi delectum habent; conf. cap. 33; Polyb. VI, 19 sq. et Lips. Mil. Rom. I, 2, 3, et II, 8.—*Sed primum quemque;* vocula *sed* omnino hic supervacua est, ac videtur nobis prodere aliquod hoc loco mendum. Libenter legeret Creverius *centuriones, vetustissimum quemque.* An forte *et* pro *sed?* — De hoc loco Frider. Jacobs. apud Goell. pag. 406, ea nota est: « Creverius ad sensum egregie: *vetustissimum quemque;* sed lenius erit: *veterrimum quemque*, quod a vulgata scriptura paucis abhorret literis..... Spectant huc verba in sequenti capite, *quod veteres centuriones quam plurimum ad id bellum scribi censuisset.* » Ed.

7. *Qui primos pilos duxerant;* vide ad II, 27, n. 7. — *Tribunos plebis appellarunt;* vide supra ad lib. II, 27, n. 2.

8. *Duo ex collegio* tribunorum pl.— *Ad consules rejiciebant*, ante *rejiciebant* excidit *rem* aut *eos;* Gron. non improb. Drakenb. Conf. ad librum II, 22, n. 4.

Cap. XXXIII. 1. *Eo M. Popilius consularis, advocatus*, scil. centurionum, *centuriones et consul venerunt:* distinctionem post *consularis* posuit Drak. qui et hæc notavit: « *Centuriones* sic ante *consulem* memorantur, quoniam erant clientes Popillii, ab eo vix disjungendi. *M. Pop. consularis, advocatus centurionibus* (ut XXXVIII, 33), *et consules venerunt* conj. Gron. Posses et legere *advocatus centurionum*, ut XXVI, 48. Sed ita mentio nulla fit centurionum, ad quos præcipue causa pertinebat, quique in judicio et adesse debebant, et adfuere; cf. cap. 34. *Consul* autem h. l. est Licinius, qui solus veteres quosque scribebat milites centurionesque: unde et mox *consule inde postulanti*, id est, postulante; vide ad VI, 14, n. 13 ».

stipendia justa[2], *et corpora, et ætate, et assiduis laboribus, confecta habere: nihil recusare tamen, quominus operam reipublicæ dent. Id tantum deprecari, ne inferiores iis ordines, quam quos, quum militassent, habuissent, attribuerentur.* P. Licinius consul senatusconsulta[3] recitari jussit: primum, quod bellum senatus Perseo jussisset: deinde, quod veteres centuriones quam plurimum ad id bellum scribi censuisset, nec ulli, qui non major annis quinquaginta esset, vacationem militiæ esse[4]. Deprecatus est deinde, *ne novo bello, tam propinquo Italiæ, adversus regem potentissimum, aut tribunos militum, delectum habentes, impedirent, aut prohiberent consulem, quem cuique ordinem assignari e republica esset, eum assignare. Si quid in ea re dubium esset, ad senatum rejicerent*[5].

2. *Homines* illos *stipendia justa;* vide ad III, 57, n. 5.

3. *P. Licinius consul SCta* (*SCto* edd. ante Sigon. qui primus hanc notam male reddidit *SCtum*) *recitari jussit; primum, quod bellum senatus Perseo jussisset: deinde,* alterum (nam duo hæc cap. 31 memorantur), *quod veteres centuriones quam plurimum ad id bellum scribi censuisset... esse:* infinitivos *scribi* et *esse* a *censuisseni* pendere, et vel delendam esse vocem *senatus,* vel potius pro *quod* bis legendum *quo,* jam monuere Burman. ad Nemes. Ecl. III, 35; Duk., Crev. et Drak. Contra Periz. ad Sanct. Min. III, 14, n. 16, tuetur scripturam receptam, et ex infinit. *esse* colligit, *quod* hic bis pro infinit. poni. — Doer. qui vett. edd. lectionem *senatusconsultum* revocavit, hunc locum ita interpretatur: *P. Licinius consul senatusconsultum recitari jussit, primum* ideo, *quod bellum senatus Perseo jussisset,* et proinde pro bello, publica auctoritate pro patria gerendo, habendum esset, *deinde* ideo, *quod* senatus disertis verbis *veteres centuriones... scribi censuisset, nec ulli... vacationem militiæ esse,* sc. censuisset. Duo quidem facta fuisse senatusconsulta fatetur Doering.; sed plura ait loca apud Nostrum occurrere (ut monet Drak. ad lib. III, 21, § 2 et 6), ubi *senatusconsultum,* quod plurium senatusconsultorum sententias continet, in singulari ponitur. Cæterum de locutione *jubere bellum* vide ad IX, 43, n. 1. Ed. — *Quam plurimum,* immo *quam plurimos;* Gron. et Crev. Posses etiam ex cap. 31 *quos placeret;* Drakenb. Sic et *quemque primum* ex cap. 32.

4. *Nec ulli, qui non major... militiæ esse;* vid. III, 57, n. 5; IV, 26, n. 7; XLII, 34, n. 7.

5. *E republ. esset..... rejicerent;* vide ad I, 27, n. 5; II, 22, n. 4.

XXXIV. Postquam consul, quæ voluerat, dixit, Sp. Ligustinus ex eo numero, qui tribunos plebis appellaverant, a consule et ab tribunis petiit, ut sibi paucis ad populum agere[1] liceret. Permissu omnium ita loquutus fertur : « Sp. Ligustinus tribus Crustu-« minæ ex Sabinis sum oriundus, Quirites. Pater mihi « jugerum agri reliquit et parvum tugurium, in quo « natus educatusque sum; hodieque ibi habito. Quum « primum in ætatem veni[2], pater mihi uxorem fratris « sui filiam dedit; quæ secum nihil attulit, præter li-« bertatem pudicitiamque, et cum his fecunditatem, « quanta vel in diti domo satis esset. Sex filii nobis, « duæ filiæ sunt : utræque jam nuptæ. Filii quatuor « togas viriles habent, duo prætextati sunt[3]. Miles « sum factus, P. Sulpicio, C. Aurelio consulibus[4]. In « eo exercitu, qui in Macedoniam est transportatus, « biennium miles gregarius fui adversus Philippum « regem : tertio anno virtutis causa mihi T. Quintius « Flamininus decumum ordinem hastatum[5] assignavit.

Cap. XXXIV. 1. *Ad populum agere;* vide ad VIII, 33, n. 13.

2. *Quum primum in ætatem veni*, h. e. adolevi juvenisque fui; quod adolescentia et pubertas *prima ætas* videatur esse, perinde quasi in ætatibus pueritia non sit habenda: unde *ineuntem ætatem* et *adolescentiam* pro eodem dicit Cic. pro Dejot. 1, Off. I, 34, et *ab ineunte ætate, a primo tempore ætatis, prima* et *a prima ætate, a principio ætatis* Cic. Off. II, 13; de Leg. I, 4; Suet. Cæs. 30, et Aug. III, 84, pro, a principio adolescentiæ; Duker. et Turneb. Advers. XXX, 32. Sic et *ætas* pro *adolescentia* apud Cic. Off. II, 13 (cf. Broekh. ad Prop. I, 6, n. 21); et gr. ἐν ἡλικίᾳ εἶναι, ætatem militarem habere; Ern. Propius accedere εἰς ἡλικίαν ἔρχεσθαι (de quo vid. Toup. ad Longin. pag. 381, et in Ind.), monet Schæfer. Ita et εἰς ἡλικίαν ἱκόμενος dicitur adultus Polyb. VI, 6, § 2, et οἱ ἐν ταῖς ἡλικίαις iidem qui στρατεύσιμοι Polyb. VI, 9, § 5, 6. *In eam ætatem*, sc. quæ matrimonio ineundo apta est, conj. Drakenb. De nuptiis patruelium aliorumque eodem gradu conjunctorum agunt JCti in Diss. et ad § 4, Instit. de Nuptiis; Duk.

3. *Filii quatuor togas viriles habent, duo prætextati sunt;* vide ad XXII, 57, n. 10.

4. *P. Sulpicio, C. Aurelio coss.* a. Urb. 552; vide ad XXXI, 4.

5. *Decumum ordinem hastatum*, etc. conf. ad II, 27, n. 7, et Lips. de

« Devicto Philippo Macedonibusque, quum in Italiam « portati[6] ac dimissi essemus, continuo miles volun- « tarius cum M. Porcio consule in Hispaniam sum « profectus. Neminem omnium imperatorum, qui vi- « vant, acriorem virtutis spectatorem ac judicem fuisse « sciunt, qui et illum et alios duces longa militia ex- « perti sunt. Hic me imperator dignum judicavit, cui « primum hastatum prioris centuriæ[7] assignaret. Ter- « tio iterum voluntarius miles factus sum in eum exer- « citum, qui adversus Ætolos et Antiochum regem est « missus. A M'. Acilio mihi primus princeps prioris « centuriæ est assignatus. Expulso rege Antiocho, sub- « actis Ætolis, reportati sumus in Italiam; et deinceps « bis, quæ annua merebant legiones, stipendia[8] feci. « Bis deinde in Hispania militavi, semel Q. Fulvio

Mil. Rom. II, 8, cujus hæc sunt verba: « Hic primus e gregaria militia in centuriones ascendentium gradus. Ordines in legione triginta erant, *X* hastati, *X* principes, *X* triariorum. In unoquoque ordine duæ centuriæ; ergo centuriæ et centuriones sexaginta. Quorum quisque *ordinem ducere* dicebatur, etsi non nisi *X* ordines quavis in parte numerarentur. Nempe duo dicebantur primi hastati, *primus hastatus prior*, *primus hastatus posterior*: duo hastati secundi, prior et posterior; et sic ad decimos usque. Pariter *primus princeps prior* et *posterior*, *primusque pilus prior* et *posterior* usque ad decimos. Et a decumis ad superiores, ab hastatis ad principes, a principibus ad triarios promovebantur ». Conf. not. 7.

6. *Devicto Philippo M., quum in Italiam portati* (forte leg. *reportati* cum Periz. et Duk. vel *deportati* cum Duk. vid. XXXVIII, 50, n. 2) *ac dimissi essemus, continuo miles voluntarius cum M. Porcio* Catone *consule in Hispaniam sum profectus*: enimvero Cato ante Quintii reditum in Italiam et triumphum in Hispaniam profectus est; vide ad XXXIV, 8, 43, 46, 52. « Ligustinus forsitan non multo post Philippum victum cum aliis dimissus in Italiam rediit ante Catonis profectionem in Hispaniam. Nam milites non sine intermissione omnibus annis militabant, sed SCto ad tempus dimitti jubebantur. Videtur tamen his verbis significare Ligustinus, se in eo exercitu fuisse, qui cum Quintio *in Italiam reportatus* et ab eo post triumphum *dimissus* fuit. » Duk.

7. *Cui primum hastatum prioris centuriæ assignarent... a M. Acilio mihi primus princeps prioris centuriæ est assignatus*; conf. hujus capitis not. 5.

8. *Deinceps bis, quæ annua merebant legiones, stipendia feci*: hæc verba Cimmeriis tenebris obscuriora, et se in his cæciores talpis esse, profi-

« Flacco, iterum Ti. Sempronio Graccho prætore. « A Flacco inter cæteros, quos virtutis causa secum « ex provincia ad triumphum deducebat, deductus « sum : a Ti. Graccho rogatus, in provinciam ii [9]. Qua- « ter intra paucos annos primum pilum duxi : quater « et tricies virtutis causa donatus ab imperatoribus « sum : sex civicas coronas accepi [10]. Viginti duo sti- « pendia annua in exercitu emerita habeo, et major « annis sum quinquaginta. Quod si mihi nec stipendia « omnia emerita essent, necdum ætas vacationem da- « ret, tamen, quum quatuor milites pro me uno vobis « dare [11], P. Licini, possem, æquum erat me dimitti. « Sed hæc pro causa mea dicta accipiatis velim : ipse « me, quoad quisquam, qui exercitus scribit, ido- « neum militem judicabit, nunquam sum excusaturus.

tentur Duker., Crever. et Drak. Num sententia Ligustini est, se deinceps bis stipendia fecisse, et quidem *annua*, totius anni, non paucorum mensium? An pro *annua* leg. *ardua*, h. e. molesta, gravia? An in *annua* latet nomen regionis, in qua stipendia fecerit, v. c. *in Asia?* Si exposueris, bis merui stipendium militum legionarium vel gregariorum; hæc sententia, quod jam Duk. monuit, non bene expressa, neque etiam probabile est, eum, qui jam dudum et sæpius ordines duxit, factum esse militem gregarium. — Contra censet Doering. nullum alium posse sensum ex his verbis erui, quam hunc ultimum. Scilicet milites, post finitum aliquod bellum dimissi, quum novo bello exorto denuo scriberentur, non postulare poterant, ut idem munus militare, quo antea functi fuerant, iis demandaretur. Hinc Ligustinus qui viginti duo stipendia in exercitu emerita habebat, se quater tantum primum pilum duxisse ait. Idem mox se *deinde*, hoc notandum est verbum, bis in Hispania militasse dicit, ne verbo quidem de munere militari, quo functus in hoc bello sit, addito, sed honore tantum, quo virtutis causa a Flacco in triumphum deductus sit, commemorato. Ed.

9. *A Ti. Graccho rogatus in provinciam ii*, scil. *rogatus*, ut post triumphum Fulvii in provinciam redirem: nam Gracchus in Hispaniam venit, quum in ea adhuc esset Fulvius, et hi tum inter se composuerunt, quos dimitterent, quosque retinerent in milites; Duk. conf. XL, 39, 40. *Rogatus* etiam videri potest, quia jam *stipendia* ei *omnia emerita erant*.

10. *Sex civicas coronas accepi;* vide ad VI, 20, n. 6. — *Viginti duo stipendia annua in exercitu emerita habeo, et major annis sum quinquaginta;* vide ad III, 57, n. 5.

11. *Ætas vacationem daret..... quatuor milites pro me uno dare*, etc. vide ad IV, 26, n. 7.

« Ordinem quo me dignum judicent[12] tribuni mili-
« tum, ipsorum est potestatis : ne quis me virtute in
« exercitu præstet, dabo operam ; et semper ita fecisse
« me et imperatores mei, et qui una stipendia fece-
« runt, testes sunt. Vos quoque æquum est, commili-
« tones, etsi appellationis vobis usurpatis jus[13], quum
« adolescentes nihil adversus magistratuum senatus-
« que auctoritatem usquam feceritis, nunc quoque in
« potestate senatus ac consulum esse[14], et omnia ho-
« nesta loca ducere, quibus rempublicam defensuri
« sitis ».

XXXV. Hæc ubi dixit, collaudatum multis verbis consul ex concione in senatum duxit. Ibi quoque ei ex auctoritate senatus gratiæ actæ, tribunique militares in legione prima primum pilum[1] virtutis causa ei assignarunt. Cæteri centuriones, omissa appellatione, ad delectum obedienter responderunt. Quo maturius in provincias magistratus proficiscerentur,

12. *Ordinem quo me dignum judicent*, etc. immo *ordine;* Gronov. nisi post *ordinem* vel ante *ipsorum* intercidit *assignare*, vel *attribuere, definire, statuere;* Crev. et Drak. — Non hæc tentanda videntur verba, ait Frid. Jacobs. apud Goell. p. 406 ; non enim durior in his oratio, quam in Terentio, Eunuch. IV, 3, v. 11. « Eunuchum quem dedisti nobis, quantas turbas dedit ». Aut apud Petron. cap. 14 : « hunc adolescentem quem vides, malo astro natus est ». Quæ imitantur vulgaris sermonis negligentiam, cujus colorem Livius per totam hanc militis orationem egregie servavit. Ed. — Mox ex emend. Gronov. edidi *et semper ita fecisse* pro *ut s. i. f.* Vocem *ita* delendam et sic τὸ *ut* retinendum censebat Crev.

13. *Appellationis vobis usurpatis jus;* conf. ad cap. 32, n. 7, et ad Præfat. Liv. n. 12. — *Nihil adversus m. s. a. usquam feceritis*, forte *unquam*, cui recte opponitur *nunc :* sed *nihil usquam* eodem modo accipi debet, ut *nullus usquam*, de quo supra ad librum XXXII, 35, n. 2, vidimus, et ita *nunc* opponitur præcedenti *adolescentes;* Drak.

14. *In potestate senatus ac coss. esse;* vide ad II, 56, n. 16. — *Et omnia loca honesta ducere;* vide ad IV, 16, n. 5.

Cap. XXXV. 1. *Primum pilum virtutis causa ei assignarunt;* vide ad II, 27, n. 7. — *Centuriones, omissa appellatione* (vide ad h. l. cap. 32, n. 7), *ad delectum obedienter responderunt;* vide ad I, 11, n. 3.

Latinæ Calendis Juniis fuere[2]; eoque solenni perfecto, C. Lucretius prætor, omnibus, quæ ad classem opus erant, præmissis, Brundisium est profectus. Præter eos exercitus, quos consules comparabant, C. Sulpicio Galbæ prætori negotium datum, ut quatuor legiones scriberet urbanas justo numero peditum equitumque, iisque quatuor tribunos militum ex senatu legeret, qui præessent[3]; sociis latini nominis imperaret quindecim millia peditum, mille et ducentos equites. Is exercitus uti paratus esset, quo senatus[4] censuisset. P. Licinio consuli ad exercitum civilem socialemque petenti addita auxilia, Ligurum duo millia, Cretenses sagittarii (incertus numerus, quantum rogati auxilia Cretenses misissent), Numidæ item equites elephantique. In eam rem legati ad Masinissam Carthaginiensesque missi, L. Postumius Albinus, Q. Terentius Culleo, C. Aburius. In Cretam item legatos tres ire placuit, A. Postumium Albinum, C. Decimium, A. Licinium Nervam.

XXXVI. Per idem tempus legati ab rege Perseo venerunt. Eos in oppidum intromittí[1] non placuit, quum jam bellum regi eorum et Macedonibus et senatus de-

2. *Quo maturius in provincias magistratus proficiscerentur, latinæ Cal. Jun. fuere;* vide ad I, 45, n. 2.

3. *Ut quatuor tribunos militum ex senatu legeret, qui iis præessent,* ita ut e sex tribunis militum, qui cuique legioni præerant (vid. Polyb. VI, 25), unus esset ex ordine senatorio. Mendum esse in numero, et leg. *XXIV tribunos* conj. Crev. Sed ita Livius nullum potius numerum adjecisset; Drakenb. Conf. ad XXXVI, 17, n. 1, et XLII, 49, n. 6.

4. *Paratus, quo senatus censuisset;* vide ad XXVII, 22, n. 2. — *Quantum rogati auxilia Cretenses misissent;* vocem *auxilia,* ut abundantem expunxere Clericus et Crev. ex Gronovii sententia. Huic vero non aliam ob causam vox *auxilia* suspecta fuisse videtur, quam quod verbis proximis præcesserit. Vide autem de ejusdem vocabuli repetitione Drakenb. I, 3, § 9. Ed.

Cap. XXXVI. 1. *Eos in oppidum intromitti;* vide ad cap. 20, n. 3. — *Bellum regi et senatus decresset et populus jussisset;* vide ad IX, 43, n. 1.

cresset, et populus jussisset. In ædem Bellonæ in senatum introducti ita verba fecerunt: *Mirari Persea regem, quid in Macedoniam exercitus transportati essent. Si impetrari a senatu posset, ut ii revocentur, regem de injuriis, si quas sociis factas, quererentur, arbitratu senatus satis facturum esse.* Sp. Carvilius ad eam ipsam rem ex Græcia remissus ab Cn. Sicinio in senatu erat. Is Perrhæbiam expugnatam armis, Thessaliæ aliquot urbes captas, cætera, quæ aut ageret, aut pararet rex, quum argueret, respondere ad ea legati jussi. Postquam hæsitabant, negantes sibi ultra quidquam mandatum esse, jussi renuntiare regi, *Consulem P. Licinium brevi cum exercitu futurum in Macedonia esse. Ad eum, si satis facere in animo esset, mitteret legatos. Romam quod præterea mitteret, non esse: neminem eorum per Italiam ire*[2] *liciturum.* Ita dimissis, P. Licinio consuli mandatum, intra undecimum diem juberet eos Italia excedere, et Sp. Carvilium mitteret, qui, donec navem conscendissent, custodiret. Hæc Romæ acta, nondum profectis in provinciam consulibus. Jam Cn. Sicinius, qui, prius quam magistratu abiret, Brundisium ad classem et ad exercitum præmissus erat, trajectis in Epirum quinque millibus peditum, trecentis equitibus[3], ad Nymphæum

— *In ædem Bellonæ;* vide ad XXVI, 21, n. 1. Scribe *in æde Bellonæ;* Gron. Sed similiter, XXXII, 4, legitur *in Macedoniam in hiberna copias reduxit;* Drak.

2. *Neminem eorum per Italiam ire liciturum:* vocem *neminem* (ut III, 40) in *non quemquam* solvendam censebant Periz. ad Sanctii Min. III, 7, n. 4, et Cort. ad Sall. Jug. 106, n. 3. *Iter tuto facturum* conj. J. Fr. Gron. *nemini* Jac. Gron. et *nemini enim* Duk. — *Ita dimissis,* sc. iis. Si cui vero displiceat *ita dimissis iis, eos excedere,* videat ad XXXVIII, 54, ubi M. Porcius Cato dicitur, *vivo quoque eo,* Scipione scilicet, *allatrare ejus magnitudinem solitus;* conf. cæterum Drakenb., qui multis exemplis græcis æque ac latinis id loquendi genus illustrat. Ed.

3. *Trajectis in Epirum quinque millibus peditum, CCC equitibus:* sed Sicinio longe majorem fuisse exerci-

in agro Apolloniati castra habebat. Inde tribunos cum duobus millibus militum ad occupanda Dassaretiorum et Illyriorum castella, ipsis arcessentibus præsidia, ut tutiores a finitimorum impetu Macedonum essent, misit.

XXXVII. Paucis post diebus Q. Marcius, A. Atilius et P. et Ser. Cornelii Lentuli et L. Decimius, legati in Græciam missi, Corcyram peditum mille secum advexerunt: ibi inter se et regiones, quas obirent, et milites diviserunt. Decimius missus est ad Gentium, regem Illyriorum, quem, si aliquem respectum[1] amicitiæ eum habere cerneret, tentare, aut etiam ad belli societatem pellicere jussus. Lentuli in Cephalleniam missi, ut in Peloponnesum trajicerent, oramque maris, in occidentem versi, ante hiemem circumirent. Marcio et Atilio Epirus, Ætolia et Thessalia circumeundæ assignantur. Inde Bœotiam atque Euboeam aspicere jussi; tum in Peloponnesum trajicere. Ibi congressuros se cum Lentulis constituunt. Prius quam digrederentur a Corcyra, literæ a Perseo allatæ sunt, quibus quærebat, quæ causa Romanis aut in Græciam trajiciendi copias, aut urbes occupandi, esset? Cui rescribi nihil placuit; nuntio ipsius, qui literas attulerat, dici, *præsidii causa ipsarum urbium Romanos facere.* Lentuli, circumeuntes Peloponnesi oppida, quum sine discrimine omnes civitates adhortarentur, ut, quo animo, qua fide adjuvissent Romanos, Philippi primum, deinde Antiochi bello, eodem adversus Persea juvarent, fremitum in concionibus audiebant;

tum, ex cap. 27, docet Drakenb. — *Nymphæum* (hodie *Capo-Pali.* Ed.) *in agro Apolloniati;* vid. Palmer. Græc. Ant. I, 28.

Cap. XXXVII, 1. *Quem, si aliquem respectum*, etc. brevius dici potuisset *eum, si quem respectum amicitiæ habere cerneret, tentare jussus*, ut Perizonius ad marginem Livii notavit, teste Drak. Ed.

Achæis indignantibus, eodem se loco esse[2] (qui omnia a principiis Macedonici belli præstitissent Romanis, et Macedonum Philippi bello hostes fuissent), quo Messenii atque Elii, qui pro Antiocho hoste arma adversus populum romanum tulissent, ac, nuper in Achaicum contributi concilium, velut præmium belli se victoribus Achæis tradi quererentur.

XXXVIII. Marcius et Atilius ad Gitanas, Epiri oppidum decem millia ab mari, quum[1] ascenderent, concilio Epirotarum habito, cum magno omnium assensu auditi sunt; et quadringentos juventutis eorum in Orestas, ut præsidio essent liberatis ab se Macedonibus[2], miserunt. Inde in Ætoliam progressi, ac paucos ibi morati dies, dum in prætoris mortui locum alius sufficeretur, et Lycisco prætore facto, quem Romanorum favere rebus satis compertum erat, transierunt in Thessaliam. Eo legati Acarnanum et Bœotorum exsules venerunt. Acarnanes nuntiare jussi[3], *quæ Philippi primum, Antiochi deinde bello, decepti pollicitationibus regis, adversus populum romanum commisissent, ea corrigendi occasionem illis oblatam. Si*

2. *Eodem se loco esse* (vid. III, 68, n. 1), ... *quo Messenii atque Elii*, sc. sint: sed usitatius est *Messenios atque Elios*; Duk. coll. VIII, 14, et XXXIX, 24. — *Nuper in Achaicum contributi concilium*; conf. XXXIX, 48 sq. et ad XXXII, 19, n. 2.

Cap. XXXVIII. 1. *Ad Gitanas Epiri opp. quum ascenderent*: « opp. incognitissimum; et cur additur *ad*, quod XXXV, 13, XXXVI, 30, XLII, 15, XLV, 28 et al. omittitur? Lege *Ægilippa*, opp. Epiri, Straboni ac Steph. ex Homero memoratum »; Jac. Gron.

2. *Liberatis ab se* (Romanis) *Macedonibus*, Orestis. Conf. XXXIII, 34. Pron. *se* delendum censebat Drakenb. ut sensus sit: Orestis *liberatis ab Macedonibus*, a potestate et imperio Macedonum — Hunc locum putat Doering. emendandum ita: *ut præsidio essent liberandis* (Orestis) *ab se* (Epirotis) *a Macedonibus*. Ed. — *Lycisco prætore facto*, etc. vide ad XLV, 28, n. 6.

3. *Acarnanes nuntiare jussi*, forsan *renuntiare*, sc. domum (ut cap. seq.) *jussi* a Marcio et Atilio; Drak. Idem cum Duk. et Crever. recte mox legit *decepti pollicitationibus regiis* sive *regum*, sc. Philippi et Antiochi.

male meriti clementiam populi romani experti essent, bene merendo liberalitatem experirentur. Bœotis exprobratum, societatem eos cum Perseo junxisse. Iis, quum culpam in Ismeniam, principem alterius partis[4], conferrent, et quasdam civitates dissentientes in causam deductas, *appariturum id esse*, Marcius respondit, *singulis enim civitatibus de se ipsis consulendi potestatem facturos.* Thessalorum Larissæ fuit concilium. Ibi et Thessalis benigna materia gratias agendi Romanis pro libertatis munere fuit, et legatis, quod et Philippi prius et post Antiochi bello, enise adjuti a gente Thessalorum essent. Hac mutua commemoratione meritorum accensi animi multitudinis ad omnia decernenda, quæ Romani vellent. Secundum hoc concilium legati a Perseo rege venerunt, privati maxime hospitii fiducia, quod ei paternum cum Marcio[5] erat. Ab hujus necessitudinis commemoratione orsi, petierunt legati, in colloquium veniendi regi potestatem faceret. Marcius, *Et se ita a patre suo accepisse*, dixit, *amicitiam hospitiumque cum Philippo fuisse. Minime immemorem necessitudinis ejus legationem eam suscepisse. Colloquium, si satis commode valeret, non fuisse dilaturum: nunc, ubi primum posset, ad Peneum flumen, qua transitus ab Homolio Dium esset, præmissis, qui nuntiarent regi, venturos*[6].

XXXIX. Et tum quidem ab Dio Perseus in inte-

4. *In Ismeniam, principem alterius partis;* conf. cap. 43, et Polybius, XXVII, 1, 2, qui tamen Neoni primas dat partes. — *In causam deductas;* vide ad XXXVI, 7, n. 3. — *Facturos*, sc. se, Marcium et Atilium. — *Benigna materia*, larga, copiosa.

5. *Quod ei paternum cum Marcio erat;* conf. seqq.

6. *Ubi primum posset... venturos*, forte leg. *possent* (sc. Marcius et Atilius), aut *venturum*. — *Homolium*, Ὁμόλιον, Ὁμόλις et Ὁμόλη, oppid. Perrhæborum in Pelasgiotide Thessaliæ ad Peneum fl. et Ὅμολον Ossæ montis partem; videatur Strab. IX, p. 443; Dicæarch. p. 3, 20, 23, ed. Oxon. Pausan. IX, 9; Scyl. Peripl. pag. 12, ed. Oxon. Plin. IV, 9, et Berkel. ad Steph. Byz.

riora regni recipit se, levi aura spei[1] objecta, quod Marcius ipsius causa suscepisse se legationem dixisset. Post dies paucos ad constitutum locum venerunt. Magnus comitatus fuit regius, quum amicorum, tum satellitum turba stipante. Non minore agmine legati venerunt, et ab Larissa multis prosequentibus, et legationibus civitatium, quæ convenerant Larissam, et renuntiare domum certa, quæ audissent, volebant. Inerat cura insita mortalibus videndi congredientes nobilem regem, et populi principis terrarum omnium[2] legatos. Postquam in conspectu steterunt, dirimente amne, paulisper internuntiando cunctatio fuit, utri transgrederentur. Aliquid illi regiæ majestati, aliquid hi populi romani nomini, quum præsertim Perseus petisset colloquium, existimabant deberi. Joco etiam Marcius cunctantes movit. *Minor*, inquit, *ad majorem, et* (quod Philippo ipsi cognomen erat) *filius ad patrem transeat*[3]. Facile persuasum id regi est. Aliud deinde ambigebatur, cum quam multis transiret. Rex, cum omni comitatu transire, æquum censebat: legati vel cum tribus venire jubebant, vel, si tantum agmen traduceret, obsides daret[4], nihil

Cap. XXXIX. 1. *Levi aura spei;* vide ad III, 33, n. 2.

2. *Populi principis terrarum omnium;* vide ad XXIX, 17, n. 2.

3. *Filius ad patrem transeat:* jocum captat Quintus Marcius inde, quod *ipsi cognomen erat Philippo*, et Persei pater fuerat Philippus. «Originem hujus cognominis Marciorum alii repetunt ab amicitia et hospitio patris cum Philippo, Persei patre (conf. cap. 40 extr. sed jam proavum hujus Marcii id obtinuisse docet Pigh. in Ann. ad a. 524, pag. 108); alii ab equorum studio, quo referunt, quod in multis Marciorum Philipporum nummis vel statua equestris, vel imago Castoris equo gaudentis exhibeatur; vid. Ursin. in Famil. Rom. Spanhem. de usu et pr. num. Diss. VI, p. 525, ed. sec. et Haverk. in Comm. ad Thes. Morel. t. I, p. 262. Sed admodum rarum est, Romanos jam ante bellum Punicum I cognomina græca adscivisse». Drak.

4. *Obsides daret*, supple *ut*, et vid. XXVI, 22, n. 3. *Dare* malebat Gron. —Vulgatam defendit Drak., et lectorem remittit ad X, 41, § 8, et ad XXXII, 16, § 9; ubi probavit post verba

fraudis fore in colloquio. Hippian et Pantauchum, quos et legatos miserat, principes amicorum, obsides dedit. Nec tam in pignus fidei obsides desiderati erant, quam ut appareret sociis, nequaquam ex dignitate pari congredi regem cum legatis. Salutatio non tanquam hostium, sed hospitalis ac benigna fuit, positisque sedibus consederunt.

XL. Quum paulisper silentium fuisset: « Exspectari « nos, inquit Marcius, arbitror, ut respondeamus[1] li- « teris tuis, quas Corcyram misisti; in quibus quæris, « quid ita legati cum militibus venerimus, et præsidia « in singulas urbes dimittamus? Ad hanc interrogatio- « nem tuam et non respondere vereor, ne superbum « sit, et vera respondere, ne nimis acerbum audienti « tibi videatur. Sed quum aut verbis castigandus, aut « armis sit, qui fœdus rumpit; sicut bellum adversus « te alii, quam mihi, mandatum malim, ita orationis « acerbitatem adversus hospitem, utcumque est[2], subi- « bo sicut medici, quum salutis causa tristiora re- « media adhibent. Ex quo regnum adeptus es, unam « rem te, quæ facienda fuerit, senatus fecisse censet; « quod legatos Romam ad renovandum[3] *** judicat « potius, quam, quum renovatum esset, violandum. « Abrupolim, socium atque amicum populi romani,

jubendi sæpe omitti τὸ *ut:* neque improbandum *jubebant vel venire, vel daret:* in regimine enim similibus aliisque modis variare, Livio est familiarissimum; vide iterum Drakenb. ad XXXIX, 14, § 9. Quid vero necesse est, ut statuamus, *daret*, æque ac *venire* pendere a verbo *jubebant? Jubere* ad unum tantum verbum, non ad reliqua ejusdem periodi referri potest. Conf. ad XXVI, 22, n. 7. Ed.— *Hippian et Pantauchum;* vid. Polyb. XXIII, 2; XXVII, 1, 2, 7, 8; XXVIII, 9; XXIX, 2, 3.

Cap. XL. 1. *Exspectari, ut nos respondeamus:* ita junge verba; Drak. qui etiam conj. *exspectare vos*, sed, reliqua numero sing. concipi, jam ipse monuit. Τὸ *nos* delere malebat Ant. Periz.

2. *Utcumque est*, sc. res: nisi leg. *quæcumque est;* Crev. Idem mox vocem *quum* abesse malebat.

3. *Quod legatos Romam ad reno-*

« regno expulisti. Artetari[4] interfectores, ut cæde (ne « quid ultra dicam) lætatum appareret, recepisti, qui « omnium Illyriorum fidissimum romano nomini re- « gulum occiderant. Per Thessaliam et Maliensem « agrum[5] cum exercitu contra fœdus Delphos isti : « Byzantiis item contra fœdus misisti auxilia. Cum « Bœotis, sociis nostris, secretam tibi ipsi societatem, « quam non licebat, jurejurando pepigisti. Thebanos « legatos, Eversam et Callicritum, venientes a nobis, « quærere malo, quis interfecerit, quam arguere. In « Ætolia bellum intestinum et cædes principum per « quos, nisi per tuos, factæ videri possunt? Dolopes a « te ipso evastati sunt. Eumenes rex, ab Roma quum « in regnum rediret, prope ut victima Delphis in sa- « crato loco ante aras mactatus, quem insimulet, piget « referre. Quæ hospes Brundisinus[6] occulta facinora « indicet, certum habeo, et scripta tibi omnia ab Roma « esse, et legatos tuos renuntiasse. Hæc ne dicerentur « a me, uno modo vitare potuisti, non quærendo « quam ob causam exercitus in Macedoniam trajice- « rentur, aut præsidia in sociorum urbes mitteremus. « Quærenti tibi superbius tacuissemus, quam vera re- « spondimus. Equidem pro paterno nostro hospitio « faveo orationi tuæ[7], et opto, ut aliquam mihi ma- « teriam præbeas agendæ tuæ apud senatum causæ ».

XLI. Ad ea rex[1] : « Bonam causam, si apud judices

vandum ; insere : *fœdus miseris : quod ipsum tamen tibi non fuisse renovandum :* cujus vocis iteratio fecit, ut librarius a priore ad posteriorem transierit, verbis mediis præteritis; Sigon.

4. *Abrupolim socium... Artetari*, etc. vide ad cap. 13, n. 5.

5. *Maliensem agrum ;* vide supra XXXIII, 32, n. 6, et XLI, 22, n. 4.

6. *Quæ hospes Brundisinus*, etc. conf. cap. 17.

7. *Faveo orationi tuæ*, qua meæ accusationi respondebis, *pro paterno nostro hospitio*, quod nobis cum patre tuo fuit.

Cap. XLI. 1. *Ad ea rex*, etc. conf. Appian. Maced. Exc. XXV, 9, n. 3.

« æquos ageretur, apud eosdem et accusatores et ju-
« dices agam. Eorum autem, quæ objecta sunt mihi,
« partim ea sunt, quibus nescio an gloriari[2] debeam;
« partim, quæ fateri non erubescam; partim, quæ
« verbo objecta verbo negare sit. Quid enim, si legi-
« bus vestris hodie reus sim, aut index Brundisinus,
« aut Eumenes[3] mihi objiciat, ut accusare potius vere,
« quam conviciari, videantur? Scilicet nec[4] Eumenes,
« quum tam multis gravis publice ac privatim sit, alium,
« quam me, inimicum habuit; neque ego potiorem
« quemquam ad ministeria facinorum, quam Ram-
« mium[5] (quem neque unquam ante videram, nec
« eram postea visurus), invenire potui? Et Thebano-
« rum, quos naufragio perisse constat, et Artetari
« cædis mihi reddenda ratio[6] est. In qua tamen nihil

et 4, ubi tamen Perseus hæc non ipse et in Thessalia, sed per legatos Romæ in senatu dicit. His brevis tantum et postrema oratio tribuitur supra ad cap. 36. — *Bonam causam*, etc. hic paulo durior orationis structura videtur Doeringio, cujus nota est: « Non hæsissem, si rex dixisset, vel: *bonam causam*, quæ *apud judices æquos* agitur, *apud eosdem et accusatores et judices agam*, vel: *bonam causam, si apud judices æquos ageretur*, uti ego bono animo agerem, ita, *apud eosdem et accusatores et judices agam.* Mihi certe aliquid vitii in hoc loco latere videtur ». Nobis vero nodum in scirpo quærere videtur Doering. Simplicissimum fiet hoc de quo disputat, modo junxeris: *Agam, apud eosdem et accusatores et judices, causam bonam* (quæ bona esset) *si apud judices æquos ageretur.* Ed. — *Eorum autem partim ea sunt*, pars sive quædam eorum sunt ea; vid. Gell. X, 13, et supra ad XXIII, 11, n. 10.

2. *Nescio, an gloriari debeam;* vide ad II, 2, n. 3. — *Quæ verbo objecta verbo negare sit*, liceat, ut al. *est, fuit, erit, aderit*, ἔστι, ἦν, ἔσται, ἔστω, εἶναι, γένοιτο, ἐνδέχοιτο, pro ἔξεστι, ἐξῆν, etc. vel pro ἔστι δύναμις seu θέμις. Conf. ad Sil. I, 163; VI, 488; XII, 695. Sensus est: quæ uti sine ullo certo indicio aut argumento verbo tantum objecta sunt, ita verbo quoque negari possint; Duker. Idem monet, minus apte Periz. ad Sanct. Min. IV, 4, 52, τὸ *sit* exponere *sit mihi per vos, detur mihi;* quasi hæc optandi, non affirmandi modo dicantur, et Perseus sibi hoc pro beneficio dari petat.

3. *Index Brundisinus, aut Eumenes;* conf. cap. 11 et 17.

4. *Scilicet nec Eumenes*, etc. vide ad IV, 5, n. 2. — *Multis gravis;* vide ad XXXIX, 53, n. 3.

5. *Quam Rammium* Brundisinum, etc. vid. cap. 17.

6. *Et Thebanorum.....et Artetari*

« ultra objicitur, quam interfectores ejus in regno ex-
« sulasse meo. Cujus conditionis iniquitatem ita non
« sum recusaturus, si vos quoque accipitis, ut, qui-
« cumque exsules in Italiam aut Romam se contule-
« runt, his facinorum, propter quæ damnati sunt,
« auctores vos fuisse fateamini. Si hoc et vos recusa-
« bitis, et omnes aliæ gentes, ego quoque inter cæte-
« ros ero. Et, Hercule, quid attinet cuiquam exsilium
« patere, si nusquam exsuli futurus locus est? Ego
« tamen istos, ut primum in Macedonia esse, admo-
« nitus a vobis, comperi, requisitos abire ex regno
« jussi, et in perpetuum interdixi finibus meis. Et hæc
« quidem mihi, tanquam causam dicenti reo, objecta
« sunt: illa, tanquam regi, et quæ de fœdere, quod
« mihi est vobiscum, disceptationem habeant. Nam si
« est in fœdere ita scriptum, ut ne, si bellum quidem
« quis inferat, tueri me regnumque meum liceat, mihi
« fatendum est, quod me armis adversus Abrupolim,
« socium[7] populi romani, defenderim, fœdus viola-
« tum esse. Sin autem hoc et ex fœdere licuit, et jure
« gentium ita comparatum est, ut arma armis propul-
« sentur, quid tandem me facere decuit, quum Abru-
« polis fines mei regni usque ad Amphipolim perva-
« stasset, multa libera capita, magnam vim mancipio-
« rum, multa millia pecorum abegisset? Quiescerem
« et paterer, donec Pellam et in regiam[8] meam arma-
« tus pervenisset? At enim bello quidem justo sum
« persequutus; sed vinci non oportuit eum, neque
« ea, quæ victis accidunt, pati: quorum casum quum
« ego subierim, qui sum armis lacessitus, quid potest

cædis mihi reddenda ratio; cf. cap. 13.

7. *Adversus Abrupolim, socium*, etc. conf. cap. 13.

8. *Pellam et in regiam*; τὸ *et* suspectum; Gron. — Sæpe vero particula *et* vim explicandi habet, ut sit pro *nempe*. Conf. VI, 16, n. 8; et præsertim II, 42, n. 7. Ed.

« queri sibi accidisse[9], qui causa belli fuit? Non sum « eodem modo defensurus, Romani, quod Dolopas « armis coercuerim, quia, etsi non merito eorum, « jure feci meo; quum mei regni, meæ ditionis essent, « vestro decreto patri attributi meo. Nec, si causa red- « denda sit, non vobis, nec fœderatis, sed iis, qui ne « in servos quidem sæva atque injusta imperia pro- « bant, plus æquo et bono sævisse in eos videri pos- « sum : quippe Euphanorem, præfectum a me impo- « situm, ita occiderunt, ut mors pœnarum ejus levis- « sima fuerit.

XLII. « At, quum processissem inde ad visendas « Larissam et Antrona et Pylleon[1], quo in propinquo « multo ante debita vota persolverem, Delphos sacri- « ficandi causa ascendi[2]. Et hic, criminis augendi « causa, cum exercitu me fuisse adjicitur; scilicet ut, « quod nunc vos facere queror, urbes occuparem, « arcibus imponerem præsidia. Vocate in concilium « Græciæ civitates, per quas iter feci; queratur unus « quilibet militis mei injuriam: non recusabo, quin, « simulato sacrificio, aliud petisse videar. Ætolis et « Byzantiis[3] præsidia misimus, et cum Bœotis amici- « tiam fecimus. Hæc, qualiacumque sunt, per legatos

9. *Quid*, cur, quomodo, *potest queri, sibi accidisse*, sc. ea quæ victis accidunt; Drak. Forte *quid* pro *aliquid*, vel potius: quid est, quod sibi accidisse queri possit?

Cap. XLII. 1. *Larissam et Antrona et Pylleon*, leg. *Antrona et Pteleon*. Certe hæc tria oppida Thessaliæ finitima junguntur inf. cap. 67; apud Strab. IX, pag. 298, al. 665, et Hom. Iliad. II, 607, ubi vid. Heyn. Τὸ *at* in princ. cap. inservit proponendis exceptionibus aliisve capitibus accusationis, ut etiam *at enim;* quod docet Drakenb. ad h. l., ad XXXIV, 31, § 6, et XXXIX, 37, § 12.

2. *Delphos sacrificandi causa ascendi;* vide ad XLI, 22, n. 3. — *Et hic... cum exercitu me fuisse adjicitur;* forte leg. *adjicit*, ut *hic* sit pronomen, sc. Marcius, δεικτικῶς et contemptim. — *Scilicet ut*, etc. vide ad IV, 5, n. 2. — *Unusquilibet;* vid. Gron. ad Sen. Controv. 26.

3. *Ætolis et Byzantiis*, etc. conf. Appian. Maced Exc. XXV, 9, n. 3.

« meos non solum indicata, sed etiam excusata sunt « sæpe in senatu vestro; ubi aliquos ego disceptatores, « non tam æquos, quam te, Q. Marci, paternum ami- « cum et hospitem, habebam. Sed nondum Romam « accusator Eumenes venerat, qui calumniando om- « nia detorquendoque suspecta et invisa efficeret, et « persuadere vobis conaretur, non posse Græciam in « libertate esse, et vestro munere frui, quoad regnum « Macedoniæ incolume esset. Circumagetur hic[4] orbis: « erit mox, qui arguat, nequidquam Antiochum ultra « juga Tauri remotum; graviorem multo Asiæ, quam « Antiochus fuerit, Eumenem esse, nec conquiescere « socios vestros posse, quoad regia Pergami sit: eam « arcem supra capita finitimarum civitatium imposi- « tam. Ego hæc, Q. Marci et A. Atili, quæ aut a vo- « bis objecta, aut purgata a me sunt, talia esse scio, « ut aures, ut animi audientium sint: nec tam re- « ferre, quid ego, aut qua mente fecerim, quam quo- « modo id vos factum accipiatis. Conscius mihi sum, « nihil me scientem deliquisse; et, si quid fecerim im- « prudentia lapsus, corrigi me et emendari castiga- « tione hac posse. Nihil certe insanabile, nec quod « bello et armis persequendum esse censeatis, com- « misi: at frustra clementiæ gravitatisque vestræ fama « vulgata per gentes est, si talibus de causis, quæ vix « querela et expostulatione dignæ sunt, arma capitis, « et regibus sociis bella infertis ».

XLIII. Hæc dicenti tum assensus Marcius auctor

— *Disceptatores*, etc. vide ad I, 50, not. 5.

4. *Circumagetur hic orbis* quasi rerum; mox mutabuntur omnia, vel res Græciæ et sociorum vestrorum. Vid. supra III, 10, n. 8. Ed. — *Antiochum ultra juga Tauri remotum*; conf. ad XXXVII, 45, 55; XXXVIII, 38, et inf. ad cap. 50, n. 3. — *At frustra clementiæ*, etc. junge: *at si talibus de causis... arma capitis et bella... infertis, frustra*, etc. et sic, ait Doering., magis placet *at* quam *aut*, quod edd. Gron. Crev. et all. offerunt. Ed.

fuit mittendi Romam legati[1], quum experienda omnia ad ultimum, nec prætermittendam spem ullam censuisset. Reliqua consultatio erat, quonam modo tutum iter legatis esset. Ad id quum necessaria petitio induciarum videretur, cuperetque Marcius, neque aliud colloquio petisset, gravate et in magnam gratiam petentis concessit. Nihil enim satis paratum ad bellum in præsentia habebant Romani, non exercitum, non ducem; quum Perseus (ni spes vana pacis obcæcasset consilia[2]) omnia præparata atque instructa haberet, et suo maxime tempore atque alieno hostibus[3] incipere bellum posset. Ab hoc colloquio, fide induciarum interposita, legati romani in Bœotiam comparati sunt[4]. Ibi jam motus cœperat esse, discedentibus a societate communis concilii Bœotorum quibusdam populis, ex quo renuntiatum erat, respondisse legatos, appariturum, quibus populis proprie

Cap. XLIII. 1. *Mittendi Romam legati*, forte *legatos:* quod ex seqq. et cap. 46, 48 probabile fieri, jam monuit Drak. Idem mox edidit *nec prætermittendum spem*, sequutus edd. vett. ante postremam Gruteri; vide ad XXVI, 43, n. 1.

2. *Ni spes vana pacis obcæcasset consilia;* frequens est Livio aliisque *obcæcare animum*, sed *obcæcare consilia* an commode dici possit, vehementer dubito. Forte ergo del. vox *consilia*, aut jungenda sequentibus; Drak.

3. *Suo maxime tempore atque alieno hostibus;* vide ad I, 56, n. 1. *Hostium* malebat Gronov. Obss. IV, 17, coll. Varr. Re Rust. III, 5. — *Ab hoc colloquio;* vide ad I, 1, n. 5.

4. *Legati romani in Bœotiam comparati sunt*, an compararunt se, iter? *Sie machten sich fertig nach Bœotien*, Scheller in Lex. Conf. ad XXXV, 45, n. 2. « Sigonius observat, eodem sensu dici *comparare consules et censores*, i. e. legere et in legationem conjicere. Quod possem tolerare, si ex pluribus aliquot ad hoc munus excreti essent. Sed fuerunt iidem, qui apud Persea fuerant, Marcius et Atilius, ut ex cap. seq. apparet. Mallem igitur *conversi sunt* ». Gron. *Comparaverunt* (scil. iter, ut apud Cic. Mur. 9, *quo intendit*, sc. iter) conj. Ern. et *profecti, delati, comportati sunt* Doujat. — « Num in vitiosa lectione *comparati sunt*, ait Doering. ad h. l., latet *commearunt?* (Tacit. Ann. I, 46, *an Augustum fessa ætate toties in Germanias commeare potuisse?*) vel: *contenderunt?* Fortasse, quum mediæ hujus vocis literæ vetustate fuissent absumptæ fere sic, *com***unt*, homo quidam indoctus, ut eas expleret, exsculpsit: *comparati sunt* ». Ed.

societatem eum rege jungi displicuisset. Primi a Cheronea legati, deinde a Thebis, in ipso itinere [5] occurrerunt, affirmantes non interfuisse se, quo societas ea decreta esset, concilio; quis legati, nullo in præsentia responso dato, Chalcidem se sequi jusserunt. Thebis magna contentio orta erat ex alio certamine. Comitiis prætoriis Bœotorum victa pars, injuriam persequens, coacta multitudine decretum fecit Thebis, ne Bœotarchæ urbibus reciperentur. Exsules Thespias universi concesserunt: inde (recepti enim sine cunctatione erant) Thebas, jam mutatis animis, revocati decretum faciunt, ut duodecim, qui privati cœtum et concilium habuissent, exsilio mulctarentur. Novus deinde prætor (Ismenias is erat, vir nobilis ac potens) capitalis pœnæ absentes eos decreto damnat. Chalcidem fugerant: inde ad Romanos Larissam profecti, causam cum Perseo societatis in Ismeniam contulerant. Ex contentione ortum certamen [6]. Utriusque tamen partis legati ad Romanos venerunt, et exsules accusatoresque Ismeniæ, et Ismenias ipse.

XLIV. Chalcidem ut ventum [1] est, aliarum civitatium principes, id quod maxime gratum erat Romanis, suo quique proprio decreto Persei societatem

5. *In ipso itinere* legatorum scil. romanorum *occurrerunt* iis. — *Quis legati, nullo in præsentia responso dato, C. se sequi jusserunt;* immo *quos legati*, etc. Gron. *Quis, legati, nullo*, etc. interpunxit Drakenb. jungens *quis nullo responso dato.* Conf. ad cap. 28, n. 1. — *Causam cum Perseo societatis*, etc. verbum aliquod excidisse, ac legendum esse *causam initæ cum Perseo societatis*, existimat Crever., quem probare Drak. videtur, collato XXIX, 24, princ. *monet eum, ne jura hospitii secum, neu cum populo romano initæ societatis fallat.* Ed.

6. *Ex contentione ortum certamen.* Hæc alio charactere edidit Crev., tanquam dicta ab exsulibus Bœotis. Ii nempe significant, ex contentione quæ fuerat inter ipsos et Ismeniam de societate cum Perseo, ortum certamen, quod eo eruperat, ut ipsis in exsilium abire necesse foret. Ed.

Cap. XLIV. 1. *Chalcidem ut ventum*, etc. conf. Polyb. XXVII, 1.

2. *Nisi in tribunal legatorum per-*

aspernati, Romanis se adjungebant: Ismenias gentem Bœotorum in fidem Romanorum permitti æquum censebat. Inde certamine orto, nisi in tribunal legatorum perfugisset[2], haud multum abfuit, quin ab exsulibus fautoribusque eorum interficeretur. Thebæ quoque ipsæ, quod Bœotiæ caput est, in magno tumultu erant, aliis ad regem trahentibus civitatem, aliis ad Romanos. Et turba Coroneorum[3] Haliartiorumque convenerat ad defendendum decretum regiæ societatis. Sed constantia principum, docentium cladibus Philippi Antiochique, quanta esset vis et fortuna imperii romani, victa eadem multitudo, et, ut tolleretur regia societas, decrevit, et eos, qui auctores paciscendæ amicitiæ fuerant, ad satisfaciendum legatis Chalcidem misit, fideique legatorum commendari civitatem jussit. Thebanos Marcius et Atilius læti audierunt, auctoresque et his separatim singulis fuerunt[4] ad renovandam amicitiam mittendi Romam legatos. Ante omnia exsules restitui jusserunt, et auctores regiæ societatis decreto suo damnarunt. Ita[5], quod maxime volebant,

fugisset, εἰ μὴ κατέφυγεν ὑπὸ τὰ δίθυρα τῶν Ρωμαίων Polyb. l. l. ubi Ernesti notavit hæc: « Non intell. *tribunal*, in quo magistratus sedent in actu rerum, de quo δίθυρα dici non credo, quia eam sine tecto et foribus fuisse satis constat, verum sedes insignis, structa legatis romanis, ubi sederent, dum conciones haberentur Græcorum, ut auditores et spectatores, factaque ad modum cubiculi vel *podii* in theatris, quæ haberet fores. Conf. Suet. Ner. 12 ». *Tribunal* tamen sedem quoque prætoris in ludis dici, idem Ern. monet ad Suet. Aug. 44, Claud. 21, et Ner. 12. — *Aliis ad regem trahentibus civitatem*, etc. vide ad XXIII, 8, n. 2.

3. *Et turba Coroneorum*, etc. ex Polyb. XXVII, 1, forte leg. *eo et turba Coroneorum*, etc. Gronov. *Coronæorum* scribendum esse contendunt Drak. ad XXXVI, 20, n. 2, et Berkel. ad Steph. Sed Κορώνεια est Bœotiæ, Κορώνη (*Corone*, XXXIX, 49 pr.) Messeniæ oppid., et ab illo Κορώνεις, *Coronei* vel *Coronenses*, ab hoc Κορωναῖοι, *Coronæi*, dicuntur. — *Constantia principum*, Olympichi apud Polyb.

4. *Auctores et his separatim singulis fuerunt*: puto *et his* (Thebanis) *et separatim singulis* (Bœotiæ civitatibus), Gron. — *Ante omnia exsules*, etc. conf. Polyb. XXVII, 2.

5. *Ita, discusso B. consilio* (κατα-

discusso Bœotico concilio, Peloponnesum proficiscuntur, Ser. Cornelio Chalcidem arcessito. Argis præbitum est iis concilium : ubi nihil aliud a gente Achæorum petierunt, quam ut mille milites darent. Id præsidium ad Chalcidem tuendam, dum romanus exercitus in Græciam trajiceretur, missum est. Marcius et Atilius, peractis, quæ agenda in Græcia erant, principio hiemis Romam redierunt.

XLV. Inde legatio sub idem tempus in Asiam circum insulas missa[1]. Tres erant legati, Ti. Claudius, P. Postumius, M. Junius. Ii circumeuntes hortabantur socios ad suscipiendum adversus Persea pro Romanis bellum, et, quo quæque opulentior civitas erat, eo accuratius agebant, quia minores sequuturæ majorum auctoritatem erant. Rhodii maximi ad omnia momenti habebantur, quia non favere tantum, sed adjuvare etiam viribus suis bellum poterant, quadraginta navibus auctore Hegesilocho[2] comparatis. Qui quum in summo magistratu[3] esset (Prytanin ipsi

λύειν καὶ διασκορπίζειν κατὰ πόλεις, et διελεῖν κατὰ πόλιν καὶ διαλύσαι τὸ ἔθνος dixit Polyb. cf. ad I, 54, n. 1, et XLII, 47, § 1), et dissoluta societate a Bœotis cum Perseo juncta, *Peloponnesum proficiscuntur* (vide ad X, 37, n. 1), *Ser. Cornelio*, P. Cornelii Lentuli fratre, *Chalcidem arcessito*, etc. conf. Polyb. XXVII, 2. — *Principio hiemis Romam redierunt.* Polyb. Exc. Legat. LXIII, ταῦτα διαπράξαντες ἐν τοῖς Ἕλλησι κατὰ χειμῶνα, καὶ τῷ Ποπλίῳ συμμίξαντες ἀνέπλεον εἰς τὴν Ῥώμην. Vertit Casaubonus: *his rebus per hiemem in Græcia gestis.* Unde sequitur non inter Livium et Polybium hic convenire, nisi, distinctionem ante et post κατὰ χειμῶνα, sicut fecit Ursinus in not. in Polyb., posueris, et hæc non cum διαπράξαντες, sed cum ἀνέπλεον εἰς τὴν Ῥώμην conjunxeris. Ed.

Cap. XLV. 1. *Inde legatio in Asiam* Minorem *circum insulas missa*, etc. conf. Polyb. XXVII, 3, qui *M. Junium* non memorat, et ex quo *in Asiam et circum insulas* emend. Drakenb. qui et conj. *Sp. Postumius.*

2. *Auctore Hegesilocho:* perperam in libris vett. *Hegesilo*, et apud Polyb. Γησίλοχος· Ursin. Conf. de eodem Polybius, XXVIII, 2, 14; XXIX, 4, quibus Ἡγησίλοχος dorice dicitur Ἀγησίλοχος et Ἀγεσίλοχος, ut Spartanis Ἀγησίλαος pro Ἡγεσίλαος. Conf. Schweigh. ad Polyb. XXVII, 3, § 3, et XXVIII, 14, § 5, 6, 8.

3. *In summo magistratu* Rhodio-

vocant), multis rationibus pervicerat Rhodios, ut, omissa, quam sæpe vanam experti essent, regum fovendorum spe, romanam societatem (unam tum in terris vel viribus, vel fide stabilem) retinerent. *Bellum imminere cum Perseo: desideraturos Romanos eumdem navalem apparatum, quem nuper Antiochi, quem Philippi ante bello vidissent. Trepidaturos tum repente paranda classe*[4], *quum mittenda esset, nisi reficere naves, nisi instruere navalibus sociis cœpissent. Id eo magis enise faciendum esse, ut crimina delata ab Eumene fide rerum refellerent.* His incitati, quadraginta navium classem instructam ornatamque legatis romanis advenientibus, ut non exspectatam adhortationem esse appareret, ostenderunt. Et hæc legatio magnum ad conciliandos animos civitatium Asiæ momentum fuit. Decimius unus sine ullo effectu, captarum etiam pecuniarum ab regibus Illyriorum suspicione infamis, Romam rediit.

XLVI. Perseus, quum a colloquio[1] Romanorum in Macedoniam recepisset sese, legatos Romam de inchoatis cum Marcio conditionibus pacis misit, et Byzantium et Rhodum literas legatis ferendas dedit. In literis eadem sententia ad omnes erat: *colloquutum se cum Romanorum legatis.* Quæ audisset, quæque

rum, qui per sex menses gerebatur, et quem *Prytanin ipsi vocant*, ut curiam Πρυτανεῖον. Conf. ad XLI, 20, n. 5; Polyb. XIII, 5, XV, 23, XVI, 5, XXIII, 3, XXVII, 6, XXIX, 4.— *Pervicerat Rhodios*, commoverat, iis persuaserat, ut apud Tacit. Ann. XV, 57. Sed *pervicerat, Rhodii ut*, etc. recte, opinor, conj. Drak. qui docet, *pervincere* sæpissime pro obtinere, persuadere, Livio dici, sed semper sine adjecto casu.

4. *Trepidaturos tum repente paranda classe;* vide ad III, 49, n. 4. — *Navalibus sociis;* vid. IX, 38, n. 1. — *Classem instructam ornatamque;* vid. VI, 5, n. 3, et IX, 40, n. 12.

Cap. XLVI. 1. *A colloquio Romanorum;* vid. cap. 38 sq. et ad I, 1, n. 5.—*Byzantium et Rhodum literas*, etc. conf. Polyb. XXVII, 4: ex quo patet, literas ad plures populos fuisse missas; unde et mox *ad omnes* dicit Livius: in quo itaque hoc loco ali-

dixisset, ita disposita[2], ut superior fuisse in disceptatione videri posset. Apud Rhodios legati addiderunt, *Confidere pacem futuram; auctoribus enim Marcio atque Atilio missos Romam legatos. Si pergerent Romani contra fœdus movere bellum, tum omni gratia, omni ope enitendum fore Rhodiis, ut reconcilient pacem: si nihil deprecando proficiant, id agendum, ne omnium rerum jus ac potestas ad unum populum perveniat. Quum cæterorum id interesse, tum præcipue Rhodiorum, qui plus inter alias civitates dignitate atque opibus excellant*[3]*: quæ serva atque obnoxia fore, si nullus alio sit, quam ad Romanos, respectus.* Magis et literæ et verba legatorum benigne sunt audita, quam momentum ad mutandos animos habuerunt: potentior esse partis melioris auctoritas cœperat. Responsum ex decreto est: *Optare pacem Rhodios. Si bellum esset, ne quid ab Rhodiis speraret aut peteret rex, quod veterem amicitiam, multis magnisque meritis pace belloque partam, disjungeret sibi ab Romanis.* Ab Rhodo redeuntes Bœotiæ[4] quoque civitates et Thebas et Coroneam et Haliartum adierunt; quibus expressum invitis[5] existimabatur, ut, relicta regia societate, Romanis adjungerentur. Thebani nihil moti sunt, quanquam nonnihil, et damnatis principibus,

quid corruptum esse, vel excidisse, putabat Crev.

2. *Quæ audisset, quæque dixisset, ita disposita;* Polyb. tamen κατέταττεν εἰς τὴν ἐπιστολὴν, Gronov. Quæ Græca non bene reddidisse videtur Livius. Vertenda sunt: exposuit seu scripsit in epistola. — *Si pergerent Romani c. fœdus*, etc. cf. Polyb. l. l.

3. *Qui plus inter alias civitates dignitate a. o. excellant*, immo *quo plus*, ne τὸ *plus* vacet, et quia Polyb. ὅσῳ πλεῖον dixit; Crev. — *Quæ serva atque obnoxia* (vide ad III, 39, n. 1) *fore;* forte leg. *quas servas atque obnoxias fore, si nullus alio sit, quam ad Romanos, respectus;* vide ad XXI, 44, n. 6.

4. *Ab Rhodo redeuntes Bœotiæ*, etc. confer Polyb. Excerpt. Legat. XXVII, 5, qui tamen Antigonum, non vero eosdem legatos a Perseo in Bœotiam missos tradit.

5. *Expressum invitis;* vide ad IV,

et restitutis exsulibus, succensebant Romanis. Coronei et Haliartii, favore quodam insito in reges[6], legatos in Macedoniam miserunt, præsidium petentes, quo se adversus impotentem superbiam[7] Thebanorum tueri possint. Cui legationi responsum ab rege est, *præsidium se propter inducias cum Romanis factas mittere non posse; tamen suadere, ita a Thebanorum injuriis, qua possent*[8], *ut se vindicarent, ne Romanis præberent causam in se sæviendi.*

XLVII. Marcius et Atilius Romam quum venissent, legationem in Capitolio ita renuntiarunt, ut nulla re magis gloriarentur, quam decepto per inducias et spem pacis rege. *Adeo enim apparatibus belli fuisse instructum, ipsis nulla parata re, ut omnia opportuna loca præoccupari ante ab eo potuerint, quam exercitus in Græciam trajiceretur*[1]. *Spatio autem induciarum sumpto, venturum illum nihilo paratiorem; Romanos omnibus instructiores rebus cœpturos bellum. Bœotorum quoque se concilium arte distraxisse, ne conjungi amplius ullo consensu Macedonibus possent.* Hæc, ut summa ratione acta, magna pars senatus approbabat: veteres et moris antiqui memores negabant, *se in ea legatione romanas agnoscere artes. Non per insidias et nocturna prælia, nec simulatam fugam improvisosque ad incautum hostem reditus, nec ut astu magis, quam vera virtute, gloriarentur,*

55, n. 1. — *Et damnatis principibus, et restitutis exsulibus*; conf. ad cap. 43, 44.

6. *Favore insito in reges*, forte *regem*, Persea.

7. *Impotentem superbiam*; vide ad III, 36, n. 2.

8. *Qua possent*; vide ad XXXV, 14, n. 1.

Cap. XLVII. 1. *Omnia opportuna loca præoccupari ante... quam exercitus in G. trajiceretur*; vide ad I, 54, n. 4, et IX, 23, n. 1. — *Venturum illum nihilo paratiorem*, h. e. fore, ut passim *venire* et ἔρχεσθαι pro *esse*; vide ad Juvenal. II, 83, et VII, 29. — *Bœotorum se concilium arte distraxisse*; vid. cap. 44, n. 5.

bella majores gessisse; indicere prius, quam gerere, solitos bella, denuntiare etiam; interdum locum finire, in quo dimicaturi essent. Eadem fide indicatum Pyrrho regi medicum, vitæ ejus insidiantem: eadem Faliscis vinctum traditum proditorem liberorum[2] *regis. Hæc Romana esse, non versutiarum Punicarum, neque calliditatis Græcæ; apud quos fallere hostem, quam vi superare, gloriosius fuerit. Interdum in præsens tempus plus profici dolo, quam virtute; sed ejus demum animum in perpetuum vinci, cui confessio expressa sit, se neque arte, neque casu, sed collatis cominus viribus, justo ac pio bello esse*[3] *superatum.* Hæc seniores, quibus nova hæc minus placebat sapientia. Vicit tamen ea pars senatus, cui potior utilis,

—*Indicere... solitos bella, denuntiare etiam.* Bellum *indicere* et *denuntiare* notavit Crev. sic inter se differre: « bellum *indicebatur* senatus decreto ac populi jussu: tum *denuntiabatur* vel ipsi utique regi aut populo, cui *indictum* fuerat, vel saltem ad proximum in finibus præsidium. Vid. sup. lib. XXXI, cap. 8 ». Hic vero locus diversum in modum a doctis viris tentatus est atque emendatus. Walch. Emend. Liv. pag. 7, verba *denuntiare etiam* hic subabsurda esse monet, quum τὸ *indicere* amplius quiddam designare videatur quam τὸ *denuntiare*, et conjicit partim Polybio duce: *denuntiare aciem, interdiu locum finire.* Büttn. Obss. pag. 101, hunc locum ita refingit: *denuntiare certamina, interdum*, etc. et vocem ait *certamina* ex apicibus literarum *e etiam in* haud difficulter eruendam. Frid. Jacobs. apud Goell. pag. 402, partim admissa Walchii emendatione, conjicit: *denuntiare aciem; iter, diem, locum finire.* Ed.

2. *Faliscis vinctum traditum proditorem liberorum regis;* supra ad V, 27, *principum liberos* dixerat, regis mentione nulla: sed hic non id agebatur; Bauer. Liberos principum vel Faliscorum memorant omnes (Plut. Camill. p. 133; Polyæn. Strat. VIII, 7, n. 1; Frontin. IV, 4, § 1; Dio in Exc. Peiresc. pag. 579; Zonar. VII, 22; Flor. I, 12, § 5, et quos ibi laudat Freinsh.), neque probari potest, Faliscos eo tempore regi paruisse; Drak. Livium hic alios sequutum esse auctores, putabat Sigon. Ultimam vocem delet Grut. *prod. liberorum magistrum* conj. Gronov. Malim *proditorem verberandum virgis*, et deinde: *Hæc Romana esse, illa versutiarum Punicarum atque calliditatis Græcæ*, scil. facinora seu exempla. Conf. ad III, 62, n. 5; XXI, 4, n. 10; XXVI, 31, n. 1.

3. *Justo ac pio bello esse superatum;* edit. princeps præfert: *justo ac pio esse bello superatum;* vide cæterum ad I, 22, n. 6.

quam honesti, cura erat, ut comprobaretur prior legatio Marcii, et eodem rursus in Græciam cum quinqueremibus remitteretur[4], jubereturque cætera, uti e republica maxime visum esset, agere. A. quoque Atilium miserunt ad occupandam Larissam in Thessalia, timentes, ne, si induciarum dies exisset[5], Perseus, præsidio eo misso, caput Thessaliæ in potestate haberet. Duo millia peditum Atilius ab Cn. Sicinio accipere ad eam rem agendam jussus. Et P. Lentulo, qui ex Achaia redierat, trecenti milites italici generis dati, ut Thebis daret operam, ut in potestate Bœotia esset.

XLVIII. His præparatis, quanquam ad bellum consilia erant destinata, senatum tamen præberi[1] legatis placuit. Eadem fere, quæ in colloquio ab rege dicta erant, relata ab legatis. Insidiarum Eumeni factarum crimen et maxima cura, et minime tamen probabiliter (manifesta enim res erat), defensum. Cætera deprecatio erat[2]: sed non eis animis audiebantur, qui aut doceri, aut flecti possent. Denuntiatum[3] extemplo mœnibus urbis Romæ, Italia intra trigesimum diem excederent. P. Licinio deinde consuli, cui Ma-

4. *Eodem rursus in Græciam remitteretur;* vide ad II, 45, n. 10. Pro *eodem* semper legendum putavi *idem;* quod etiam conjecisse video Ant. Periz. Voces *in Græciam* a mala manu additas esse, et numerum quinqueremium excidisse, existimabant Duk. et Crever. Decem quinqueremes Marcio tributas fuisse, ex cap. 27 et 48, colligit Drak. sed et cap. 56, simpl. *cum navibus* dici monet. — *E rep. visum esset* ipsi; vide ad I, 27, n. 5.

5. *Si induciarum dies exisset;* vide ad IX, 34, n. 18.

Cap. XLVIII. 1. *Senatum præberi* (vide ad VIII, 5, n. 1) *legatis* Persei, etc. cf. Polyb. XXVII, 7, et Appian. Maced. Exc. IX, 5. Vox *Persei* aut *regis* excidisse videtur.—*In colloquio ab rege dicta;* conf. cap. 38-43.

2. *Cætera deprecatio erat;* vide ad XXXIV, 34, n. 1.

3. *Denuntiatum* legatis Persei, ut *extemplo mœnibus*, etc. Idem cunctis Macedonibus, qui Romæ tum forte essent, denuntiatum et magnam inde ortam esse trepidationem, tradunt Polyb. et Appian. ll. ll. — Pro *diceret* legendum putat Doer. *ediceret.* Certe alibi quoque Noster non *dicere*, sed

cedonia provincia obvenerat, denuntiatum, ut exercitui diem primam quamque diceret ad conveniendum. C. Lucretius prætor, cui classis provincia erat, cum quadraginta quinqueremibus ab Urbe[4] profectus: nam ex refectis navibus alias in alium usum retineri ad Urbem placuit. Præmissus a prætore est frater Lucretius[5] cum quinquereme una, jussusque, ab sociis ex fœdere acceptis navibus, ad Cephalleniam classi occurrere. Ab Rheginis triremi una, ab Locris duabus, ab Uritibus quatuor[6], præter oram Italiæ supervectus Calabriæ extremum promontorium in Ionio mari, Dyrrhachium trajicit. Ibi decem ipsorum Dyrrhachinorum, duodecim Issæorum, quinquaginta quatuor Gentii regis lembos nactus[7], simulans se credere, eos in usum Romanorum comparatos esse, omnibus abductis, die tertio Corcyram, inde protenus in Cephalleniam trajicit. C. Lucretius prætor ab Neapoli profectus, superato freto, die quinto in Cephalleniam transmisit. Ibi stetit classis, simul opperiens, ut terrestres copiæ trajicerentur, simul, ut onerariæ, ex agmine suo per altum dissipatæ, consequerentur.

edicere militibus diem ad conveniendum scripsit. Sic sup. XXII, 11: *his per magistrum equitum scriptis, Tibur diem ad conveniendum edixit*, et sic capite sequente; itidem et XXI, 2, et XXXV, 3. Videtur hic præcedens particula *que* τὸ *e* absorpsisse. Ed.

4. *C. Lucretius prætor... ab Urbe profectus:* sed jam antea Brundisium erat profectus; vid. cap. 35. Itaque rediisse censendus est, ut naves, tum nondum paratas, deduceret. — *Ex refectis navibus*, etc. nam quinquaginta parari placuerat; vid. cap. 27 pr.

5. *Frater Lucretius*, ex cap. 56 leg. *frater M. Lucretius;* Gronovius. Conf. Pighii Annales ad annum 581.

6. *Ab Rheginis triremi una... ab Uritibus quatuor*, i. e. una triremi Rheginorum, etc. (vide ad XXVII, 5, n. 4) nisi excidit *exactis;* Drak. Pro *Uritibus* Doujat. conj. *Veliatibus;* Turneb. Advers. XXX, 37, *Bruttiis;* Cluver. Ital. Ant. IV, 14, *Thuriis;* Gron. *Uriatibus*. Uria Apuliæ oppid., unde Urias sinus. Sed quærendum puto locum inter Locros et Calabriæ extremum promont. in mari Ionio; Drak. — *Supervectus*, alias *superare* vel *prætervehi;* Ern.

7. *Gentii regis lembos nactus;* vide ad V, 45, n. 1.

6.

XLIX. Per hos forte dies P. Licinius consul, votis in Capitolio nuncupatis, paludatus ab Urbe profectus est[1]. Semper quidem ea res cum magna dignitate ac majestate geritur; præcipue tamen convertit oculos animosque[2], quum ad magnum nobilemque aut virtute aut fortuna hostem, euntem consulem prosequuntur. Contrahit enim[3] non officii modo cura, sed etiam studium spectaculi, ut videant ducem suum, cujus imperio consilioque summam rempublicam tuendam permiserunt. Subit deinde cogitatio animum, qui belli casus, quam incertus fortunæ eventus, communisque Mars belli[4] sit; adversa, secunda, quæque inscitia et temeritate ducum clades sæpe acciderint, quæ contra bona prudentia et virtus attulerit. Quem scire mortalium, utrius mentis, utrius fortunæ consulem ad bellum mittant? triumphantemne mox cum exercitu victore scandentem Capitolium ad eosdem deos, a quibus proficiscatur, visuri, an hostibus eam præbituri lætitiam sint? Persi autem regi, adversus quem ibatur, famam et bello clara Macedonum gens, et Philippus pater, inter multa prospere gesta[5] romano etiam nobilitatus bello, præbebat; tum ipsius Persei nunquam, ex quo regnum accepisset, desitum belli exspectatione celebrari nomen. Cum his cogitationibus omnium ordinum homines proficiscentem consulem prosequuti sunt. Duo

Cap. XLIX. 1. *Votis in Capitolio nuncupatis, paludatus ab Urbe profectus est;* vide ad XXI, 63, n. 10.

2. *Convertit oculos animosque;* vide ad XXII, 51, n. 3.

3. *Contrahit enim*, sc. permultos, magnam hominum multitudinem, *non officii modo cura;* vide ad VI, 34, n. 6, et XXI, 63, n. 10. — *Summam rempublicam;* vide ad III, 5, n. 6.

4. *Incertus fortunæ eventus, communisque Mars belli;* vid. V, 12, n. 1. — *Utrius mentis*, scilicet utrum imprudentis, an prudentis? *Utrius fortunæ*, utrum adversæ, an prosperæ. Ed. — *Persi regi;* vid. cap. 25, n. 1.

5. *Inter multa prospere gesta*, etc. vide ad XXXVI, 38, n. 2.

consulares tribuni militum[6] cum eo missi, C. Claudius, Q. Mucius; et tres illustres juvenes, P. Lentulus, et duo Manlii Acidini. Alter M. Manlii, alter L. Manlii filius erat. Cum iis consul Brundisium ad exercitum, atque inde cum omnibus copiis transvectus, ad Nymphæum in Apolloniati agro posuit castra.

L. Paucos ante dies Perseus, postquam legati, ab Roma regressi, præciderant spem pacis, consilium habuit. Ibi aliquamdiu diversis sententiis certatum est. Erant, quibus vel stipendium pendendum, si injungeretur, vel agri parte cedendum, si[1] mulctarent; quidquid denique aliud pacis causa patiendum esset, non recusandum videretur, nec committendum, ut in aleam tanti casus se regnumque daret[2]. *Si possessio haud ambigua regni maneret, multa diem tempusque*

6. *Duo consulares tribuni militum* (vide ad XXXVI, 17, n. 1) *cum eo* consule *missi*, quod indicio est, ex SCto id factum tribunosque lectos et creatos fuisse (cf. cap. 35, et XLIV, 21); *C. Claudius, Q. Mucius*, qui tamen Mucius, cap. 67, *legatus consulis* vocatur; Duker. — *Tres illustres juvenes*, contubernales, comites, sectatores. Conf. ad Tacit. Ann. I, 29, n. 3. — *Duo Manlii Acidini, alter M. Manlii, alter L. Manlii filius:* forte *alter Manii, alter L. Manliorum;* Gronov. Prænomen *M.* utique corruptum videtur: nam gentis Manliæ decreto cautum, ne post Capitolinum quis *M. Manlius* vocaretur; vid. VI, 20. Sed neque Manliorum Acidinorum, neque aliorum totius gentis Manliæ quisquam prænomine *Manius* invenitur; Duker. Hos Manlios Acidinos forsan fuisse e plebeiis Manliis, vel aliquem e Manliis Acidinis patriciis ad Manlios plebeios (qui prænomen Marci non repudiarunt) adoptione vel alia de causa translatum esse, suspicabatur Spanhem. de usu et pr. num. Diss. VI, pag. 518, et Diss. X, pag. 33, 34, ed. sec. « Sed in gente Manlia plebeia quoque cognomen Acidini fuisse, non constat, et adoptione non pars gentis fit vel plebeia vel patricia. Potuit quidem transitione a patriciis ad plebem factum esse, ut Manlii Acidini partim plebeii fuerint, partim patricii. Conf. IV, 16, et Suet. Aug. 2. Verum id aliunde non constat. Forte leg. *Cn. Manlii*, et præterea *duo L. Manlii Acidini:* videtur enim a more Livii abhorrere, duos hos Manlios patrum, non suis prænominibus designari ». Drakenb. Idem mox post *exercitum* excidisse putabat *venit* vel *abiit*.

Cap. L. 1. *Si mulctarent*, scilic. Romani.

2. *In aleam tanti casus se r. d.* vid. XXVIII, 42, n. 11. — *Sub casibus*

afferre posse, quibus non amissa modo recuperare, sed timendus ultro iis esse, quos nunc timeret, posset. Cæterum multo major pars ferocioris sententiæ erat: *Quidquid cessisset, cum eo simul regno protenus cedendum esse,* affirmabant. *Neque enim Romanos pecunia aut agro egere; sed hoc scire, quum omnia humana, tum maxima quæque et regna et imperia sub casibus multis esse: Carthaginiensium opes fregisse sese*[3], *et cervicibus eorum præpotentem finitimum regem imposuisse: Antiochum progeniemque ejus ultra juga Tauri remotum. Unum esse Macedoniæ regnum, et regione propinquum, et quod, sicubi populo romano sua fortuna labet*[4], *antiquos animos regibus suis videatur posse facere. Dum integræ res** apud animum suum Persea debere, utrum, singula concedendo, nudatus ad extremum opibus extorrisque regno, Samothraciam aliamve quam insulam petere ab Romanis, ubi privatus superstes regno suo in contemptu atque inopia consenescat, malit; an, armatus vindex fortunæ dignitatisque suæ, ita ut viro forti dignum sit, patiatur, quodcumque casus belli tulerit; aut victor liberet orbem terrarum ab imperio romano. Non esse admirabilius Romanos Græcia pelli, quam Hannibalem Italia pulsum esse. Neque, Hercule, videre, qui conveniat, fratri, affectanti per injuriam regnum, summa vi restitisse; alienigenis bene*

multis esse, pro vulgari: *multis casibus subjecta et exposita esse.* Ed.

3. *Carthaginiensium opes fregisse sese*, sc. scire Romanos, *et cervicibus eorum imposuisse* (vide ad III, 31, n. 1) *præpotentem finitimum regem*, Masinissam. — *Ultra juga Tauri remotum*, ut XLII, 42, n. 4. Sed leg. *emotum*, ut XXX, 23; XXXVII, 53; XXXVIII, 12, 47, 48, 53; XLI, 21; XLV, 15; Gronov. et Drakenb.

4. *Sicubi populo romano sua fortuna labet*; vide sup. ad librum, I, 56, n. 10, et II, 39, n. 9. *Sicubi P. R.* edd. ante Sigon. qui notas male *populus romanus* reddidit. Idem mox lacunam ita explet: *Dum integræ res sint,*

parto eo cedere. Postremo ita bello et pace quæri[5], *ut inter omnes conveniat, nec turpius quidquam esse, quam sine certamine cessisse regno, nec præclarius quidquam, quam pro dignitate ac majestate omnem fortunam expertum esse.*

LI. Pellæ, in vetere regia Macedonum, hoc consilium erat. « Geramus ergo, inquit, diis bene juvanti« bus, quando ita videtur, bellum »; literisque circa præfectos dimissis, Citium (Macedoniæ oppidum[1] est) copias omnes contrahit. Ipse centum hostiis sacrificio regaliter Minervæ, quam vocant Alcidem, confecto, cum purpuratorum et satellitum manu profectus Citium est. Eo jam omnes Macedonum externorumque auxiliorum convenerant copiæ. Castra ante urbem ponit, omnesque armatos in campo struxit[2]. Summa

cogitare apud animum, etc. et Drak. *dum i. res sunt, statuere apud*, etc.

5. *Postremo ita bello et pace quæri*, immo *bellum et pacem*; Gronov. coll. I, 27 pr. *Ita bello pacem præferri* conj. Drak. et *ita bello et pacem quæri* Doujat., h. e. bellum necessarium esse ad pacem tolerabilem obtinendam, et tentandam belli sortem, quia sine bello regnum abdicare probrosum habeatur. Forte leg. *id* pro *ita*. — Hunc locum Doering. duabus vocibus insertis ita emendandum et explanandum putat: *Postremo ita de bello et pace quæri debere*, scil. ab iis, qui de bello et pace deliberant, *ut inter omnes conveniat*, ut omnes, qui de bello et pace deliberant, conveniant in hac sententia, *nec turpius quidquam esse*, etc. Ed.

Cap. LI. 1. *Citium Macedoniæ opp.* non alibi memoratur. Πόλις Πύδνα, ἣ νῦν Κίτρον καλεῖται Strab. Exc. lib. VII, pag. 330, unde Palmer. in Exerc. ad Script. Græc. p. 302, emend. Κίττιον, aut apud Liv. *Citrum*. Sed Excerpta illa Strab. esse recentioris Græculi, et diversas urbes *Citium* et *Pydnam*, docent Drak. et Wessel. ad Antonini Itin. pag. 328. — *Minervæ, quam vocant Alcidem*; dicta forte Alcis ab ἀλκή. *Alcidemon* conj. Turnebus, Advers. XXX, 37, ut Ἀλκίδημος vocata sit a Macedonibus, quemadmodum ab aliis Λαόσας et Ἀλκιμάχη. *Alcimum* (fortem) emend. Doujat. vel *Alcidæ*, Herculis, a quo reges Maced. originem ducant.

2. *Omnesque armatos in campo struxit*, immo *instruxit* (sed et *struere aciem* dixere Liv. VIII, 8, IX, 31, XLII, 7, et Tacit. Ann. XI, 24, Hist. IV, 24, V, 11; Drakenb.); et mox *quadraginta tria millia armata*; Gronov. Conf. extrema verba hujus cap. Ex *XLIII* factum esse *XLM* suspicabatur Drak. Forte et leg. *armati*, i. e. armatorum, ut *quatuor mil-*

omnium quadraginta millia armata fuere : quorum pars ferme dimidia phalangitæ erant. Hippias Beroeæus præerat. Delecta deinde et viribus et robore ætatis, ex omni cætratorum numero, duo erant agemata: hanc ipsi legionem vocabant. Præfectos habebant Leonatum et Thrasippum Eulyestas[3]. Cæterorum cætratorum trium ferme millium hominum, dux erat Antiphilus Edessæus. Pæones et ex Parorea[4] et Parstrymonia (sunt autem ea loca subjecta Thraciæ) et Agrianes, admixtis etiam Thracibus incolis, trium millium ferme et ipsi expleverunt numerum. Armaverat contraxeratque eos Didas Pæon, qui adolescentem Demetrium occiderat. Et armatorum duo millia Gallorum erant, præfecto Asclepiodoto. Ab Heraclea ex Sintiis tria millia Thracum liberorum suum ducem habebant. Cretensium par pæne numerus suos duces sequebatur, Susum Phalasarneum et Syllum Gnossium. Et Leonides Lacedæmonius quingentis ex Græcia, mixto generi hominum, præerat. Regii is generis ferebatur; exsul, damnatus frequenti concilio Achæorum, literis ad Persea deprensis. Ætolorum et

lia scutati, XXVIII, 2; et *armati* sunt milites, idoneis ad pugnam armis instructi, a quibus distinguitur inutilis turba lixarum et calonum; Duker. Conf. XXVIII, 18; XXXI, 49; Cic. pro Cæcin. 21; Curt. VI, 8, n. 23.—*Beroeæus*, e Beroea, Emathiæ oppido. Ed. — *Ex omni cætratorum numero duo agemata : hanc ipsi legionem vocabant;* vide ad XXI, 21, n. 6, et XXXVII, 40, n. 3. — Vide etiam Exc. ad lib. XXXVII, edit. nostræ t. VII, p. 187. Ed.

3. *Leonatum et Thrasippam Eulyestas;* Turnebus conj. *Elymiotas*, et Gron. *Lyncestas*. An leg. *Olynthios?* *Leonatus* scribitur apud Justin., sed *Leonnatus* apud Græcos, Nepotem et alios.

4. *Et ex Parorea*, ejus incolæ; vide ad XXXIX, 27, n. 3. — *Ab Heraclea ex Sintiis*, Σιντοῖς in Thracia ad fines Mædorum; vid. Strab. VI, p. 331; XII, p. 549. Σίντοι vocantur Thucyd. II, 98, ubi Schol. monet, *Sintios* fuisse incolas Lemni, qui in Thraciam migrantes dicti fuerint *Sinti*. Quod si verum est, h. l. leg. *et Sintis;* Drak.—*Susum Phalasarneum*, forte *Phalasarnium*, Drak. e Steph. Byz. — *Phalasarna* urbs Cretæ, vocatur hodie *Contarini*. Ed.

Bœotorum, qui non explebant plus quam quingentorum omnes numerum, Lyco Achæus præfectus erat. Ex his mixtis tot populorum, tot gentium auxiliis, duodecim millia armatorum ferme efficiebantur. Equitum ex tota Macedonia contraxerat tria millia; venerat eodem Cotys, Seuthæ filius, rex gentis Odrysarum, cum mille delectis equitibus, pari ferme peditum numero. Summa totius exercitus triginta novem millia peditum erant, quatuor equitum. Satis constabat, secundum eum exercitum [5], quem Magnus Alexander in Asiam trajecit, nunquam ullius Macedonum regis copias tantas fuisse.

LII. Sextus et vicesimus annus [1] agebatur, ex quo petenti Philippo data pax erat. Per id omne tempus quieta Macedonia et progeniem ediderat, cujus magna pars matura militiæ esset, et levibus bellis Thracum accolarum, quæ exercerent magis, quam fatigarent, sub assidua tamen militia fuerat; et diu meditatum Philippo primo, deinde et Persi [2], romanum bellum, omnia ut instructa parataque essent, effecerat. Mota parumper acies (non justo decursu tamen),

5. *Secundum eum exercitum* vide ad I, 4, n. 1), *quem M. Alexander*, etc. cujus tamen exercitum numero fuisse minorem, *XXX* aut *XXXIV* militum peditum, *IV* aut *V* millium equitum, docet Drak. conf. IX, 19; Plut. Alex. pag. 672; Justin. XI, 6; Freinsh. Supplem. Curt. II, 3; Diodor. XVII, 17; Arrian. I.

Cap. LII. 1. *Sextus et vicesimus annus*, etc. recte: nam C. Cornelio et Q. Minucio coss. pax petenti data est; vide ad XXXIII, 12, 13, 24, 30. Conf. Periz. ad h. l. et Dodwell. de Cyclis, X, 34.

2. *Deinde et Persi;* vide ad cap. 25, n. 1. — *Romanum bellum*, cum Romanis gerendum. — *Mota parumper acies*, etc. hunc locum Doering. ita explicat: Perseus milites in aciem educi, et aciem paulisper moveri jussit (non ita tamen, ut fieri solet, quum milites in exercitatione campestri huc illuc decurrunt, et ad pugnæ simulacrum invicem se petunt), ne nihil egisse, sed stetisse tantummodo in armis viderentur. Cæterum monet idem concinniorem exituram orationem, si particula *tantum*, quod Mureto placebat, ante *ne* transponeretur, ut sit: sed eatenus tantum aciem moveri jussit, *ne* desides *in armis ste-*

ne stetisse tantum in armis viderentur; armatosque, sicut erant, ad concionem vocavit. Ipse constitit in tribunali, circa se habens filios duos[3] : quorum major Philippus, natura frater, adoptione filius; minor, quem Alexandrum vocabant, naturalis erat. Cohortatus est milites ad bellum : injuriam populi romani in patrem seque commemoravit : *Illum, omnibus indignitatibus compulsum ad rebellandum, inter apparatum belli fato oppressum : ad se simul legatos, simul milites ad occupandas Græciæ urbes missos. Fallaci deinde colloquio per speciem reconciliandæ pacis extractam hiemem, ut tempus ad comparandum haberent*[4], *Consulem nunc venire cum duabus legionibus romanis, quæ ** trecenos equites habeant, et pari ferme numero sociorum peditum equitumque. Eo ut accedant regum auxilia Eumenis et Masinissæ,*

tisse viderentur. De *decursu* vide ad XXIII, 35, n. 3. Ed.

3. *Circa se habens* Perseus *filios duos, Philippum et Alexandrum:* sic et duo filii memorantur XLV, 39, duo cum filia XLV, 28, et Plut. qui eos in triumpho ductos esse ab Æmilio dicit; tres filii ante currum Paulli ducti Epit. lib. XLV, liberi parvi regii præter Philippum inf. XLV, 6. — *Simul legatos ad se, simul milites... missos* a Romanis : *fallaci colloquio*, etc. conf. cap. 38 sq. et 47.

4. *Extractam hiemem, ut tempus ad comparandum haberent;* vide ad IV, 43, n. 6, et XXXV, 45, n. 2. Mox recte notam lacunæ apposuit Gron. eamque ex cap. 31 ita explevit : *cum duabus legionibus romanis, quæ singulæ sena millia peditum et trecenos equites habeant, et parem ferme numerum sociorum p. e.* Enimvero non modo legionarios, sed et pedites equitesque sociales numero auctos fuisse tradit Livius, cap. 31. « Licet etiam utrumque rescire potuerit Perseus, tamen ei magis conveniebat, ut copias romanas minueret, quam augeret. Igitur pro *sena millia* lego *quina millia*, qui pristinus fuit numerus. Præterea servo vulg. *pari numero :* non enim legiones romanas habebant *sena millia peditum, trecenos equitum et parem ferme numerum sociorum p. e.* ». Drakenb. — *Eo ut*, quamvis, *accedant regum auxilia Eumenis et Masinissæ, non plus septem millia peditum, duo equitum futura :* qui numerus ad sola hæc auxilia pertinet; et forte *ea* excidit post *Masinissæ* aut *millia*. Mendum in numero latere putabat Duk. qui eum ad totum referebat exercitum; et *eo accedent*, ex emendatione Drakenborchii. Sed profecto ita potius dicendum erat *eo accedere*.

non plus septem millia peditum, duo equitum futura. Auditis hostium copiis, respicerent suum ipsi exercitum, quantum numero, quantum genere militum præstarent tironibus, raptim ad id bellum conscriptis, ipsi, a pueris eruditi artibus militiæ, tot subacti atque durati bellis[5]. *Auxilia Romanis Lydos et Phrygas et Numidas esse; sibi Thracas Gallosque, ferocissimas gentium. Arma illos habere ea, quæ sibi quisque paraverit pauper miles*[6]: *Macedonas prompta ex regio apparatu, per tot annos patris sui cura et impensa facta. Commeatum illis quum procul, tum omnibus sub casibus maritimis fore: se et pecuniam et frumentum, præter reditus metallorum, in decem annos seposuisse. Omnia, quæ deorum indulgentia, quæ regia*

5. *Tot subacti atque durati bellis;* vide ad VII, 29, n. 3. *Subigi* est crebro exerceri, fatigari, vexari, metaphora a farina et luto, vel terra sæpe arata et culta, desumpta, quæ ad ingenium quoque, usu frequenter exercitatum excultumque, transfertur.

6. *Arma illos habere ea, quæ sibi quisque paraverit pauper miles;* nota Dukeri est: « Milites romani sibi de suo quemque paravisse arma, et sua cuique classi ea ex censu imperata fuisse, patet ex Liv. I, 43, et Polyb. VI, 21 sq. nec non ex Gell. XVI, 10, qui proletarios scribit asperis reip. temporibus publicitus armatos fuisse: hi enim, quia in classibus, quibus arma ex censu imperata erant, non censebantur, ipsi arma non habebant. Nec memini, in Livio usquam armorum cura publica paratorum mentionem fieri, nisi XXII, 57, quod de servis, publice emptis, ut militarent, accipiendum reor. Ad ea autem fabricanda tum in Urbe extra ordinem armamentaria institui potuerunt, ut postea ob seditionem Saturnini; vid. Cic. pro Rabir. Perd. 7. Ea in Urbe non fuisse, nisi difficilibus reip. temporibus, probabile fit ex Cic. Phil. VII, 4, unde liquet, insolitum id et extraordinarium fuisse. Enimvero Polyb. VI, 37 (cap. 39 extr. in edit. Schweigh.) dicit, quæstorem de stipendio militum pro frumento, veste κἂν τινος ὅπλου προσδεηθῶσι, certam pecuniam deduxisse; et apud Tacit. Ann. I, 16, Percennius miles queritur, *denis in diem assibus animam et corpus æstimari; hinc vestem, arma, tentoria redimi.* Frumentum et vestis de publico præbebantur; sed mihi non dubium est, quin uterque de armis militum, qui adversus hostes rem gerebant, et maxime eorum, qui in provinciis militabant, loquatur, non eorum, qui primum ad bella mittebantur: nam frumentum quoque et vestem milites demum in bello et provinciis de publico accipiebant. Præterea Polybius significat, si quid armorum inutile factum fuisset, iis

cura præparanda fuerant[7], *plena cumulataque habere Macedonas. Animum habendum esse, quem habuerint majores eorum; qui, Europa omni domita, transgressi in Asiam, incognitum famæ*[8] *aperuerint armis orbem terrarum, nec ante vincere desierint, quam Rubro mari inclusis, quod vincerent, defuerit. At, Hercule, nunc non de ultimis Indiæ oris, sed de ipsius Macedoniæ possessione certamen fortunam indixisse. Cum patre suo gerentes bellum Romanos speciosum Græciæ liberandæ tulisse titulum*[9]*: nunc propalam Macedoniam in servitutem petere, ne rex vicinus imperio sit romano, ne gens bello nobilis arma habeat. Hæc enim tradenda superbis dominis esse cum rege regnoque, si absistere bello et facere imperata velint.*

LIII. Quum per omnem orationem satis frequenti assensu subclamatum esset; tum vero ea vociferatio, simul indignantium minitantiumque, partim jubentium bonum animum habere regem, exorta est, ut finem dicendi faceret. Tantum jussis ad iter[1] parare, (jam enim dici, movere castra ab Nymphæo Romanos), concione dimissa, ad audiendas legationes civitatium Macedoniæ se contulit. Venerant autem ad

hoc de publico, sed eadem conditione, qua frumentum et vestem, datum fuisse; forte ex armamentariis publicis, si quæ in provinciis essent, ut XXVI, 51 ». Ad arma publico sumptu Romæ data, forte ex armamentariis publicis, referendus etiam videtur locus Liv. III, 15.

7. *Quæ regia cura p. fuerant*, forte *fuerint*; Duk.

8. *Incognitum famæ* (hominibus Europæis, Gron. Obss. I, 4) *aperuerint armis orbem terrarum*; vide ad XXX, 36, n. 3. *Fama* conj. Sigon. prob. Duk. Sed *incognitum famæ* elegantius est, eique opponitur *scit fama*; Drak. conf. Gron. Obss. II, 13, et Gust. ad Stat. Theb. II, 108.

9. *Speciosum Græciæ liberandæ tulisse titulum*; vide ad XXXI, 15, n. 7. *Prætulisse* emend. Gron. et Duker. Sic *prætendere* XXXVII, 54, *ostentare* XXXIV, 23, *specioso titulo uti* XXXV, 16. Conf. tamen ad IV, 45, n. 5.

Cap. LIII. 1. *Jussis ad iter parare*, scilicet se. *Parari* præter necessitatem emendat Sigon.

pecunias, pro facultatibus quæque suis, et frumentum pollicendum ad bellum. Omnibus gratiæ actæ, remissum omnibus; satis regios apparatus ad ea dictum sufficere: vehicula tantum imperata, ut tormenta telorumque missilium ingentem vim præparatam bellicumque aliud instrumentum veherent. Profectus inde toto exercitu, Eordæam petens, ad Begorritem, quem vocant, lacum positis castris, postero die in Elimeam ad Haliacmona fluvium[2] processit. Deinde saltu angusto superatis montibus, quos Cambunios vocant, descendit ad (Tripolim vocant) Azorum, Pythium[3] et Dolichen incolentes. Hæc tria oppida paulisper cunctata, quia obsides Larissæis dederant, victa tamen præsenti metu, in deditionem concesserunt. Benigne his appellatis, haud dubius Perrhæbos quoque idem facturos, urbem, nihil cunctatis, qui incolebant, primo adventu recipit. Cyretias oppugnare coactus[4], primo etiam die acri concursu ad portas armatorum est repulsus: postero die omnibus copiis adortus, in deditionem omnes ante noctem accepit.

LIV. Mylæ, proximum oppidum, ita munitum, ut

2. *In Elimeam ad Haliacmona fl. processit;* vide ad XXXI, 40, n. 1.

3. *Ad (Tripolim vocant) Azorum, Pythium* (ita ex Plut. Paul. p. 262, et Steph. edidit Sigon. pro *Pithoum*) *et Dolichen;* conf. XLIV, 2. Hæc est *Tripolis* (Τριπολίτις apud Strab.) Thessaliæ in Pelasgiotide, sed, ut XLIV, 2 dicitur, in Perrhæbia. Conf. ad cap. 55, n. 2. — *Urbem, nihil cunctatis... recipit:* cujus urbis nomen excidisse, jam monnere Crever. et Drakenb. — Hæc urbs forte fuit, ex Doujatii sententia, *Mallea Pelasgiotarum.* Ed.

4. *Cyretias oppugnare coactus;* Gron. edidit *conatus* ex emendatione Sigon. quam pæne omnes recepere editores; sed perspicuum est nihil minus convenire h. l., quam verbum *conatus:* enimvero, quod et monuit Crev., sensus est, Persea non primo adventu recepisse Cyretias, ut urbem in Perrhæbis, sed *coactum* fuisse eas *oppugnare.* — *In deditionem omnes accepit;* vide ad VIII, 20, n. 7. *Omnes,* sc. incolas urbis; vide ad III, 47, n. 1. Vocem hanc delendam censebat Crever. ut ex proxima *omnibus* repetitam.

inexsuperabilis munimenti spes incolas ferociores faceret, non portas claudere regi satis habuerunt, sed probris quoque in ipsum Macedonasque procacibus jaculati sunt [1]. Quæ res, quum infestiorem hostem ad oppugnandum fecisset, ipsos desperatione veniæ ad tuendos sese acrius accendit. Itaque per triduum ingentibus utrimque animis et oppugnatæ sunt, et defensæ. Multitudo Macedonum ad subeundum in vicem prælium haud difficulter succedebat: oppidanos, diem, noctem eosdem tuentes mœnia, non vulnera modo, sed etiam vigiliæ et continens labor conficiebat. Quarto die, quum et scalæ undique ad muros erigerentur, et porta vi majore oppugnaretur, oppidani depulsi muris ad portam tuendam concurrunt, eruptionemque repentinam in hostes faciunt. Quæ quum iræ magis inconsultæ [2], quam veræ fiduciæ virium esset, pauci et fessi ab integris pulsi terga dederunt, fugientesque per patentem portam hostes acceperunt. Ita capta urbs ac direpta est: libera quoque corpora, quæ cædibus superfuerunt, venumdata. Diruto magna ex parte et incenso oppido profectus, ad Phalannam castra movit: inde postero die Gyrtonem pervenit. Quo quum T. Minucium Rufum et Hippiam, Thessalorum prætorem, cum præsidio intrasse accepisset, ne tentata quidem oppugnatione, prætergressus, Elatiam et

Cap. LIV. 1. *Probris quoque in ipsum M. procacibus jaculati sunt*, ut *sententiis in uxorem* apud Quintil. IX, 2, n. 79. Tò *in* delendum putabat Burmann. ad Ovid. Am. III, 3, v. 49, et *inde* emend. Drak. Usitatiora *jaculari aliquid* vel pro scopo, ut *corvos*, *dextra sacras arces*, vel pro telo, ut *ignem puppibus*, *e nubibus panes* de Capitolio, *ornos*, vel sine casu *jaculari ex summo*; et forte leg. *joculati*, aut *probra*; Gronov. *Jocati* conj. Mur. ut XXXII, 34. Sed vide ad Juvenal. VI, 450.

2. *Quæ q. iræ m. inconsultæ*, etc. vide ad III, 62, n. 5. Mox forte legendum *fugientesque et* vel *etiam per patentem portam hostes acceperunt*, nam partem eorum jam trans muros acceperant; Gronov.

Gonnum, perculsis inopinato adventu oppidanis, recepit[3]. Utraque oppida in faucibus sunt, quæ Tempe adeunt[4]; magis Gonnus. Itaque et firmiore id præsidio tutum equitum peditumque, ad hoc fossa triplici ac vallo munitum, reliquit. Ipse, ad Sycurium progressus, opperiri ibi hostium adventum statuit; simul et frumentari passim exercitum jubet in subjecto hostium agro. Namque Sycurium est sub radicibus Ossæ montis. Qua in meridiem vergit, subjectos habet Thessaliæ campos: ab tergo Macedoniam atque Magnesiam. Ad has opportunitates accedit summa salubritas et copia, pluribus circumjectis fontibus, perennium aquarum.

LV. Consul romanus, per eosdem dies Thessaliam cum exercitu petens, iter expeditum primo per Epirum habuit: deinde, postquam in Athamaniam est transgressus, asperi ac prope invii soli, cum ingenti difficultate parvis itineribus ægre Gomphos pervenit. Cui si, vexatis hominibus[1] equisque, tironem exercitum ducenti acie instructa et loco suo et tempore obstitisset rex, ne Romani quidem abnuunt, magna sua cum clade fuisse pugnaturos. Postquam Gomphos sine certamine ventum est, præter gaudium periculosi saltus superati, contemptus quoque hostium, adeo ignorantium opportunitates suas, accessit. Sacrificio rite

3. *Elatiam et Gonnum... recepit;* vide ad III, 29, n. 1.

4. *In faucibus sunt, quæ Tempe adeunt:* lege *qua Tempe adeuntur;* Gron. De situ Gonni, vide etiam ad XXXVI, 10 et 67. — *Ad hoc;* vide ad II, 23, n. 3.

Cap. LV. 1. *Vexatis hominibus,* sc. difficultate viæ, ut plene dicitur, XL, 22, et *vexatio* XLIII, 21, 23; XLIV, 5, ut al. *vexâtio viæ* et *itineris;* Drak. — *Tironem exercitum,* atqui, ait Dukerus, senatus decreverat, cap. 31, *ut centuriones militesque veteres scriberet, quos vellet, consul usque ad quinquaginta annos.* Nihilominus tamen, ut observat Doering., potior militum pars, a qua nunc designatur recens conscriptus exercitus, constabat ex pube et tironibus. Ed.— *Et loco suo et tempore;* vide ad I, 56, n. 10.

perfecto, consul, et frumento dato militibus, paucos ad requiem jumentorum hominumque moratus dies, quum audiret vagari Macedonas effusos per Thessaliam, vastarique sociorum agros, satis jam refectum militem ad Larissam ducit. Inde, quum tria millia ferme abesset a Tripoli (Sceam vocant[2]), super Peneum amnem posuit castra. Per idem tempus Eumenes ad Chalcidem navibus accessit cum Attalo atque Athenæo fratribus, Philetæro fratre relicto Pergami ad tutelam regni. Inde cum Attalo et quatuor millibus peditum, mille equitum, ad consulem venit. Chalcide relicta duo millia peditum, quibus Athenæus præpositus. Et alia eodem auxilia Romanis ex omnibus undique Græciæ populis convenerunt, quorum pleraque (adeo parva erant) in oblivionem adducta. Apolloniatæ trecentos equites, centum pedites miserunt. Ætolorum alæ unius instar, quantum in tota gente equitum erat, venerant; et Thessalorum omnis equitatus separatus erat[3]. Non plus quam trecenti erant equites in castris romanis. Achæi juventutis suæ, Cretico maxime armatu, ad mille dederunt.

LVI. Sub idem tempus et C. Lucretius prætor, qui navibus præerat ad Cephalleniam, M. Lucretio fratre

2. *Inde* (deinde) *quum tria millia* passuum *ferme abesset a Tripoli, Sceam vocant;* vide ad cap. 53, n. 3. Forte leg. *Inde* (ab Larissa) *quum tria millia ferme abessèt, ad Tripolim (Scæam vocant) super,* etc. Gronov. *Scæam* scribit et Doujat. eam ita vocari putans, quod sita sit ad lævam Penei ripam. *Tripolis* hoc loco non Macedoniæ, aut oppidum singulare (quod putabat Cellar. Geogr. Ant. II, 13), sed Thessaliæ, in qua *Larissa* et *Peneus* erant, quibus vicina fuisse dicitur; Drak. Conf. ad cap. 53, n. 3. — *Eumenes cum Attalo atque Athenæo fratribus,* et *Philetæro;* vide ad cap. 5, n. 3. — *Ætolorum,* hic genitivus pendet ab omissa voce *tantum,* quæ sequente *quantum* non raro omitti solet. Supra, II, 10, *agri, quantum uno die circumaravit, datum;* ubi exempla collegit Drak. Ed.

3. *Thessalorum omnis equitatus separatus erat,* sc. per præsidia urbium (conf. cap. 54); nisi leg. *speratus,* vel *Thessalorum, quorum omnis e. speratus erat, non plus quam trec. erant eq. in castris romanis;* Drak.

cum classe super Maleam Chalcidem jusso[1] petere, ipse triremem conscendit, sinum Corinthium petens ad præoccupandas in Bœotia res[2]. Tardior ei navigatio propter infirmitatem corporis fuit. M. Lucretius, Chalcidem adveniens, quum a P. Lentulo Haliartum oppugnari audisset, nuntium, prætoris verbis, qui abscedere eum inde juberet, misit. Bœotorum juventute, quæ pars cum Romanis stabat[3], eam rem aggressus legatus, a mœnibus abscessit. Hæc soluta obsidio locum alteri novæ obsidioni dedit. Namque extemplo M. Lucretius cum exercitu navali, decem millibus armatorum, ad hoc duobus millibus regiorum, qui sub Athenæo erant, Haliartum circumsedit; parantibusque jam oppugnare, supervenit a Creusa prætor[4]. Ad idem fere tempus et ab sociis naves Chalcidem convenerunt: duæ Punicæ quinqueremes, duæ ab Heraclea ex Ponto triremes, quatuor Chalcedone, totidem Samo, tum quinque Rhodiæ[5] quadriremes. Prætor, quia nusquam erat maritimum bellum, remisit sociis; et Q. Marcius Chalcidem navibus venit, Alope capta, Larissa, quæ Cremaste dicitur, oppugnata. Quum hic status in Bœotia esset, Perseus, quum ad Sycurium (sicut ante dictum est) stativa haberet, frumento undique circa ex agris convecto, ad vastandum agrum Pheræorum misit[6]; ratus ad ju-

Cap. LVI. 1. *Super Maleam Chalcidem petere;* vide ad XXXI, 47, n. 3. *Chalcis* una e compedibus Græciæ; vid. XXXII, 37.

2. *Præoccupandas in Bœotia res;* vide ad XXIV, 6, n. 6.

3. *Quæ pars* (cum ea parte, quæ) *cum Romanis stabat;* vide ad VIII, 34, n. 1. — *Ad hoc duobus;* vide ad II, 23, n. 3.

4. *Supervenit a Creusa prætor,* C. Lucretius. — *Ab sociis naves ad Chalcidem convenerunt;* vid. XXVII, 5, n. 4.

5. *Quinque Rhodiæ quadriremes,* etc. conf. Polybius, XXVII, 6, qui τριήρεις missas dicit. — *Remisit sociis,* sc. naves, ab iis missas. Mireris id non animadvertisse Drakenb., qui emend. *socios.*

6. *Ad vastandum agrum P. misit;* vide ad I, 23, n. 4.

vandas sociorum urbes longius ab castris abstractos deprehendi Romanos posse. Quos quum eo tumultu nihil motos animadvertisset, prædam quidem [7], præterquam hominum (pecora autem maxime omnis generis fuere), divisit ad epulandum militibus.

LVII. Sub idem deinde tempus consilium et consul et rex habuerunt, unde bellum ordirentur. Regis creverunt animi [1] vastatione concessa sibi ab hoste Pheræi agri. Itaque eundum inde ad castra, nec dandum ultra spatium cunctandi, censebat. Et Romani censebant, cunctationem suam infamem apud socios esse, maximopere indigne ferentes, non latam Pheræis opem. Consultantibus, quid agerent (aderant autem Eumenes et Attalus in consilio), trepidus nuntius affert, hostem magno agmine adesse. Concilio dimisso, signum extemplo datur, ut arma capiant. Interim placet, ex regiis auxiliis centum equites et parem numerum jaculatorum peditum [2] exire. Perseus hora ferme diei quarta, quum paulo plus mille passus abesset a castris romanis, consistere signa peditum jussit. Præ-

7. *Prædam quidem*, forte *prædæ quod erat;* Gron. — Hic nota Doering. illa est: « Elegans sane Gronovii conjectura; sed nemo facile *prædæ quod erat* depravatum esse in *prædam quidem* sibi persuadeat. An scripsit Livius: *prædam idem?* Depravata autem est vox *idem* alibi quoque in *quidem*. Supra, II, 20, *locusque idem in uno homine et eximiæ gloriæ monumentum et pœnæ ultimæ fuit.* Ibi quoque codd. Leid. 2 et Lov. 1, male pro *idem* offerunt *quidem*. Potest tamen contra Doering. contendi, non mirum esse si in hoc ultimo exemplo *que idem* depravatum fuit in *quidem*, nec sane difficulter ex *quod erat*, si duo verba inter se cohæsere in cod., vulgatam elici potuisse lectionem: addendum quod multo elegantior ac orationi concinnior Gron. quam Doering. conjectura. Ed.

Cap. LVII. 1. *Regis creverunt animi*, forte *regi creverant a.*, Crev.

2. *Ex regiis auxiliis*, Eumenis, *centum equites et parem numerum jaculatorum peditum*, numerus erroris suspectus est: nam mox Livius dicit, equitum fuisse *duas alas et levis armaturæ CL*, hosque *pares numero* duabus turmis Thracum, et duabus Macedonum, binisque Cretensium et Thracum cohortibus, a Perseo adversus eos missis; Drakenb. Mox verbum *præcesserunt* vacare, jam idem et Crever. monuere.

gressus ipse cum equitibus ac levi armatura, et Cotys cum eo ducesque aliorum auxiliorum præcesserunt. Minus quingentos passus ab castris aberant, quum in conspectu fuere hostium equites : duæ alæ erant magna ex parte Gallorum (Cassignatus præerat[3]), et levis armaturæ centum fere et quinquaginta Mysi aut Cretenses. Constitit rex, incertus quantum esset hostium; duas inde ex agmine turmas Thracum, duas Macedonum, cum binis Cretensium cohortibus et Thracum, misit. Prælium, quum pares numero essent, neque ab hac aut illa parte nova auxilia subvenirent, incerta victoria finitum est. Eumenis ferme triginta interfecti; inter quos Cassignatus dux Gallorum cecidit : et tunc quidem Perseus ad Sycurium copias reduxit. Postero die circa eamdem horam in eumdem locum rex copias admovit, plaustris cum aqua sequentibus. Nam duodecim millium passuum via omnis sine aqua et plurimi pulveris erat; affectosque siti[4], si primo in conspectu dimicassent, pugnaturos fuisse apparebat. Quum Romani quiessent, stationibus etiam intra vallum reductis, regii quoque in castra redeunt. Hoc per aliquot dies fecerunt, sperantes fore, ut romani equites abeuntium novissimum agmen aggrederentur : inde certamine orto, quum longius a castris eos elicuissent, facile, ubiubi essent, se, qui equitatu et levi armatura plus possent, conversuros aciem.

LVIII. Postquam inceptum non succedebat, castra propius hostem movit rex, et a quinque millibus

3. *Cassignatus præerat*, Καρσίγνατος apud Polyb. XXV, 4, § 6. — *Mysi aut Cretenses*, immo *ac Cretenses;* nam non apparet cur dubie dicat *aut*. Duker.

4. *Affectosque siti;* vide ad V, 10, n. 6. — *Pugnaturos fuisse*, « forsan *pugnaturos esse*. Si Perseus mutasset consilium pugnandi, recte diceretur *pugnaturos fuisse*. Nec multum me movet *dimicassent* pro *dimicarent* ». Duker.

passuum communiit[1]. Inde luce prima in eodem, quo solebat, loco peditum acie instructa, equitatum omnem levemque armaturam ad castra hostium ducit. Visus et plurium et propior solito pulvis trepidationem in castris romanis fecit. Et primo vix creditum nuntianti est, quia prioribus continuis diebus nunquam ante horam quartam hostis apparuerat. Tum solis ortus erat. Deinde ut plurium clamore et cursu a portis dubitatio exempta est, tumultus ingens oboritur. Tribuni præfectique et centuriones in prætorium; miles ad sua quisque tentoria discurrit. Minus quingentos passus a vallo instruxerat Perseus suos circa tumulum, quem Callicinum vocant. Lævo cornu Cotys rex præerat cum omnibus suæ gentis: equitum ordines levis armatura interposita distinguebat. In dextro cornu Macedones erant equites: intermixti turmis eorum Cretenses. Huic armaturæ Medon Berœæus[2], equitibus et summæ partis ejus Meno Antigonensis præerat. Proximi cornibus constiterant regii equites et mixtum genus, delecta plurium gentium

Cap. LVIII. 1. *A quinque millibus passuum c.* vid. XXXVIII, 20, n. 2.

2. *Medon Berææus* reposui h. l. et XLIV, 32, 45, pro *Midon Bereus*, quod præferunt vett. edd. Nam Μήδων Βερομεὺς dicitur Polyb. XXVII, 8, § 5. *Milo* edidere Sigon. et post eum omnes. Μίλων quoque memoratur Plut. in Æmilio, pag. 263 (qui sua ibi ex Polybio hausit), et Polyb. XXIX, 6, § 6. Sed neuter fuit forte noster *Medon Berææus:* idem vero haud dubie *Medon* inf. XLIV, 45, ubi Livius tradit, Hippiam et Medonem recepisse Berœam (quæ utriusque patria fuit), et (per amicos forsan et cognatos) effecisse, ut ea traderetur Æmilio. Minus certum est, utrum idem quoque sit ille, qui in antt. edd. *Midon* dicitur XLIV, 32; nec potius *Milo*, qui vel Plut. l. l., vel Polyb. XXIX, 6, § 6 memoratur. *Medonem* ubivis pro *Milone* substituendum esse, censuit Drakenb. quem vide ad h. l. et ad XLIV, 32. Cæterum Βεροιαῖος et Βεροιεὺς promiscue ponuntur, etsi illud a Macedonica, hoc a Syriaca Berœa esse contendit Steph. Conf. Schweigh. ad Polyb. XXVII, 8, § 5, et XXXVIII, 8, § 1. — *Equitibus et summæ partis ejus*, h. e. equitibus, sed ita, ut simul ei tradita esset summa imperii totius illius partis, i. e. totius dextri cornu. Quum Cotyn sinistrum cornu, regem mediam aciem tenuisse dicat, non debuit præ-

auxilia : Patrocles Antigonensis hic[3] et Pæoniæ præfectus Didas erant præpositi. Medius omnium rex erat. Circa eum agema, quod vocant, equitumque sacræ alæ. Ante se statuit funditores jaculatoresque : quadringentorum manus utraque numerum expleverat. Ionem Thessalonicensem et Timanora Dolopem iis præfecit. Sic regii constiterant. Consul, intra vallum peditum acie instructa, et ipse equitatum omnem cum levi armatura misit[4]. Pro vallo instructi sunt. Dextro cornu præpositus C. Licinius Crassus, consulis frater, cum omni italico equitatu, velitibus intermixtis : sinistro M. Valerius Lævinus sociorum ex græcis populis equites habebat, ejusdem gentis levem armaturam. Mediam autem aciem cum delectis equitibus extraordinariis[5] tenebat Q. Mucius. Ducenti equites galli ante signa horum instructi, et de auxiliis Eumenis Cyrtiorum gentis trecenti[6]. Thessali quadringenti equites[7] parvo intervallo super lævum cornu locati. Eumenes rex Attalusque cum omni manu sua ab tergo inter postremam aciem ac vallum steterunt.

LIX. In hunc modum maxime instructæ acies, par

terire, quis dextro cornu præfuerit. Curt. IV, 12, n. 8: *illi partibus copiarum, summæ Orsines præerat;* Duk.

3. *Patrocles Antigonensis hic,* lege *his;* Gron. *Hic* positum pro *in hac parte;* Jac. Periz. Similiter XXV, 16, *præesse in Bruttiis,* et apud Sil. IX, 229, *regere in parte dextra;* Drak. — *Circa eum agema, quod vocant, equitumque sacræ alæ;* vid. XXXVII, 40, n. 3 et 6. — Conf. etiam Excurs. ad lib. XXXVII, nostræ editionis, vol. VII, pag. 187. Ed..

4. *Equitatum omnem cum levi armatura misit* omnes edd. ante postremam Gruteri, qui rectius forte dedit *emisit,* sc. e castris. Conf. ad X, 5, n. 4. Mox post *habebat* excidisse *et,* jam monuit Drak.

5. *Cum delectis equitibus extraordinariis;* vox *delectis* suspecta; vid. Duker. *et extraordinariis* leg. Crever. ut *delecti* sint οἱ τῶν ἐπιλέκτων ἱππέων ἀπόλεκτοι Polybii, VI, 31, § 2, i. e. ex extraordinariis delecti, qui semper in castris, in agmine consulibus præsto fuerint; vid. III, 5, n. 3.

6. *Cyrtiorum gentis trecenti;* vide ad XXXVII, 40, n. 5.

7. *Thessali CD equites;* cap. 55, *trecentos* dicit: sed potuerunt deinde plures ad eos accedere; Duk.

ferme utrimque numerus equitum ac levis armaturæ, concurrunt, a funditoribus jaculatoribusque, qui præcesserunt, prælio orto. Primi omnium Thraces, haud secus quam diu claustris retentæ feræ [1], concitati cum ingenti clamore in dextrum cornu, italicos equites, incurrerunt, ut usu belli et ingenio impavida gens turbaretur: gladiis hastas petere pedites, nunc succidere crura equis, nunc ilia suffodere. Perseus, in mediam invectus aciem, Græcos primo impetu avertit: quibus quum gravis ab tergo instaret hostis, Thessalorum equitatus, qui a lævo cornu brevi spatio disjunctus in subsidiis fuerat extra concursum, primo spectator certaminis, deinde, inclinata re, maximo usui fuit. Cedentes enim sensim integris ordinibus, postquam se Eumenis auxiliis adjunxerunt, et cum eo tutum inter ordines [2] suos receptum sociis fuga dissipatis dabant, et, quum minus conferti hostes instarent, progredi etiam ausi, multos fugientium obvios exceperunt. Nec regii, sparsi jam ipsi passim sequendo, cum ordinatis et certo incedentibus gradu manus conserere audebant. Quum, victor equestri prælio rex parvo momento si adjuvisset [3], debellatum esset, opportune adhortanti supervenit phalanx, quam

Cap. LIX. 1. *Haud secus quam diu claustris retentæ feræ;* vid. XXXV, 18, n. 4. — *Gladiis hastas* equitum *petere pedites;* an leg. *hostes* seu *alas* pro *hastas?* — *Perseus, in mediam invectus aciem, Græcos p. i. avertit;* vide ad III, 63, n. 1. Sed suspicor leg. esse aut *Gallos p. i. avertit* (nam hi ante mediam Romanorum aciem instructi erant), aut *in lævam i. aciem,* quia ibi erant Græci, et mox dicitur *Thessalorum equitatus, a lævo cornu brevi spatio disjunctus... obvios exceperunt.* Conf. cap. 58.

2. *Et cum eo tutum inter ordines,* etc. pro *cum eo* forte leg. *aucti eo.* — *Exceperunt;* vide ad II, 4, n. 3. — *Nec regii* milites Persei.

3. *Parvo momento si adjuvisset;* vide ad I, 47, n. 7. — *Debellatum esset* sub hypothesi *si victor,* etc. recte dicitur; Douj. *Debellaturus esset* conj. Sigon., Gronov., Crever. et Drak. — *Opportune adhortanti supervenit phalanx;* sed si adhortabatur suos Perseus ad peragendam victoriam, non tam bona occasione segniter usus esset: itaque forsan leg. *adhuc stanti*

sua sponte, ne audaci cœpto deessent, Hippias et Leonatus raptim adduxerant, postquam prospere pugnasse equitem acceperunt. Fluctuante rege inter spem metumque tantæ rei conandæ, Cretensis Evander, quo ministro Delphis ad insidias Eumenis regis usus erat, postquam agmen impeditum venientium sub signis[4] vidit, ad regem accurrit, et monere institit, *ne elatus felicitate summam rerum temere in non necessariam aleam daret. Si contentus bene re gesta quiesset eo die, vel pacis honestæ conditionem habiturum, vel plurimos belli socios, qui fortunam sequerentur, si bellare mallet.* In hoc consilium pronior erat animus regis. Itaque, collaudato Evandro, signa referri, peditumque agmen redire in castra jubet; equitibus receptui canere.

supervenit, i. e. nondum receptui canere jubenti, quod paulo post fecit; Crever. — Felicissime nobis hunc locum emendasse et explanasse videtur Walch. Emend. Liv. pag. 261. « Miro modo, inquit, secum pugnat scriptor, si sana sunt verba. Dum dicit *quum debellatum esset si paulum adjuvisset rex*, dubium regem de successu tantæ rei audendæ ostendit. Cui quo tandem modo convenit adjectum *adhortanti*, quod elatum prodit regis animum, et in rem exsequendam summopere intentum? varia moliuntur viri docti, ut vocem pugnantem cum cæteris componant. Nullus vidit illa utendum esse ad sententiæ vim restituendam. Nam si ad seqq. attenderis, inprimis Evandri preces, *ne elatus felicitate summam rerum in non necessariam aleam daret*, non dubitabis quin scribendum sit: *quum victor equestri prælio rex*, « *parvo momento si adjuvissent, debellatum esse* » *opportune adhortanti supervenit phalanx*. Ipsius regis sunt adhortantis, non scriptoris, verba ». Ed.

4. *Agmen impeditum venientium sub signis*, phalangem, quæ *opportune regi supervenisse* dicitur. Scribe *agmen peditum*, ut mox dicitur: nam *impeditum agmen* est, quod impedimenta secum habet et iter facit: at expediti ad pugnam et ab ipso rege instructi eodem, quo solebant, loco steterant pedites; Jac. Periz. Recte, opinor; nisi forte phalanx *impeditum agmen* dici potest ratione pugnæ, quæ inenunda erat: nam melior illa, si pugna stataria committenda foret, ut contra admodum impedita propter longitudinem hastarum, si loco moveri et vel cedere, vel cedenti hosti instare deberet; Drak. coll. IX, 19; XXXI, 39; XXXII, 17; XXXIII, 8, 9; XLIV, 37, 41. — *Monere institit;* vide ad XXIV, 26, n. 7. — *Summam rerum in aleam daret;* vide ad III, 5, n. 6, et XXVIII, 42, n. 11. — *Equitibus receptui canere*, scil. eos, quorum id

LX. Cecidere eo die ab Romanis [1] ducenti equites, duo millia, haud minus, peditum; capti ferme ducenti equites. Ex regiis autem viginti equites, quadraginta pedites interfecti. Postquam rediere in castra victores, omnes quidem læti, ante alios Thracum insolens lætitia eminebat: cum cantu enim superfixa capita hostium [2] portantes redierunt. Apud Romanos non mœstitia tantum ex male gesta re, sed pavor etiam erat, ne extemplo castra hostis aggrederetur. Eumenes suadere, ut trans Peneum transferret castra; ut pro munimento amnem haberet, dum perculsi milites animos colligerent. Consul moveri flagitio timoris fatendi: victus tamen ratione, silentio noctis transductis copiis, castra in ulteriore ripa communit. Rex, postero die ad lacessendos prælio hostes progressus, postquam trans amnem in tuto posita castra animadvertit, fatebatur quidem peccatum, quod pridie non institisset victis; sed aliquanto majorem culpam esse, quod nocte foret cessatum. Nam, ut neminem alium suorum [3] moveret, levi armatura immissa, trepidantium in transitu fluminis hostium deleri magna ex parte copias potuisse. Romanis quidem præsens pavor demptus erat, in tuto castra habentibus: damnum inter cætera præcipue

munus erat; Drak. Conf. ad 24, n. 2.

Cap. LX. 1. *Cecid. eo die ab Romanis* (vid. XXVII, 5, n. 4) *CC equites, duo millia peditum, capti CC equites:* sed Plut. Æmil. Paull. pag. 529, duo millia et quingentos cæsos, sexcentos captos tradit, et in Apophth. t. II, p. 197, cæsos aut captos *MMDCCC.* — *Ante alios;* supplendum *tamen*, quod post *quidem* nonnunquam omitti notat Doer. Supra XLI, 18, *Ut restitueret rem inclinatam, consul, equo advectus, suos quidem a fuga revocavit; ipse, dum incautius ante signa obversatur, missili trajectus cecidit.* Ed.

2. *Superfixa capita hostium*, intell. aut addendum *hastis*, vel *contis;* Gron. et Ern. Sed Drak. putabat librarios vocem minus notam, quam non intelligebant, omisisse, *romphæis* scilicet (vide ad XXXI, 39, n. 7). — *Eumenes suadere*, scil. consuli, etc. Sed forte mox leg. *transferrent* et *haberent.*

3. *Ut* (etiamsi) *neminem alium suorum moveret*, præter levem armaturam, ea sola *immissa*, etc. — *Damnum* vero, tamen *inter cætera;* vide ad VII, 19, n. 3.

famæ movebat. Et in consilio apud consulem pro se quisque in Ætolos conferebat causam [4]; *ab iis fugæ terrorisque principium ortum : sequutos pavorem Ætolorum et cæteros sociòs græcorum populorum.* Quinque principes Ætolorum primi terga vertentes conspecti dicebantur. Thessali pro concione laudati, ducesque eorum etiam virtutis causa donati.

LXI. Ad regem spolia cæsorum hostium referebantur. Dona ex his, aliis arma insignia, aliis equos, quibusdam captivos dono dabat [1]. Scuta erant supra mille quingenta; loricæ thoracesque mille amplius summam explebant; galearum gladiorumque et missilium omnis generis major aliquanto numerus. Hæc, per se ampla, pleraque multiplicata verbis regis, quæ ad concionem vocato exercitu habuit. « Præjudicatum « eventum belli habetis. Meliorem partem hostium, « equitatum romanum [2], quo invictos se esse gloria- « bantur, fudistis. Equites enim illis principes juven- « tutis, equites seminarium senatus : inde lectos in « Patrum numerum consules, inde imperatores creant. « Horum spolia paulo ante divisimus inter vos. Nec « minorem de legionibus peditum victoriam habetis : « quæ, nocturna fuga vobis subtractæ, naufragorum « trepidatione passim natantium flumen compleverunt. « Sed facilius nobis sequentibus victos Peneum supe-

4. *In Ætolos conferebat causam*, etc. conf. Appian. Maced. X, Exc. Legat. 26, qui injuriam Ætolis factam dicit. — *Cæteros socios græcorum populorum*, insolenter dictum pro sociis (Romanorum) Græcis, quos cap. 58 *socios ex græcis populis* vocavit; Drak.

Cap. LXI. 1. *Dona ex his... dono dabat :* aut *dona* vel *dono* videtur delendum, aut leg. *donabat* pro *dono dabat ;* Drak.—*Mille amplius summam*, lego *millenum ;* Gron.

2. *Meliorem partem hostium, equitatum romanum ;* conf. Spanhem. ad Orat. I Juliani, pag. 112. Miror, Livium in describendo prælio equitatum tantum Græcorum narrasse victum, non Romanum, quo se tantopere jactat Perseus ; Duk. — *Equites enim illis principes juventutis :* nam olim pauci erant equites, nec fere nisi

« rare erit, quam illis trepidantibus fuit; transgressi-
« que extemplo castra oppugnabimus, quæ hodie ce-
« pissemus, ni fugissent. Aut, si acie decernere vo-
« lent, eumdem pugnæ pedestris eventum exspectate,
« qui equitum in certamine fuerit[3]. » Et qui vicerant alacres, spolia cæsorum hostium humeris gerentes, ante ora sua audivere[4], ex eo, quod acciderat, spem futùri præcipientes: et pedites, aliena gloria accensi, præcipue qui Macedonum phalangis erant, sibi quoque et navandæ regi operæ, et similem gloriam ex hoste pariendi, occasionem optabant. Concione dimissa, postero die profectus inde ad Mopselum[5] posuit castra: tumulus hic inter Tempe et Larissam medius est.

LXII. Romani, non abscedentes ab ripa Penei, transtulerunt in locum tutiorem castra. Eo Misagenes Numida venit cum mille equitibus, pari peditum numero, ad hoc elephantis duobus et viginti. Per eos dies consilium habenti regi de summa[1], quum jam consedisset ferocia ab re bene gesta, ausi sunt qui-

filii senatorum eorumve, qui divitiis et dignitate eminerent; unde nomen *juvenum* mansit: sed et *juvenes* antiquis ad annum XLV dicti: *equites seminarium senatus*, etc. Lips. de Magnit. Rom. IV, 2.

3. *Qui equitum in certamine fuerit*, forte legendum *fuit*.

4. *Et qui vicerant alacres, spolia humeris gerentes, ante ora sua audivere*; immo *facinora* aut *decora sua audivere*: nam illud bifrontium est; Gron. — Hunc locum Doering. ita distinguit et explanat: *et qui vicerant, alacres* (læto alacrique animo), *spolia cæsorum hostium humeris gerentes ante ora* (sc. aliorum, in conspectu aliorum), *sua* (quæ ad se, ad ipsorum gloriam spectarent; opponuntur iis, qui vicerant, *pedites aliena gloria incensi*) *audivere*, etc. Quæ ratio si minus placet, acquiescendum erit in emendatione Gronovii. Ed.

5. *Ad Mopselum* edd. vett. h. l. et cap. 67 pr. pro quo *Mopsium* substituere Sigon. et recentt. editores. Μόψιον opp. Pelasgiotidis in Thessalia, a Mopso Lapitha sic dictum; vid. Strab. IX, 443. Sed h. l. *tumulus* memoratur.

Cap. LXII. 1. *Consilium hab. regi de summa*, excidit forte *belli*; Drak. Conf. ad III, 5, n. 6, et ad hæc et seqq. ad finem cap. Polybii XXVII, 8; Plut. Apophth. pag. 197, et Appian. Maced. X, Exc. 26.—*Ut secum-*

dam amicorum consilium dare, ut secunda fortuna in conditione honestæ pacis uteretur potius, quam, spe vana evectus[2], in casum irrevocabilem se daret. *Modum imponere secundis rebus*[3], *nec nimis credere serenitati præsentis fortunæ, prudentis hominis et merito felicis esse. Mitteret ad consulem, qui fœdus in easdem leges renovarent, quibus Philippus pater ejus pacem a T. Quintio victore accepisset. Neque finiri bellum magnificentius, quam a tam memorabili pugna; neque spem firmiorem pacis perpetuæ dari, quam quæ perculsos adverso prælio Romanos molliores factura sit ad paciscendum. Quod si Romani tum quoque insita pertinacia æqua adspernarentur, deos hominesque et moderationis Persei, et illorum pervicacis superbiæ, futuros testes.* Nunquam ab talibus consiliis abhorrebat regis animus. Itaque plurium assensu comprobata est sententia. Legati, ad consulem missi, adhibito frequenti consilio, auditi sunt; *Pacem petere*[4], *vectigal, quantum Philippus pactus esset, daturum Persea Romanis* pollicentes. *Urbibus, agris locisque, quibus Philippus cessisset, cessurum primum.* Hæc legati. Submotis his, quum consultarent, romana constantia vicit in consilio. Ita tum mos erat, in adversis vultum secundæ fortunæ

da fortuna in conditione, compositione, *honestæ pacis uteretur*, eam converteret in rem suam, ea, tanquam adjumento, uteretur ad honestas pacis conditiones impetrandas. Sed forte sic cum Gronov. leg. *in conditionem h. p.*, ad condendam pacem honestam; de qua vocis *conditio* notione vid. Drak. ad XXIV, 30, n. 1.

2. *Spe vana evectus*; vide ad XXII, 43, n. 1.

3. *Modum imponere secundis rebus*, etc. conf. not. 5, et Horat. Od. II, 10, ibique Mitscherl.—*Neque finiri bellum*, excidit *posse*; Crev.

4. *Pacem petere*, immo *petiere*; Jac. Perizon. Ultimum vero verbum, *pollicentes*, Creverio videtur profectum esse a mala manu, quæ Livio succurrere voluerit, ne nimium hiaret oratio. Ed. — Mox Periz. emend. *cessurum quam primum*, et Gron. *cessurum et ipsum*; sed multo leviori ratione huic loco succurri posse putat Doe-

gerere [5], moderari animos in secundis. Responderi placuit, *Ita pacem dari* [6], *si de summa rerum liberum senatui permittat rex de se deque universa Macedonia statuendi jus.* Hæc quum renuntiassent legati, miraculo ignaris moris pertinacia Romanorum esse; et plerique vetare, amplius mentionem pacis facere. Ultro mox quæsituros, quod oblatum fastidiant. Perseus hanc ipsam superbiam, quippe ex fiducia virium esse [7], timere; et, summam pecuniæ augens, si pretio pacem emere posset, non destitit animum consulis tentare. Postquam nihil ex eo, quod primo responderat, mutabat, desperata pace, ad Sycurium, unde profectus erat, rediit, belli casum de integro tentaturus.

LXIII. Fama equestris pugnæ, vulgata per Græciam, nudavit voluntates hominum. Non enim solum, qui partis Macedonum erant [1], sed plerique, ingentibus Romanorum obligati beneficiis, quidam vim superbiamque experti, læti eam famam accepere; non ob aliam causam, quam pravo studio, quo etiam in

ring., si voce *primum* ante *cessurum* posita, et distinctione a *cessurum* separata, legatur: *quibus Philippus cessisset primum, cessurum.* Ed.

5. *Ita tum mos erat* Romanis, *in adversis* rebus *vultum secundæ fortunæ gerere*, vultum serenum lætumque hominum, qui secunda utuntur fortuna, *moderari animos*, superbiam, *in secundis* rebus. Conf. n. 3, et notissimus locus Virg. Æn. VI, 852 sq. Non satis accurate tamen expressa Polybii verba l. l. Ἴδιον γὰρ τοῦτο πάντῃ παρὰ Ῥωμαίοις ἔθος καὶ πάτριόν ἐστι, τὸ κατὰ μὲν τὰς ἐλαττώσεις αὐθαδεστάτους καὶ βαρυτάτους φαίνεσθαι, κατὰ δὲ τὰς ἐπιτυχίας ὡς μετριωτάτους. Τοῦτο δὲ διότι καλὸν, πᾶς ἄν τις ὁμολογήσειεν· εἰ δὲ καὶ δυνατὸν ἐν ἐνίοις καιροῖς, εἰκότως ἄν τις ἐπαπορήσειεν.

6. *Ita pacem dari*, etc. cf. Polyb. l. l. et Plut. Apophth. t. II, p. 197. — *Pertinacia Romanorum esse*, erat, *miraculo* Macedonibus *ignaris moris* hujus Romanorum.

7. *Quippe ex fiducia virium esse;* forte leg. *quippe quæ ex f. v. esset*, et mox: *Postquam nihil hic ex eo*, etc.

Cap. LXIII. 1. *Non enim solum, qui partis Macedonum erant* (vide ad III, 36, n. 4; III, 62, n. 5; XXIV, 42, n. 4), *sed plerique* etiam... *quidam vim superbiamque experti*, sc. Romanorum; Crever. Videtur potius excidisse *Macedonum;* Gron. Recte: nam

certaminibus ludicris vulgus utitur[2] deteriori atque infirmiori favendo. Eodem tempore in Bœotia summa vi Haliartum Lucretius prætor oppugnarat, et, quanquam nec habebant externa auxilia obsessi, præter Coroneorum juniores, qui prima obsidione mœnia intraverant, neque sperabant, tamen ipsi animis magis, quam viribus, resistebant. Nam et eruptiones in opera crebro faciebant, et arietem admotum, libramento plumbi gravatum, ad terram urgebant; et, si qua declinarent, qui agebant, ictum[3], pro diruto muro novum tumultuario opere[4], raptim ex ipsa

nec Livius videtur satis decore gentis suæ vitia fateri posse, quæ in duces tantum ac magistratus eorum conferre solet, nec ita hæc lætitia *pravum studium*, aut *deteriori favere* dici potest, qui *vim sup.* Romanorum *expertus* Macedonibus favet; Drak. Multa in utramque partem disputari possent. — Solita clar. Rup. diligentia h. l. desideratur; non intellexit nempe *superbiam* Romanorum Crev. ut supra dicitur, sed omnino Gron. adstipulatur, et monet Livium loqui de iis quos Perseo favisse mirum videatur, nec sane in Romanos tam asperis verbis uti debuisse. Ed.

2. *Pravo studio, quo etiam in certaminibus ludicris vulgus utitur*, etc. vide ad Tacit. Ann. I, 16, n. 6. — *Favendo;* scribe *favendi*, sc. *studio;* Gron. Recte; nec male, si distinxeris post *utitur*. Sed τὸ *favendo* etiam ad *pravo studio utitur* referri potest, vel per apposit. ad *pravo studio*. — *Haliartum Lucretius oppugnarat*, immo *oppugnabat:* non enim destiterat ab oppugnatione; Duker. et Drak. — *Prima obsidione;* nam ante Lucretium P. Lentulus Haliartum oppugnaverat; vid. cap. 56.

3. *Arietem admotum* muris, *libramento plumbi gravatum, ad terram urgebant, et, si qua* parte *declinarent ictum* (ut XXXVI, 23), plumbi vel molis illius plumbeæ, *qui agebant* arietem, et ita aliquam muri partem proruerent, *pro diruto*, etc. « Si jungas *qui agebant ictum*, sensus erit, si illi, qui agebant ictum, i. e. qui libramento plumbi incusso arietem ad terram urgere conabantur, ab eo declinarent et aberrarent, eaque re fieret, ut aries murum discuteret: sed *agere ictum* potius de iis, qui murum ictu arietis feriebant, quam de propugnatoribus, dici posse puto ». Drak. Cæterum aries ab oppugnatis vel propugnatoribus non modo laqueis exceptus declinari (vide XXXVI, 23), sed etiam ad *terram urgeri*, deprimi, aut frangi solebat trabibus transversis (*stipitibus robustis* XXXVIII, 5, n. 2) grandisve ponderis saxis et plumbo, nonnunquam in trabium formam facto et in massam longiorem producto, superne incussis atque libratis. Conf. ad XXIV, 34, n. 6; XXXVIII, 5, n. 2; Appian. Pun. 16; Lips. Poliorc. V, 8.

4. *Tumultuario opere;* vide ad I,

ruinæ strage congestis saxis, exstruebant. Quum operibus oppugnatio lentior esset, scalas per manipulos dividi prætor jussit, ut corona undique mœnia aggressurus; eo magis suffecturam ad id multitudinem ratus, quod, qua parte palus urbem cingit, nec attinebat oppugnari, nec poterat. Ipse ab ea parte, qua duæ turres quodque inter eas muri prorutum fuerat, duo millia militum delectorum admovit; ut eodem tempore quo ipse transcendere ruinas conaretur, concursu adversus se oppidanorum facto, scalis vacua defensoribus mœnia capi parte aliqua possent. Haud segniter oppidani vim ejus arcere parant: nam super stratum ruinis locum, fascibus aridis sarmentorum injectis, stantes cum ardentibus facibus accensuros ea se sæpe minabantur, ut, incendio intersepti ab hoste, spatium ad objiciendum interiorem murum haberent. Quod inceptum eorum fors impediit: nam tantus repente effusus est imber, ut nec accendi facile pateretur, et exstingueret accensa. Itaque et transitus per distracta fumantia virgulta patuit; et, in unius loci præsidium omnibus versis, mœnia quoque pluribus simul partibus scalis capiuntur. In primo tumultu captæ urbis seniores impubesque, quos casus obvios obtulit, passim cæsi; armati in arcem confugerunt; et postero die, quum spei nihil superesset, deditione facta, sub corona venierunt. Fuerunt autem duo millia ferme et quingenti. Ornamenta urbis statuæ et tabulæ pictæ, et quidquid pretiosæ prædæ fuit, ad naves delatum: urbs diruta a fundamentis. Inde Thebas ductus exercitus[5]: quibus sine certamine rece-

37, n. 4. — *Ruinæ strage:* nam *strages* dicuntur quævis res subversæ aut stratæ; vid. Drak. — *Operibus*, scil. facta; conf. ad V, 22, n. 7. — *Ut corona undique mœnia aggressurus;* vid. II, 17, not. 3. Dele *ut:* nam re vera aggressus est; Drak.

5. *Inde Thebas ductus exercitus,*

ptis, urbem tradidit exsulibus, et qui Romanorum partis erant: adversæ factionis hominum fautorumque regis ac Macedonum familias sub corona vendidit. His gestis in Bœotia, ad mare ac naves rediit.

LXIV. Quum hæc in Bœotia gererentur, Perseus ad Sycurium stativa dierum aliquot habuit. Ubi quum audisset, raptim Romanos circa ex agris demessum frumentum convehere, deinde ante sua quemque tentoria spicas fascibus desecantem [1], quo purius frumentum tereret, ingentes acervos per tota castra stramentorum fecisse; ratus incendio opportuna esse, faces tædamque et malleolos stuppæ illitos pice parari jubet, atque ita media nocte profectus, ut prima luce aggressus [2] falleret. Nequidquam: primæ stationes oppressæ tumultu ac terrore suo cæteros exciverunt, signumque datum est arma extemplo capiendi; simulque in vallo, ad portas, miles instructus erat et intentus propugnationi castrorum. Perseus et extemplo circumegit aciem, et prima impedimenta ire, deinde peditum signa ferri jussit. Ipse cum equitatu et levi armatura substitit ad agmen cogendum [3]; ratus, id quod accidit, insequuturos ad extrema ab tergo carpenda hostes. Breve certamen levis armaturæ maxime cum

etc. sed Thebani decreverant ut tolleretur regia societas, et ad Romanos defecerant; vid. cap. 44 et 46. Hinc Livium vel alterius urbis posuisse nomen, vel aliquid de Thebanis omisisse, putabat Crev. — *Familias*, se. vos sc. et bona. Ed.

Cap. LXIV. 1. *Spicas* de *fascibus* stramenti *desecantem;* Gron. substituit *falcibus*, nescio an recte. Conf. Drak. — *Malleolos stuppæ illitos pice;* vide ad XXXVIII, 6, n. 1.

2. *Ut prima luce aggressus* (forte *aggressurus;* Drak.) *falleret;* vide ad III, 8, n. 2. — *Nequidquam:* nam *primæ stationes*, etc. « Sic passim *nequidquam* vel *frustra* et *falso*, omissa etiam particula causali. *Nequidquam* autem breviter dicitur vel intellecto verbo *facere*, sc. *fecit, facit, fecerunt*, etc. vel pro *ne*, h. e. *non* vel *nec ad quidquam*, sc. id fit aut juvat, adeoque pro frustra aut incassum. » Gron. Conf. et Drak.

3. *Substitit ad agmen cogendum;* vide ad XXXII, 2, n. 4. — *Ad extrema* (extremos) *carpenda;* vide ad III, 5, n. 1.

procursatoribus fuit. Equites peditesque sine tumultu in castra redierunt. Demessis circa segetibus, Romani ad Cranonium intactum agrum castra movent. Ibi quum securi, et propter castrorum longinquitatem, et viæ inopis aquarum difficultatem, quæ inter Sycurium et Cranona est, stativa haberent; repente prima luce in imminentibus tumulis equitatus regius cum levi armatura visus ingentem tumultum fecit. Pridie per meridiem[4] profecti ab Sycurio erant : peditum agmen sub lucem reliquerant in proxima planitie. Stetit paulisper in tumulis, elici posse ratus ad equestre certamen Romanos. Qui postquam nihil movebant, equitem mittit, qui pedites referre ad Sycurium signa juberet; ipse mox insequutus. Romani equites, modico intervallo sequentes, sicubi sparsos ac dissipatos invadere possent, postquam confertos abire, signa atque ordines servantes, viderunt, et ipsi in castra redeunt.

LXV. Inde, offensus longinquitate itineris, rex ad Mopsium castra movit; et Romani, demessis Cranonis segetibus, in Phalannæum agrum transeunt. Ibi quum ex transfuga cognosset rex, sine ullo armato præsidio passim vagantes per agros Romanos metere, cum mille equitibus, duobus millibus Thracum et Cretensium profectus, quum, quantum accelerare poterat[1], effuso agmine issent, improviso aggressus est Romanos. Juncta vehicula, pleraque onusta, mille admodum capiuntur, sexcenti ferme homines. Prædam custodien-

4. *Pridie per meridiem;* vide ad II, 18, n. 1. *De meridie*, h. e. paulo post meridiem, ut *de tertia vigilia* (vide ad IX, 44, n. 5), conj. Gron. — *Stetit paulisper in tumulis*, scil. equitatus regius.

Cap. LXV. 1. *Quantum accelerare poterat;* scribendum puto *poterant*, vel *accelerari*, ut supra ad III, 46; Duk. — Juncta vehicula mille admodum; vide supra ad XXI, 36, n. 3, et XXXIV, 1, n. 4.

dam ducendamque in castra trecentis Cretensium dedit. Ipse, revocato ab effusa cæde equite et reliquis peditum, ducit ad proximum præsidium, ratus haud magno certamine opprimi posse. L. Pompeius tribunus militum præerat, qui perculsos milites repentino hostium adventu in propinquum tumulum recepit, loci se præsidio, quia numero et viribus impar erat, defensurus. Ibi quum in orbem milites coegisset [2], ut densatis scutis ab jactu sagittarum et jaculorum sese tuerentur, Perseus, circumdato armatis tumulo, alios ascensum undique tentare jubet, et cominus prælium conserere, alios eminus tela ingerere. Anceps Romanos terror circumstabat: nam neque conferti pugnare propter eos, qui ascendere in tumulum conabantur, poterant; et, ubi ordines procursando solvissent, patebant jaculis sagittisve: maxime cestrosphendonis vulnerabantur. Hoc illo bello [3] novum

2. *Ibi quum in orbem milites coegisset;* vid. II, 50, n. 6, et XXXII, 2, n. 4.—*Ab jactu sagittarum*, forte *ictu:* nam densandis scutis non extra jactum telorum erant, nec hostes ea re ab jactu sagittarum et jaculorum prohibere, sed se tantum ab eorum ictu tueri poterant; Duker. — Paulo argutiorem judicat Doering. Dukeri notam et emendationem; nam, ait, *ab ictu sagittarum* vel *jactu*, hoc est, ab jactis sagittis et jaculis, eodem redit. En.

3. *Maxime cestrosphendonis vulnerabantur. Hoc illo bello* Maced. *novum genus teli inventum est. Bipalme spiculum... emicabat*, verba obscura, expressa ex Fragm. Polyb. XXVII, 9, quod debemus Suidæ voc. Κέστρος, ad quem Küsterus jam monuit Livium suo more hæc liberius vertisse, omissis etiam quibusdam, quæ forsan non intelligeret, vel saltem non sine magna difficultate verti posse animadverteret. Verba Polybii sunt: Κέστρος· ξένον ἦν τοῦτο τὸ εὕρημα κατὰ τὸν Περσικὸν πόλεμον. Τὸ δὲ βέλος τοιοῦτον· διπάλαιστον ἦν, ἴσον ἔχον τὸν αὐλίσκον τῇ προβολῇ· τούτῳ ξύλον ἐνήρμοστο, τῷ μὲν μήκει σπιθαμιαῖον, τῷ δὲ πάχει δακτυλιαίαν ἔχον τὴν διάμετρον· εἰς δὲ τούτου τὸ μέσον ἐσφήνωτο πτερύγια τρία ξύλινα, βραχέα παντελῶς. Τοῦτο, δυοῖν κώλων ἀνίσων ὑπαρχόντων τῆς σφενδόνης, εἰς τὸ μέσον ἐνηγκυλίζετο τῶν κώλων εὐλύτως. Λοιπὸν, ἐν μὲν τῇ περιαγωγῇ, τεταμένων τούτων, ἔμενεν· ὅτε δὲ παραλυθείη θάτερον τῶν κώλων κατὰ τὴν ἄφεσιν, ἐκπίπτον ἐκ τῆς ἀγκύλης, καθαπερεὶ μολυβδὶς ἐκ τῆς σφενδόνης, ἐφέρετο· καὶ προσπίπτον μετὰ βιαίας πληγῆς, κακῶς διετίθει τοὺς συγκυρήσαντας. Quæ Schweigh.

genus teli inventum est. Bipalme spiculum hastili semicubitali infixum erat, crassitudine digiti : huic ad libramen pinnæ tres, velut sagittis solent, circumdabantur : funda media duo funalia imparia habebat.

vertit: *Cestrus* (nisi leg. Κεστροσφενδόνη) *novum inventum erat bello Persico; telum vero hujusmodi: Bipalme erat, tubulum habens æqualem prominenti ferro* (nam αὐλίσκος est postica pars teli, quæ induitur hastili, προβολὴ anterior, quæ προβάλλεται, prætenditur, projicitur, extra manum prominet). *Huic insertum erat hastile, longitudinem habens spithamæ* (ut apud Liv. *semicubitale:* est enim σπιθαμὴ dodrans pedis, adeoque dimidium cubiti, qui valet pedem unum cum dimidio), *crassitiem vero digiti: cujus medio infixæ erant tres pinnulæ ligneæ admodum breves. Hoc telum, quum duæ impares habenæ essent fundæ, in earum medio veluti amento illigabatur ita, ut facile solvi posset. Igitur in circumactione fundæ, quum intentæ essent habenæ, immobile manebat telum. At ubi altera solvebatur habena in emissione, excussum amento suo, telum veluti glans e funda ferebatur, et cum impetu incidens, quidquid occurrisset pessime lædebat.* Κέστρα ἀμυντήριον ὅπλον Hesych. Ad verba Livii Turnebus, Advers. XXX, 32, hæc notavit: « *Huic ad libramen pinnæ tres*, i. e. ei pinnæ tres additæ erant, ut libratior et directior certiorque esset volatus teli, nec erranti diverseque nutanti parte ejus posteriore ictus irritus esset, telo eodem tenore non eunte. *Funda media duo funalia imparia habebat:* medio hastili inhærebat funda, sed ea duplex, ut latior ejus sinus telum melius libraret. Nam *funalia duo* interpretor fundam duplicem, alteram alteri continentem. Funale opus funarium est: hic funda e funibus, posterius funale majus et latius erat, ut ictum teli adigeret vehementius, meliusque telum sustineret. *Duo* autem *funalia*, quæ fundam unam faciebant, in nodum nectebantur, ut opinor, ansula facta, cui inserebatur habena, qua telum rotabatur. *Major sinus* est majoris fundæ et tanquam duplicis major capacitas, in qua pendebat et librabatur telum ». Adjungo his observationes Lipsii Poliorc. IV, 3. « *Cestrosphendone* est veruculum seu breve telum e funda missum: forte id. qd. βελοσφενδόνη in Plut. Sylla, nisi hoc est telum amentis religatum iisque velut funda emissum. *Bipalme*, διπάλαιστον, ergo intell. palmus minor, παλαιστὴ, *IV* digitorum. Sed in Græco hoc distinctius additur, et mucronem et tubum palmi fuisse: *hastile semicubitale*, σπιθαμιαῖον, qui sunt *XII* digiti, ut cubitus sesquipes seu *XXIV* digiti. Hic est palmus major sive dodrans: ita in toto telo digiti *XX*, i. e. pes et quadrans. Adduntur deinde *pinnæ tres*, sed ex ligno, quod Græcus monet, ne sc. aut pluvia, aut in valido circumactu violarentur. Illæ ipsæ ligneæ, juvabant tamen faciebantque volatum et directionem. *Funda media*, ipsum fundæ medium, cui telum sedet, *habet duo* utrimque *funalia* (κῶλα, lora, habenas) *imparia:* cur *imparia*, et quo situ? Credo, ob teli mutati modum ita factum, quod, ne excideret in circumactu, sedem paulo majorem voluit eamque aptam excussioni. Est igitur fundus latior, quem duo fu-

Quum majori sinu libratum funditor habena rotaret, excussum, velut glans, emicabat. Quum et hoc, et alio omni genere telorum, pars vulnerata[4] militum esset, nec facile jam arma fessi sustinerent, instare rex, ut dederent se, fidem dare, præmia interdum polliceri; nec cujusquam ad deditionem flectebatur animus; quum ex insperato jam obstinatis mori spes affulsit. Nam quum ex frumentatoribus refugientes quidam in castra nuntiassent consuli, circumsideri præsidium; motus periculo tot civium (nam octingenti ferme et omnes Romani erant) cum equitatu ac levi armatura (accesserant nova auxilia, Numidæ pedites equitesque et elephanti) castris egreditur, et tribunis militum imperat, ut legionum signa sequantur. Ipse, velitibus ad firmanda levium armorum auxilia[5] adjectis, ad tumulum præcedit. Consulis latera tegunt[6] Eumenes, Attalus et Misagenes, regulus Numidarum.

nes utrimque contineant: sed prior, et ubi ferrum est, paulo longior latiorque; strictior et brevior posterior ille, ubi pinnæ. An hoc modo vult, utrimque unum fuisse, sed alterum breviorem? Neque nego, natare me in his talibus, quæ usu abierunt, et usu ac periculo tamen constant. Extremum in Livio *majore sinu libratum*, sc. quam vulgatæ fundæ habere solent: quod eo obscurius, quia nihil tale in Græco. Turnebus vult, fuisse duas fundas et duplicem sinum, sed inter se eas nexas, et in majore libratum telum. Sed non video, cui usui duplex hic sinus, utique si in altero modo telum. Non plura Livius, qui negligenter (in aliis etiam solet) totum hoc de *amento* omisit, quo telum utiliter illigatum, tum ne caderet in rotatu, tum ut violentius emitteretur. At Polybius diserte et bis hic expressit, monuitque, amentationem illam in medio duorum funium factam». Conf. supra ad VII, 23, n. 4. — Cæterum h. l. Gronovii editio pro *habebat* præfert *habebant*, sed forte operarum aberratione. Quam tamen lectionem omnes recentiores, præter Creverium, imprudenter servasse testatur Drakenb. Ed.

4. *Pars vulnerata militum*, forte *pars magna v. m.* Ant. Periz. — *Fidem dare*; vid. XXIII, 19, n. 10.

5. *Levium armorum auxilia*; ita ex prima ed. emendavit Gron. infra ad XLIII, 18. Basileenses anno 1539, eosque sequuti dederant *levium armatorum*; vide supra ad XXII, cap. 37, not. 2.

6. *Consulis latera tegunt*; vide ad XXIV, 5, n. 7.

LXVI. Quum in conspectu prima signa suorum circumsessis fuerunt, Romanis quidem ab ultima desperatione recreatus est animus: Perseus, cui primum omnium fuerat, ut, contentus fortuito successu, captis aliquot frumentatoribus occisisque, non tereret tempus in obsidione præsidii; secundum, ea quoque tentata utcumque, quum sciret nihil roboris secum esse, dum liceret intacto, abire[1]; et ipse hostium adventum, elatus successu, mansit, et, qui phalangem arcesserent, propere misit. Qua et serius, quam res postulabat, et raptim acta, turbati cursu adversus instructos et præparatos erant adventuri. Consul anteveniens extemplo prælium conseruit. Primo resistere Macedones; deinde, ut nulla re pares erant, amissis trecentis peditibus, viginti quatuor primoribus equitum ex ala, quam Sacram vocant[2], inter quos Antimachus etiam præfectus alæ cecidit, abire conantur. Cæterum iter prope ipso prælio tumultuosius fuit. Phalanx, abs trepido nuntio accita, quum raptim duceretur, primo in angustiis captivorum agmini[3] oblata vehiculisque frumento onustis. Iis cæsis, ingens ibi

Cap. LXVI. 1. *Dum liceret* sibi *intacto, abire;* vid. II, 12, n. 11, et V, 25, n. 4. — *Hostium adventum mansit;* vide ad II, 40, n. 4.

2. *Ex ala, quam Sacram vocant;* « jam mentio, ait Creverius, facta est Sacrarum alarum supra cap. 58, rursusque fiet infra lib. XLIV, cap. 42. Suspicamur illas equitum alas circa ipsum regem solitas esse pugnare, ei tuendo speciatim addictas; unde et ipsis fortasse *Sacrarum* nomen inditum ». Sed vid. XXXVII, 40, n. 6.

3. *Captivorum agmini oblata;* vid. V, 13, n. 8. — *Iis cæsis,* etc. aliquid mendi hic latet; sive enim *cæsis* referas ad *vehicula*, ineptum est, sive ad *captivos*, parum verisimile; Crev. — Frid. Jacobs. apud Goell. p. 391, legendum suspicatur: *vehiculisque frumento onustis, iisque densis, ingens ibi*, etc. ubi apparere ait, verba *iisque densis*, non sine causa fuisse addita. In raro enim vehiculorum agmine milites fugientes sese per intervalla expedire potuissent, qui nunc, *denso* illis *ordine* per angustias actis, vehementer vexabantur. Facile autem *iisq. desis* in *iis cæsis* depravari potuit. Ed. — *Ingens vexatio partis utriusque;* tum phalangis, tum Cretensium, qui deducebant captivos et prædam. Ed.

vexatio partis utriusque fuit, nullo exspectante, utcumque explicaretur agmen, sed armatis detrudentibus per præceps impedimenta (neque enim aliter via aperiri poterat), jumentis, quum stimularentur, in turba sævientibus. Vix ab incondito agmine [4] captivorum expedierant sese, quum regio agmini perculsisque equitibus occurrunt. Ibi vero clamor jubentium referre signa ruinæ quoque prope similem trepidationem fecit; ut, si hostes, introire angustias ausi, longius insequuti essent, magna clades accipi potuerit. Consul, recepto ex tumulo præsidio, contentus modico successu, in castra copias reduxit. Sunt, qui eo die magno prælio pugnatum auctores sint [5]; octo millia hostium cæsa, in his Sopatrum et Antipatrum regios duces; vivos captos circiter duo millia octingentos [6] signa militaria capta viginti septem: nec incruen-

— *Nullo exspectante, utcumque explicaretur agmen:* ante *utcumque* excidisse videtur *dum;* Gron.

4. *Ab incondito agmine c.* vide ad XXI, 57, n. 11.

5. *Sunt, qui... pugnatum auctores sint;* vide ad II, 58, n. 1. *Sint* ex emend. Sigon. pro *sunt,* quod auribus h. l. minus gratum est, et a stylo Liv. alienum. Supra nempe ad II, 41, *sunt, qui patrem auctorem ejus supplicii ferant;* III, 57, *sunt, qui ædiles functos eo ministerio scribant;* IV, 7, *sunt, qui propter adjectum Veiens bellum tribunos militum creatos dicant;* cap. 26, *sunt qui male pugnatum ab his consulibus in Algido auctores sint;* cap. 61, *sunt, qui Artenam Veientium fuisse credant;* V, 36, *erant, qui extemplo Romam eundum censerent;* cap. 41, *sunt, qui devovisse eos se pro patria tradant;* VII, 27, *sunt, qui hanc multitudinem captivam servorum fuisse scribant;* X, 26, *sunt, quibus ne hæc quidem certámina exponere satis fuerit,* et *sunt, qui Umbros fuisse tradant.* Alia exempla vid. XXI, 6; XXVI, 49; XXX, 37; XXXI, 37; XLIII, 4, et pluribus locis; Drak. Neque tamen cum Ernestio ad Cic. Fin. I, 20, et Off. I, 2, 20, 24, contenderim, veram latinitatem postulare, ut conjunctivus excipiat dictionem *est,* vel *sunt, exsistunt, inveniuntur, qui.* Horat. Od. I, 1, vs. 3: « Sunt, quos curriculo pulverem Olympicum Collegisse juvat », ubi vid. eruditiss. Bentl. et v. 9: « Est, qui nec veteris pocula Massici, Nec partem solido demere de die Spernit ». Vid. et Cort. ad Sall. Cat. 19. Ed.

6. *Vivos captos circiter duo millia octingentos;* primæ edd. per notas numerales *MMDCCC.* Vasc. *MMCCCC.* Pessime omnium ultima Gruteri edi-

tam victoriam fuisse; supra quatuor millia et trecentos de exercitu consulis cecidisse, signa sinistræ alæ quinque amissa.

LXVII. Hic dies et Romanis refecit animos, et Persea perculit[1], ut, dies paucos ad Mopselum moratus, sepulturæ maxime militum amissorum cura, præsidio satis valido ad Gonnum relicto, in Macedoniam reciperet copias. Timotheum quemdam ex regiis præfectis cum modica manu relinquit ad Philan, jussum Magnetas et propinquos tentare[2]. Quum Pellam venisset, exercitu in hiberna dimisso, ipse cum Cotye Thessalonicam est profectus. Eo fama affertur, Atlesbim regulum Thracum et Corragum Eumenis præfectum in Cotyis fines impetum fecisse, et regionem, Marenem quam vocant, cepisse. Itaque, dimittendum Cotyn ad sua tuenda ratus, magnis proficiscentem donis prosequitur. Ducenta talenta[3], semestre stipendium, equitatui numerat, quum primo annuum dare constituisset. Consul, postquam profectum Per-

tio *bis mille trecentos*. Recte Gronov. anno 1665 *duo millia octingentos;* Drakenb.

Cap. LXVII. 1. *Hic dies... Persea perculit* (vide ad II, 14, n. 2), h. e. acta hujus diei, prælium hoc die commissum. Cic. pro Sexto, XII, *equites romanos daturos illius diei pœnas, quo, me consule, cum gladiis in clivo Capitolino fuissent;* pro Marcell. IV, *hunc tu igitur diem tuis maximis et innumerabilibus gratulationibus jure antepones.* Quem locum varie tentans Patricius non intellexit. Justin. IX, 3, *hic dies universæ Græciæ et gloriam dominationis, et vetustissimam libertatem finivit;* ubi vid. Gron. Flor. II, 6, § 58, *non fuit major sub imperio romano dies, quam ille, quum duo omnium et antea et postea ducum maximi, ille Italiæ, hic Hispaniæ victor, collatis cominus signis direxere aciem;* ubi vid. Duker. IV, 12, § 35, *Varus perditas res, eodem, quo Cannensem diem Paullus, et fato est et animo sequutus.* Vid. Gronov. ad Sen. de ira, III, 36. Cæterum aut leg. *perpulit*, aut excidit *ita* vel *adeo*, cui *ut* respondeat; Drak. At bene sibi opponuntur *Romanis refecit animos, Persea perculit;* Schæf. — *Philan*, in Pieria, ad amnis Penei oram; hodie *Fello*. Ed.

2. *Et propinquos tentare;* vide ad IX, 35, n. 1.

3. *Ducenta talenta*, h. e. ex Crev. æstimatione, marcas argenti nostrates 18,750. Ed. — *Ad G. c. movet*, tenta-

sea audivit, ad Gonnum castra movet, si potiri oppido posset. Ante ipsa Tempe in faucibus situm Macedoniæ claustra tutissima præbet et in Thessaliam opportunum Macedonibus decursum. Quum et loco et præsidio valido inexpugnabilis res esset, abstitit incepto. In Perrhæbiam flexis itineribus, Mallœa primo impetu capta ac direpta, Tripoli aliaque Perrhæbia recepta, Larissam rediit. Inde Eumene atque Attalo domum remissis, Misagenem Numidasque in hiberna in proximis Thessalis urbibus distribuit; et partem exercitus ita per totam Thessaliam divisit, ut et hiberna commoda omnes haberent, et præsidio urbibus essent. Q. Mucium legatum[4] cum duobus millibus ad obtinendam Ambraciam misit. Græcarum civitatium socios omnes præter Achæos dimisit. Cum exercitus parte profectus in Achaiam Phthiotim, Pteleum[5] desertum fuga oppidanorum diruit a fundamentis, Antrona voluntate colentium recepit. Ad Larissam deinde exercitum admovit. Urbs deserta erat; in arcem omnis multitudo concesserat : eam oppugnare

turus, experturus, *si*, an, etc. vide ad I, 57, n. 1.—*Inexpugnabilis res*, forte *i. urbs;* Gron. — Pro *res esset* conj. Kreyssigh. apud Goell. p. 478, *restitisset*. Error sc. ab errore nasci potuit, atque *restitisset* primum in *restisset*, deinde in *res esset* abire. De syllabarum geminatione a librariis neglecta vid. Drakenb. ad lib. II, 24, § 6, et Heinrichii Ind. ad Cic. Oratt. Fragmm. sub *Geminatio, insigne emendationis subsidium*. Ed. — *In proximis Thessalis urbibus;* olim edebatur *Thessaliæ urbibus;* quæ lectio ex ultima Gruteri editione per posteriores omnes propagata est. Ante Gruterum *Thessalis urbibus*, quod sine causa mutatum est. Ut *Thessalæ urbes*, ita *Thessali equites;* IX, 19, *quatuor millibus equitum maxime Thessalorum;* hoc ipso libro XLII, 58, *Thessali quadringenti equites parvo intervallo super lævum cornu locati*. Justin. quoque VII, 6, *exercitui suo robur Thessalorum equitum adjungere gestiebat*. Ed.

4. *Q. Mucium legatum*, nunc forsan factum ex tribuno militum. Conf. ad cap. 49. Idem forte intell. XLIII, 1 pr. nisi aliud excidit nomen. — *Achaiam Phthiotim;* vide supra ad librum XXXIII, cap. 32, n. 6.

5. *Pteleum... Antrona... Larissam;* vide ad cap. 42, n. 1.—*Voluntate colentium;* vide ad I, 1, n. 3, et III, 69, n. 8.

aggreditur. Primi omnium Macedones, regium præsidium, metu excesserant; a quibus relicti oppidani in deditionem extemplo veniunt. Dubitari inde[6], utrum Demetrias prius aggredienda foret, an in Bœotia adspiciendæ res. Thebani, vexantibus eos[7] Coroneis, in Bœotiam arcessebant. Ad horum preces, quia hibernis aptior regio, quam Magnesia erat, in Bœotiam duxit.

6. *Dubitari inde*, immo *dubitare*, sc. cœpit, aut *dubitavit;* Duker. — *Adspiciendæ res;* antea legebatur *adipiscendæ*, quod Creverio et aliis displicuit. Longe potior *adspiciendæ;* vide ad XXI, 6, n. 4.

7. *Vexantibus eos Coroneis*, in quos Licinium crudeliter consuluisse, ex XLIII, 4 patet; Duk. *Coroneis* scripsi pro *Coronæis;* vide ad cap. 42, n. 3. — *Duxit* consul. Conf. ad librum I, cap. 23, n. 4.

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

AB URBE CONDITA

LIBER XLIII.

BREVIARIUM.

Cap. I; Eadem æstate legatus, in Illyricum a consule missus, opulenta duo oppida diripuit. Alter consul C. Cassius nec in Gallia memorabile quidquam gerit, et per Illyricum ducere legiones in Macedoniam vano incepto conatur. Quod ubi senatus ex Aquileiensium legatis cognovit, legatos mittit, qui ei nuncient, ne suam provinciam relinquat. — II; In jus vocantur magistratus romani, de quorum avaritia superbiaque conquesti erant Hispaniæ utriusque legati, et SCtis quibusdam consulitur Hispanis. — III; Quatuor millibus hominum, natis ex militibus romanis et hispanis mulieribus, Carteia datur, ubi habitent. Eodem tempore Romam veniunt legati carthaginienses et Gulussa Masinissæ filius. — IV; M. Junius Pennus prætor Celtiberos sine sanguine domat: at Licinius et C. Lucretius crudeliter et avare bellant in Græcia; et non modo de his, sed etiam de L. Hortensio, successore Lucretii, ab Abderitarum, — V; et de C. Cassio a Cincibili, regis Gallorum, nec non a Carnorum Istrorumque et Iapydum legatis similes querelæ ad senatum rom. deferuntur. — VI; Legati multarum Græciæ Asiæque civitatum, item ex Africa Carthaginiensium et Masinissæ simul Romam conveniunt. — VII; His dimissis audiuntur legati Cretenses, et post hos vocantur Chalcidenses, quorum princeps Miction de superbia, crudelitate et avaritia Lucretii Hortensiique queritur. — VIII; Lucretius damnatur, et literæ jussu senatus scriptæ mittuntur ad Hortensium absentem. — IX; In

Liguribus eo anno nihil memorabile geritur; in Illyricum vero, cujus regem Gentium Romani suspectum habent, ab A. Hostilio cos. mittitur Ap. Claudius Centho legatus. — X; Is ab Uscanensibus repellitur cum magna clade, cujus reliquias ad Lychnidum reducit. — XI; Comitia consularia et prætoria. Reditus legatorum, ad exercitum in Macedoniam missorum. Calendæ intercalares. Mors sacerdotum. — XII; Numerus militum sociorumque navalium in supplementum scribendorum. — XIII; Prodigia publica procurantur, non suscipiuntnr duo, in loco privato peregrinoque facta. — XIV; C. Claudius Pulcher et Ti. Sempronius Gracchus creantur censores. Horum edicta de delectu, commeatibus missionibusque militum. — XV; Sortitio provinciarum; et censura. — XVI; Acerba recensio equitum, et contentiones censorum cum veteribus publicanis eorumque patrono, P. Rutilio trib. plebis. — XVII; Numerus colonorum Aquileiensium auctus. SCtum, a C. Popillio et Cn. Octavio legatis per omnes Peloponnesi urbes circumlatum, ne quis ullam rem in bellum magistratibus romanis conferret, præterquam quod senatus censuisset. — XVIII; Perseus in Illyricum proficiscitur, et Uscanam expugnat. — XIX; Inde Draudacum castellum et Oæneum capit, legatosque mittit ad Gentium, qui regem jam diu dubium in societatem pelliciant. — XX; Is pecuniam poscit. — XXI; Oppida Illyrici frustra tentant legati romani, L. Cœlius Uscanam et Ap. Claudius Phanotem. Perseus, qui in Macedoniam sese receperat, ad Stratum, validissimam Ætoliæ urbem, ducit vocantibus Epirotis et Archidamo principe Ætolorum. — XXII; Sed clausas portas receptumque vix romanum præsidium invenit, et infecta re in regnum redit. — XXIII; Clevas, ab eo relictus, prospere res gerit adversus Ap. Claudium et Antigonenses.

I. Eadem æstate, qua in Thessalia equestri pugna vicere Romani[1], legatus, in Illyricum a consule mis-

Cap. I. 1. *Qua in Thessalia equestri pugna vicere Romani:* vicere quidem (vide ad XLII, 66); sed prius victi sunt, et quidem in pugna majore multo et clariore; vide ad XLII, 59 sq. Hinc *victi* vel *victi fuere* emend. Cler. et Crev. Vulgatum vero contra eorum conjecturam defendit Doujat. quasi Livius unice respexerit posteriorem pugnam. At eum, Romanis suis faventem, non quidem plane dissimulasse cladem, sed scripsisse *victi*

sus[2], opulenta duo oppida vi atque armis coegit in deditionem, omniaque iis sua concessit, ut opinione clementiæ eos, qui Carnuntem munitam urbem incolebant, alliceret. Postquam nec, ut dederent se, compellere, neque capere obsidendo poterat; ne duabus oppugnationibus nequidquam fatigatus miles esset, quas prius intactas urbes reliquerat[3], diripuit. Alter consul C. Cassius nec in Gallia, quam sortitus erat[4], memorabile quidquam gessit, et per Illyricum ducere legiones in Macedoniam vano incepto est conatus. Ingressum hoc iter consulem senatus ex Aquileiensium legatis cognovit; qui, querentes coloniam suam novam et infirmam, necdum satis munitam, inter infestas nationes Istrorum et Illyriorum esse, quum peterent, ut senatus curæ haberet, quomodo ea colonia muniretur, interrogati, vellentne eam rem C. Cassio consuli mandari? responderunt, Cassium, Aquileiam indicto exercitu[5], profectum per Illyricum in Macedoniam esse. Ea res primo incredibilis visa, et pro se quisque credere, Carnis forsitan aut Istris bellum illatum. Tum Aquileienses, nihil se ultra scire, nec audere affirmare, quam triginta dierum frumen-

primum, deinde vicere, suspicabantur Gron. et Drak.

2. *Legatus in Illyricum missus;* vide ad XLII, 67, n. 4. — *Opinione clementiæ;* vide ad XLV, 38, n. 2.— *Carnuntem* Illyrici aut Pannoniæ oppid. de cujus situ et ruderibus vid. P. Lambecius ad calcem lib. II, Comm. de Bibl. Cæs. p. 997. — Confer quoque Cellar. Geogr. Ant. II, 8, p. 350: cæterum *Carnuntem* hod. vocant *Sante Petronelle.* Ed.

3. *Quas intactas urbes reliquerat;* vide ad II, 12, n. 11.

4. *In Gallia, quam sortitus erat;* Cassio Italia evenit, h. e. Liguria et Gallia; conf. XLII, 31, 32; XLIII, 9. Liguria aliquoties utrique consuli decreta fuerat (vide ad XL, 35, 44; XLI, 17, 18; XLII, 1, 9, 10), et alteri quoque simul Gallia, quod probabile fit ex XLI, 17, 18, atque eo, quod Livius nusquam refert, qui prætores post annum Urbis conditæ 576 (lib. XLI, 8), Galliam, ut ante, sortiti fuerint; Duk.

5. *Aquileiam indicto exercitu;* vid. IV, 25, n. 4. — *XXX dierum frumentum m. d.* vid. Schel. ad Polyb. cap. 7.

tum militi datum, et duces, qui ex Italia itinera in Macedoniam nossent, conquisitos abductosque. Enimvero senatus indignari, tantum consulem ausum, ut suam provinciam relinqueret[6], in alienam transiret, exercitum novo periculoso itinere inter exteras gentes duceret, viam tot nationibus in Italiam aperiret. Decernunt frequentes, ut C. Sulpicius prætor tres ex senatu nominet legatos, qui eo die proficiscantur ex Urbe, et quantum accelerare possent, Cassium consulem, ubicumque sit, persequantur; nuntient, ne bellum cum ulla gente moveat, nisi cum qua senatus gerendum censuerat[7]. Legati hi profecti, M. Cornelius Cethegus, M. Fulvius, P. Marcius Rex. Metus de consule atque exercitu distulit eo tempore muniendæ Aquileiæ curam[8].

II. Hispaniæ deinde utriusque legati aliquot populorum in senatum introducti. Ii, de magistratuum Romanorum avaritia superbiaque conquesti, nisi genibus[1] ab senatu petierunt, ne se socios fœdius spoliari vexarique, quam hostes, patiantur. Quum et alia indigna quererentur, manifestum autem esset pecunias captas; L. Canuleio prætori, qui Hispaniam sortitus erat, negotium datum est, ut in singulos, a quibus Hispani pecunias peterent, quinos recuperatores[2] ex

6. *Consulem ausum tantum, ut suam provinciam relinqueret*, etc. vid. X, 18, n. 8. — *Novo periculoso itinere*, duo epitheta uni substant. ἀσυνδέτως juncta, ut passim; Drakenb. quem vide ad I, 14, n. 7, et XLIV, 43, n. 3.

7. *Ne bell. cum ulla gente moveat, n. c. q. senatus gerendum censuerat*, forte *censuerit*. Sed vid. III, 2, n. 1. —*P. Marc. Rex*, forte *Q.* pro *P.* quod prænomen in hac familia et in ulla alia ejusdem gentis non inveni; Duker.

8. *Metus distulit curam*, quia causa fuit, cur differretur. Cf. V, 39, n. 3.

Cap. II. 1. *Nisi genibus*, procumbentes, ut XLIV, 9. — *Quam hostes, patiantur*, immo *paterentur*.—*L. Canuleio... negotium datum est* a senatu extra ordinem, quia leges et quæstiones de repetundis nondum constitutæ erant; Duk. conf. Sigon. de Judic. II, 27, et infra ad Epit. XLVII, 7.

2. *Quinos recuperatores ex ordine*

ordine senatorio daret, patronosque, quos vellent, sumendi potestatem faceret. Vocatis in curiam legatis recitatum est senatusconsultum, jussique nominare patronos, quatuor nominaverunt, M. Porcium Catonem, P. Cornelium Cn. F. Scipionem, L. Æmilium L. F. Paullum, C. Sulpicium Gallum. Cum[3] M. Titinio primum, qui prætor A. Manlio, M. Junio consulibus in citeriore Hispania fuerat, recuperatores sumpserunt. Bis ampliatus, tertio absolutus est reus[4]. Dissensio inter duarum provinciarum legatos est orta: citerioris Hispaniæ populi M. Catonem et Scipionem; ulterioris L. Paullum et Gallum Sulpicium patronos sumpserunt. Ad recuperatores adducti a citerioribus populis P. Furius Philus, ab ulterioribus M. Matienus. Ille Sp. Postumio, Q. Mucio consulibus triennio ante, hic biennio prius, L. Postumio, M. Popillio consulibus, prætor fuerat. Gravissimis criminibus accusati ambo ampliatique: quum dicenda de integro causa esset, excusati exsilii causa solum vertisse[5]. Furius Præneste, Matienus Tibur exsulatum abierunt. Fama erat, prohiberi a patronis nobiles ac potentes

senatorio, etc. vid. XXVI, 48, n. 3.

3. *Cum M. Titinio*, primo reo.

4. *Bis ampliatus, t. a. reus.* — Et inferius, *accusati ambo ampliatique;* « in judiciis antiquis, ait Donatus, *ampliare* verbum forense erat, et significabat interloqui, seu sententiam differre, quum causa adhuc esset obscura; inde judex pronuntiabat *non liquet.* Vid. Cic. pro Cœc. 10, pro Cluentio, 28; A. Gell. lib. XVI, 11. Hic *ampliatos* scribit Livius P. Furium Philum, et M. Matienum reos, h. e. judicium illorum dilatum, et quum dicenda de integro causa esset, excusatos exsilii causa solum vertisse; et M. Titinium bis ampliatum, tertio absolutum. Itaque *ampliati* dicebantur, ut in Annotat. Budæus tradit, ii quorum damnatio vel absolutio differebatur, aut quia coram testes sistendi essent, et cum illis committendi; aut quia nondum plane liquebat aut de crimine, aut de modo pœnæ; aut quia argumenta et probationes nondum satis erant idonea ad absolvendum vel condemnandum: ad quod videtur spectare Plautinum illud in Amphitr. *Jacent rationes, silet judicium, nescio quid dicam* ». Ed.

5. *Excusati exsilii causa solum vertisse;* vide ad III, 13, n. 10. —

compellare[6]; auxitque eam suspicionem Canuleius prætor, quod, omissa ea re, delectum habere instituit; deinde repente in provinciam abiit, ne plures ab Hispanis vexarentur. Ita, præteritis silentio obliteratis, in futurum consultum ab senatu Hispanis, quod impetrarunt, ne frumenti æstimationem magistratus romanus haberet[7]; neve cogeret vicesimas vendere Hispanos, quanti ipse vellet; et ne præfecti in oppida sua ad pecunias cogendas[8] imponerentur.

III. Et alia novi generis hominum ex Hispania legatio venit. Ex militibus romanis et ex hispanis mulieribus[1], cum quibus connubium non esset, natos se memorantes, supra quatuor millia hominum, orabant, ut sibi oppidum, in quo habitarent, daretur.

Prohiberi a patronis, scil. legatos Hispaniæ : quæ dura est ellipsis.

6. *Nobiles ac potentes compellare;* vide ad XXII, 12, n. 12.

7. *Ne frumenti æstimationem magistratus rom. haberet,* « scil. et æstimati et empti. Æstimatum est, quod magistratibus rom. in cellam, i. e. domesticum usum, a provincialibus sumere licebat, sed pro quo usu invaluerat, ut pecuniam sibi numerari juberent; vid. Cic. Verr. III, 81, et Burm. de Vectig. cap. 2, p. 20. Quum autem magistratus frumentum grandi pretio æstimarent, Hispani impetrarunt, ut illi vel frumentum ipsum accipere, vel, si pro eo pecuniam mallent, æstimatione communi et publica uti cogerentur. Emptum frumentum est, quod provinciales Romanis vendere jubebantur; vid. Cic. Verr. III, 70 sq. et Burm. de Vect. cap. 2, p. 19. In illam rem magistratus rom. pecuniam e publico accipiebant: ex qua ut aliquid averterent, frumentum emendum vilissimo pretio æstimabant. Itaque Hispani impetrasse videntur, ne *vicesimas* frumenti *vendere cogerentur, quanti vellent* magistratus romani ». Crev. Hæc probabiliora sunt, quam quæ Marc. Donatus et alii disputarunt; qui etiam de aliarum rerum *vicesimis* h. l. agi credidere, vel eum silentio præteriere.

8. *Ad pecunias cogendas,* hoc est, per vim exigendas.

Cap. III. 1. *Ex militibus rom. et ex hispanis mulieribus*, etc. « Ex h. l. Sigonius de Jur. Civ. Rom. I, 6, n. 9 colligit, eos, qui *ex mulieribus, cum quibus connubium non esset, nati* erant, in numero servorum habitos fuisse et ne libertatem quidem habuisse, et Turnebus, Advers. XVI, 21, eos servorum in numero, non ingenuos fuisse. Hoc non in universum de omnibus his verum esse arbitror. Nam qui ex cive rom. et muliere libera, cum qua connubium non esset, nati erant, non illi quidem cives romani, sed tamen liberi erant; nec video, cur servorum numero haberi debue-

Senatus decrevit, *uti nomina sua apud L. Canuleium profiterentur; eorumque si quos manumisisset*[2], *eos Carteiam ad Oceanum*[3] *deduci placere. Qui Carteiensium domi manere vellent, potestatem fore, uti numero colonorum essent, agro assignato. Latinam eam coloniam fuisse*[4], *libertinorumque appellari.* Eodem tempore ex Africa et Gulussa, Masinissæ regis filius, legatus patris, et Carthaginienses venerunt. Gulussa prior in senatum introductus, et, quæ missa erant ad bellum Macedonicum a patre suo, exposuit, et, si qua præterea vellent imperare, præstaturum merito populi romani est pollicitus; et monuit Patres conscriptos, ut a fraude Carthaginiensium caverent: *classis eos magnæ parandæ consilium cepisse, specie pro Romanis et adversus Macedonas: ubi ea parata instructaque esset, ipsorum fore potestatis quem hostem aut socium habeant*[5]. [Egit deinde Masinissæ causam de agro, de oppidis, quæ ablata sibi ab eo Carthaginienses quererentur, magnaque contentione inter regulum et legatos carthaginienses disceptatum. Quæ ultro citroque jactata

rint: partus enim, quod JCti dicunt, sequitur ventrem. Eos, de quibus hic agit Livius, servilis conditionis fuisse, argumento sunt, quæ de eorum manumissione et appellatione coloniæ, in quam deducti sunt, dicuntur. Hinc suspicor, matres eorum fuisse captivas hispanas ancillas, quarum liberi conditionem matrum sequebantur; vid. Ulpian. tit. V, § 9 ». Duk. Conf. VIII, 14, n. 9, et ad Tacit. Ann. XIV, 27, n. 5, et Spanhem. O. R. II, 22.

2. *Eorumque si quos manumisisset*, « sc. quum in provinciam venisset, ut præsens singulorum causas cognosceret. Nam quod non dicit Livius *ut eos manumitteret*, sed *eorum si quos manumisisset*, indicio est, non eamdem omnium causam fuisse, sed alios manumitti potuisse, alios non potuisse. Si quid veri in eo est, quod de matribus illorum dixi, qui post mortem patrum in alterius domini potestatem non venerant, manumitti potuerunt: qui justo titulo venerant, non potuerunt ». Duk. Conf. Spanhem. l. l.

3. *Carteiam ad Oceanum*; vide ad XXI, 5, n. 3.

4. *Latinam eam coloniam fuisse*, immo *esse*, h. e. in posterum esse, vel haberi: nam colonia nunc primum facta est; Gron. — *Libertinorum* coloniam; vide ad VIII, 14, n. 9.

5. *Ipsorum fore potestatis quem hostem aut socium habeant*; vide ad III, 62, n. 5. Ed.

sint, quid a senatu responsum fuerit, in incerto est. Quievit tamen velut sopita hæc controversia per aliquot annos. Renovata postea in acre bellum exarsit, quod adversus Masinissam a Pœnis susceptum cum Romanis gerendum fuit, nec nisi Carthaginis interitu finitum est. Hoc anno invenimus in annalibus, puerum factum ex virgine sub parentibus, jussuque haruspicum deportatum in insulam desertam.

(*IV*). Habita sunt a C. Cassio consule comitia, quibus creati consules A. Hostilius Mancinus, A. Atilius Serranus. Prætores inde facti M. Retius, Q. Mænius, L. Hortensius, Q. Ælius Pætus, T. Manlius Torquatus, C. Hostilius. Decretæ consulibus provinciæ Italia et Macedonia. Italia Atilio, Hostilio Macedonia obvenit. Prætores Retius urbanam jurisdictionem, peregrinam Mænius sortitus est. Classis cum ora maritima Græciæ Hortensio obtigit. Reliquæ prætoriæ provinciæ fuere procul dubio, quemadmodum anno priore Hispania, Sicilia et Sardinia. Sed singulas quinam prætores obtinuerint, silentibus Veterum monumentis, certe sciri non potest. Interim P. Licinius, quasi ad bellum non cum Perseo, sed cum Græcis gerendum missus esset, inanes adversus justum hostem iras in miseros et viribus impares vertit, compluresque in Bœotia, ubi hibernabat, urbes expugnavit, et crudeliter diripuit. Coronei maxime vexati quum ad senatum confugissent, Patres decreverunt, ut captivi, qui sub corona venissent, in libertatem restituerentur. Consulis crudelitatem et avaritiam imitatus est, aut etiam superavit Lucretius Prætor, qui classi præerat, adversus socios ferox, hosti spernendus. Siquidem classem ad Oreum stantem adortus repente Perseus, naves onerarias frumentum portantes viginti cepit, reliquas depressit, et quatuor etiam quinqueremibus potitus est. Res quoque prospere gestæ in Thracia a Perseo, quum eo ad Cotyn defendendum adversus Atlesbis et Corragi copias divertis-

§ IV. Appian. Pun. — Plin. IV, VII.

set. Nec vero ipse sibi Cotys defuit, vir bello strenuus, consilio præstans, Thrax genere solo, non moribus. Nam et unicæ sobrietatis ac temperantiæ fuit, idemque clementia et moderatione animi plane amabilis. Cuncta Perseo ex voto fluebant. Nam et tunc Epirotarum gens in ejus partes transiit, auctore Cephalo, quem tamen ad defectionem necessitas magis compulit, quam voluntas. Is, singulari prudentia et constantia præditus, tum quoque optima mente erat. Deos enim immortales precatus fuerat, ut bellum inter Romanos et Persea ne conflaretur, neve de summa rerum decerneretur. At exorto bello statuerat ex fœderis præscripto Romanos juvare: præter fœderis autem leges nihil ultro facere, neque obsequi indecore et turpiter. Turbavit hæc consilia Charopus quidam, ejus Charopi, qui saltum ad Aoum amnem T. Quintio contra Philippum bellanti aperuerat, nepos, vilis potentiorum assentator, et mirus calumniarum in optimum quemque artifex. Romæ educatus fuerat, missus ab avo in urbem, ut linguam romanam literasque perdisceret. Hinc notus carusque plurimis Romanorum, quum revertisset domum, natura levis, et ingenio pravus, quum et romana ei amicitia faceret animos, principes viros usque allatrabat. Sed primo despiciebatur ab omnibus, nec ulla ejus ratio habebatur. Postquam autem bellum Persicum conflatum est, quum plena omnia suspicionum in Græcia essent, multis palam, pluribus occulte Perseo studentibus, non destitit Charopus eos, qui auctoritate inter Epirotas præstabant, apud Romanos criminari. Et speciem quamdam coloremque dabat ejus calumniis ea necessitudo, quæ olim Cephalo cæterisque eamdem sectam sequentibus cum regibus Macedonum fuerat. Jam vero omnia illorum dicta factaque maligne explorans, et in pejus semper detorquens, veritatemque adjectis detractisque, quæ voluerat, adulterans, fidem criminibus faciebat. Neque his tamen commovebantur Cephalus et ii, qui eorumdem in republica consiliorum socii erant, freti egregia conscientia illibatæ erga Romanos fidei. Verum ubi

illis criminationibus aurem præbere Romanos senserunt, et principes quosdam Ætolorum, quos pariter suspectos fecerunt obtrectatorum calumniæ, Romam abductos, tum demum opus esse crediderunt, ut sibi ipsi suisque rebus consulerent. Quum autem nihil succurreret præter regiam amicitiam, cum Perseo societatem inire coacti sunt, eique gentem suam tradere. Romæ A. Hostilius, A. Atilius consules, inito magistratu, et peractis, quæ divina humanaque in urbe et circa urbem fieri a consulibus mos est, in provincias profecti sunt. Hostilius, cui Macedonia obtigerat, quum in Thessaliam ad exercitum properaret, Epirum, quæ nondum aperte defecerat, ingressus, parum abfuit, quin incideret in Persei manus. Theodotus enim quidam et Philostratus, rati sese, si eum regi traderent, magnam gratiam apud Persea inituros, et gravissimum in præsentia Romanis damnum illaturos, ad regem literas dedere, ut, quanta maxima posset celeritate, accurreret. Quod nisi et Perseum objecta a Molossis ad Loum amnem mora retardasset, et consul, de imminenti periculo monitus, ab instituto itinere deflexisset, vix videtur effugere potuisse. Igitur relicta Epiro navigavit Anticyram, unde in Thessaliam contendit. Ibi accepto exercitu ad hostem perrexit. Sed nihilo felicius bellum administravit, quam priore anno gestum fuerat. Nam et prælio commisso cum rege pulsus est, et quum primum per Elymeam vim facere tentasset, deinde per Thessaliam occulte moliri iter, ubique occurrente Perseo, vano conatu absistere coactus est. Nec Hortensius prætor, cui classis obtigerat, quidquam satis scite aut fortunate egit, cujus ex rebus gestis nihil ad memoriam insignius est, quam crudelis et perfida urbis Abderitarum direptio, quum intoleranda sibi imposita onera deprecarentur. Igitur Perseus Romanos jam despiciens, ac velut otiosus plane et vacuus, corollarii vicem in Dardanos excursionem fecit, et, decem millibus Barbarorum interfectis,

§ IV. Fasti Capit. — Zonaras. — Polyb. et Diod. apud Valesium. — Epitome hujus libri et XLII, LXVII. — Plut. in Paulo, et Florus, II, 71.

ingentem prædam abduxit. Movere hoc anno Celtiberi in Hispania bellum instigante novo duce Olonico, Salondicum quidam vocant. Is, summa calliditate et audacia hastam argenteam quatiens velut cælo missam vaticinanti similis, omnium in se mentes converterat. Sed quum pari temeritate castra prætoris romani, uno furiosi consilii socio assumpto, sub noctem adiisset, prætorem videlicet obtruncaturus, juxta tentorium ipsum pilo vigilis exceptus est: socius pares stolidi incepti pœnas luit. Amborum capita præcidi statim jussit prætor, atque hastis suffixa delectis e numero captivorum tradi ad suos perferenda. Hi] tantum pavorem ingressi[1] castra, ostentantes capita, fecerunt, ut, si admotus extemplo exercitus foret, capi castra potuerint. Tum quoque fuga ingens facta est: et erant, qui legatos mittendos ad pacem precibus petendam[2] censerent; civitatesque complures, eo nuntio audito, in deditionem venerunt. Quibus purgantibus sese, culpamque in duorum amentiam conferentibus, qui se ultro ad pœnam ipsi obtulissent, quum veniam dedisset prætor; profectus extemplo ad alias civitates, omnibus imperata facientibus, quieto exercitu pacatum agrum, qui paulo ante ingenti tumultu arserat, peragravit. Hæc lenitas prætoris, qua sine sanguine ferocissimam gentem domuerat, eo gratior plebi Patribusque fuit, quo crudelius avariusque in Græcia bellatum et ab consule Licinio et ab Lucretio prætore erat. Lucretium tribuni plebis absentem concionibus assiduis lacerabant, quum reipublicæ causa abesse excusaretur: sed tum

Cap. IV. 1. *Tantum pavorem ingressi*, etc. Desiderantur h. l. comitia et consularia, quibus A. Hostilius Mancinus et A. Atilius Serranus consules facti sunt, et prætoria cum sorte provinciarum: item res gestæ a P. Licinio proc. in Macedonia; Sigon. De initio cap. vide ad Epit. n. 3.

2. *Ad pacem precibus petendam*; vide ad IX, 16, n. 3. — *Culpamque in duorum amentiam... ab consule Licinio*, etc. vide ad Epit. n. 1 et 3.

adeo vicina etiam inexplorata erant, ut is eo tempore in agro suo Antiati esset, aquamque ex manubiis Antium ex flumine Loracinæ duceret. Id opus centum triginta millibus æris locasse dicitur. Tabulis quoque pictis ex præda fanum Æsculapii exornavit. Invidiam infamiamque ab Lucretio averterunt in Hortensium successorem ejus Abderitæ legati, flentes ante curiam querentesque, *oppidum suum ab Hortensio expugnatum ac direptum esse. Causam excidii fuisse urbi, quod, quum centum millia denarium et tritici quinquaginta millia modium imperaret, spatium petierunt*[3], *quo de ea re et ad Hostilium consulem, et Romam mitterent legatos. Vixdum ad consulem se pervenisse, et audisse oppidum expugnatum, principes securi percussos, sub corona cæteros venisse*[4]. Indigna senatui visa; decreveruntque eadem de Abderitis, quæ de Coroneis decreverant priore anno, eademque pro concione edicere Q. Mænium prætorem jusserunt. Et legati duo, C. Sempronius Blæsus, Sex. Julius Cæsar, ad restituendos in libertatem Abderitas missi. Iisdem mandatum, ut et Hostilio consuli et

— *Ex manubiis;* mos ferebat, ut duces sive imperatores *ex manubiis*, h. e. ea parte prædæ, quam ipsi acceperant, monumentum aliquod publicum exstruerent; vid. Cic. in Orat. Agr. II, 22, et Verr. I, 59, et eo retulerim, ait Doering., quod Lucretius fanum Æsculapii pictis tabulis exornavit; sed an eo quoque referendum sit, quod idem ex *manubiis* aquam in agrum suum Antiatem ex flumine Loracinæ duxit, non dixerim. Ed. — *Centum triginta millibus æris;* assibus 130,000; h. e. supputante Crever., marcis argenti nostratibus circiter 127. Mox *centum millia denarium*, idem æquiparat marcis argenti 1,562, unciis 4; et *tritici quinquaginta millia modium* modiis Parisiensibus fere 38,542. Ed.

3. *Spatium petierunt*, latinius *petierint;* Gron.

4. *Sub corona venisse;* vide ad II, 17, n. 3, et III, 55, n. 8.—*Indigna*, sc. *ea* aut *res:* nisi alterutrum excidit; Gron.—*Edicere;* vide ad XXX, 5, n. 1.—Sex. Julius Cæsar; Pighius in Ann. ad a. Urb. DLXXXIII, p. 371, inter quæstores provinciales hujus anni refert *Sex. Julium Sex. F. L. N. Cæsarem*, quem anno DXCVI consulem exhibent Fast. Capit. Verum vel

Hortensio prætori nuntiarent, senatum Abderitis injustum bellum illatum [5], conquirique omnes, qui in servitute sint, et restitui in libertatem, æquum censere.

V. Eodem tempore de C. Cassio, qui consul priore anno fuerat, tum tribunus militum in Macedonia cum A. Hostilio erat, querelæ ad senatum delatæ sunt, et legati regis Gallorum Cincibili[1] venerunt. Frater ejus verba in senatu fecit, questus, Alpinorum populorum agros sociorum suorum depopulatum C. Cassium esse, et inde multa millia hominum in servitutem abripuisse. Sub id tempus Carnorum Istrorumque et Iapydum legati venerunt: *Duces sibi ab consule Cassio primum imperatos, qui in Macedoniam ducenti exercitum iter monstrarent: pacatum ab se, tanquam ad aliud bellum gerendum, abisse: inde ex medio regressus itinere hostiliter peragrasse fines suos; passim rapinasque et incendia facta: nec se ad id locorum*[2] *scire, propter quam causam consuli pro hostibus fuerint.* Et regulo Gallorum absenti, et his populis responsum est, *senatum ea, quæ facta querantur, neque scisse futura, neque, si sint facta, probare. Sed indicta causa damnari absentem consularem virum, injurium esse, quum is reipublicæ causa absit.*

duo hoc tempore Sex. Cæsares florere debuerunt, vel hic locus quæsturam ejus in alium annum referendam esse ostendit. Si enim eo magistratu hoc anno functus esset, legationem illam obire non potuisset. Ed.

5. *Injustum bellum illatum;* junge cum *censere.*

Cap. V. 1. *Cincibili;* præter hunc Cincibilum memoratur etiam Balanus XLIV, 14. Ed. — *Carn. Istrorumque et Iapydum* ex emend. Drakenb. pro *Iapidum.* Ἰάποδες apud Steph. Byz. et Strab. V, 217, VII, 313 sq. Ἰάπυδες apud Ptol. II, 17; Dionem Cass. lib. XLIX, p. 412; Plin. III, 18-21. *Iapudes* in Fast. Capit. triumph. conf. Pigh. Ann. ad a. 624. Similiter *Illyrii, Illurii* et *Illirii, Satyra, Satura* et *Satira,* aliaque; vide ad XXII, 4, n. 1, et de *Iapydibus,* Illyrico populo, Heyn. ad Tibull. IV, 1, vs. 108, et ad Virg. Georg. III, 475.

2. *Ad id locorum;* vid. IX, 45, n. 1.

Ubi ex Macedonia redisset C. Cassius, tum, si coram eum arguere vellent, cognita re senatum daturum operam, uti satisfiat. Nec responderi tantum iis gentibus, sed legatos mitti, duos ad regulum trans Alpes, tres circa eos populos placuit, qui indicarent, quæ Patrum sententia esset. Munera mitti legatis ex binis millibus æris[3] censuerunt; duobus fratribus regulis hæc præcipua, torques duo ex quinque pondo auri facti, et vasa argentea quinque ex viginti pondo, et duo equi phalerati cum agasonibus, et equestria arma ac sagula; et comitibus eorum vestimenta liberis servisque. Hæc missa: illa petentibus data, ut denorum equorum iis commercium[4] esset, educendique ex Italia potestas fieret. Legati cum Gallis missi trans Alpes C. Lælius, M. Æmilius Lepidus; ad cæteros populos C. Sicinius[5], P. Cornelius Blasio, T. Memmius.

VI. Multarum simul Græciæ Asiæque civitatium legati Romam convenerunt. Primi Athenienses introducti: ii, *se, quod navium habuerint militumque, P. Licinio consuli et C. Lucretio prætori misisse* exposuerunt, *quibus eos non usos frumenti sibi centum millia*[1] *imperasse: quod, quanquam sterilem terram arent, ipsosque etiam agrestes peregrino frumento*

3. *Munera mitti legatis ex binis m. æ.* vide ad XLII, 6, n. 6. — *Bina millia æris* fiunt, ex Crev. rationibus, marcæ argenti nostrates 3, cum uncia 1. Mox *quinque pondo auri* idem repræsentari ait septem marcis nostratibus, unciis 6, semuncia 1. Ed.—*Vasa argentea quinque ex viginti pondo*, h. e. ait Crev., ex marcis nostratibus 31, unciis 2. Ed.

4. *Equorum commercium*, jus emendi; Ernesti. Similiter XLV, 29 extr. *commercium salis* id. qd. II, 9, *vendendi salis arbitrium.*

5. *C. Sicinius*, etc. conf. Drak. et Pigh. Ann. ad a. 568, 571.

Cap. VI. 1. *Frumenti centum millia*, scilic. modiorum (quod efficit ex Creverio, modios Parisienses fere 77,084. Ed.), ut passim in mentione frumenti et salis. Sic et gr. μεδίμνων omittitur. Conf. n. 6, et XXIII, 21; XXXIII, 42, n. 5; Drakenb. ad h. l. et Schwebel. ad Lamb. Bos. Ellips. gr. p. 191. — *Ipsosque etiam agrestes peregrino frumento alerent;* Demosth. Orat. advers. Leptinem, pag. 545: ἴστε γὰρ δήπου τοῦθ', ὅτι πλείστῳ

alerent, tamen, ne deessent officio, confecisse; et alia, quæ imperarentur, præstare paratos esse. Milesii, nihil præstitisse memorantes, si quid imperare ad bellum senatus vellet, præstare se paratos esse, polliciti sunt. Alabandenses templum Urbis Romæ se fecisse commemoraverunt, ludosque anniversarios ei Divæ instituisse; et coronam auream quinquaginta pondo, quam in Capitolio ponerent, donum Jovi Optimo Maximo, attulisse, et scuta equestria trecenta; ea, cui jussissent, traditurus. Donum ut in Capitolio ponere et sacrificare liceret, petebant. Hoc[2] Lampsaceni, octoginta pondo coronam afferentes, petebant, commemorantes, *discessisse se a Perseo*[3], *postquam romanus exercitus in Macedoniam venisset, quum sub ditione Persei et ante Philippi fuissent. Pro eo, et quod imperatoribus romanis omnia præstitissent, id se tantum orare, ut in amicitiam populi romani reciperentur, et, si pax cum Perseo fieret, exciperentur, ne in regiam potestatem reciperentur.* Cæteris legatis comiter responsum; Lampsacenos in sociorum formulam referre[4] Q. Mænius prætor jussus. Munera omnibus in singulos binum millium æris data. Alabandenses scuta reportare ad A. Hostilium consulem in Macedoniam jussi. Et ex Africa legati simul Carthagi-

τῶν ἁπάντων ἀνθρώπων ἡμεῖς ἐπεισάκτῳ αἴτῳ χρώμεθα. Ed.—*Alabandenses templum Urbis Romæ se fecisse commemoraverunt, ludosque*, etc. hoc Smyrnæi se primos, M. Porcio Catone consule, ante viginti quinque annos fecisse jactant apud Tac. Annal. IV, 56, n. 4. — *Coronam auream quinquaginta pondo*, marcarum nostratium 78, unciæ 1. Mox *octoginta pondo* marcas efficiunt Parisienses 125. Ed.

2. *Hoc Lampsaceni;* post aut ante *hoc* insere *et;* Gronov. et Drak. *Hoc*, idem, sc. ut donum in Capit. etc.

3. *Discessisse se a Perseo;* vide ad XXIV, 45, n. 2. — *Ne in regiam potestatem reciperentur,* male *reciperentur, exciperentur, reciperentur* iterantur; Drakenb. *Restituerentur* conj. Doujat. *Redigerentur* Bos. *Reciderent* Gronov.

4. *In sociorum formulam referre;* vide ad XXVI, 24, n. 5.

niensium[5], tritici decies centum millia[6] et hordei quingenta indicantes se ad mare devecta habere, ut, quo senatus censuisset, deportarent. *Id munus officiumque suum scire minus esse, quam pro meritis populi romani et voluntate sua; sed sæpe alias*[7], *bonis in rebus utriusque populi, se gratorum fideliumque socium muneribus functos esse.* Item Masinissæ legati, tritici eamdem summam polliciti, et mille et ducentos equites, duodecim elephantos; et, si quid aliud opus esset, uti imperaret senatus : æque propenso animo, ac quæ ipse ultro pollicitus sit, præstaturum esse. Gratiæ et Carthaginiensibus et regi actæ; rogatique, ut ea, quæ pollicerentur, ad Hostilium consulem in Macedoniam deportarent. Legatis in singulos binum millium æris munera missa.

VII. Cretensium legatis, commemorantibus, se, quantum sibi imperatum a P. Licinio consule esset sagittariorum, in Macedoniam misisse, quum interrogati non inficiarentur, *apud Persea majorem numerum sagittariorum, quam apud Romanos, militare*, responsum est : *Si Cretenses bene ac gnaviter*[1] *destinarent potiorem populi romani, quam regis Persei, amicitiam habere, senatum quoque romanum iis, tanquam certis sociis, responsum daturum esse. Interea nuntiarent suis, placere senatui, dare operam Cre-*

5. *Et ex Africa legati simul Carthaginiensium*, vox *simul* superflua, vel potius indicat excidisse, *et Masinissæ venerunt : Carthaginiensium ;* Crever.

6. *Tritici decies centum millia;* cf. n. 1. *Decies centum millia* pro vulg. *d. centena m.* ut XXXIII, 42, n. 5, et XLIII, 8, n. 3. Conf. Gronov. de Pec. Vet. II, 8, pag. 83. — Cæterum *tritici decies centena millia* modium, ex Crever. rationibus, fiunt modii nostrates paulo plus 770,833, et *hordei quingenta* millia modium, modii nostrates paulo plus 385,416. Ed.

7. *Sed sæpe alias, bonis in rebus utriusque populi*, etc. Hæc notat Crev. parum cohærere cum iis quæ præcedunt. Ed.

Cap. VII. 1. *Bene ac gnaviter*, strenue, studiose ac sincere, *destinarent potiorem*, etc. vid. III, 41, n. 11;

tenses, ut, quos milites intra præsidia regis[2] *Persei haberent, eos primo quoque tempore domum revocarent.* Cretensibus cum hoc responso dimissis, Chalcidenses vocati; quorum legatio ipso introitu, ob id quod Mictio princeps eorum pedibus captus[3] lectica est introlatus, ultimæ necessitatis extemplo visa res; in qua ita affecto excusatio valetudinis aut ne ipsi quidem petenda visa foret, aut data petenti non esset. Quum sibi nihil vivi reliquum, præterquam linguam ad deplorandas patriæ suæ calamitates, præfatus esset, exposuit civitatis primum suæ benefacta, et vetera, et ea, quæ Persei bello præstitissent ducibus exercitibusque romanis; tum quæ primo C. Lucretius in populares suos prætor romanus superbe, avare, crudeliter fecisset; deinde quæ tum quum[4] maxime L. Hortensius faceret: quemadmodum omnia sibi, etiam iis quæ patiantur tristiora, patienda esse ducant potius, quam se dedant Persi[5]. *Quod ad Lucretium Hortensiumque attineret, scire, tutius fuisse claudere portas, quam in urbem eos accipere. Qui exclusissent eos, Emathiam, Amphipolim, Maroneam, Ænum, incolumes esse: apud se templa omnibus ornamentis compilata, spoliataque sacrilegiis C. Lucre-*

XXIV, 2, n. 1, et XXIV, 23, n. 3.

2. *Milites intra præsidia regis;* vid. XXXVIII, 11, n. 4.

3. *Mictio pedibus captus;* vide ad II, 36, n. 7, et XXXV, 38, n. 1. — *Ita affecto;* vide ad V, 10, n. 6. — *Ultimæ necessitatis extemplo visa res* legatio, forte ut II, 3, *leges res surda:* nisi *est* leg. pro *res;* Drak. Vocem *legatio* delendam putabat Crev., et Duker. conj. *est introlatus, omnes convertit. Ultimæ*, etc. — Nihil mutandum Doering. existimat, et sic sequentia exponit: *in qua* (ob quam necessitatem) *ita affecto* (Mictioni ita laboranti pedibus, ut ire non posset), *excusatio valetudinis* (venia valetudinis causa domi manendi) *aut ne ipsi quidem*, etc. Ed.

4. *Tum quum maxime*, etc. vide ad XXIX, 17, n. 6.

5. *Quam se dedant Persi;* vide ad XLII, 25, n. 1. — *Qui exclusissent eos*, immo *quæ;* Sigon. Sed vide ad III, 47, n. 1. — *Spoliataque sacrilegiis*, scilicet ornamenta templorum. *Spoliaque sacrilegii* emendatum vult Gronovius.

tium navibus Antium devexisse; libera corpora in servitutem abrepta, fortunas sociorum populi romani direptas esse, et quotidie diripi. Nam ex instituto C. Lucretii Hortensium quoque in tectis hieme pariter atque æstate navales socios habere, et domos suas plenas turba nautica esse; versari inter se, conjuges liberosque suos, quibus nihil neque dicere pensi, neque facere[6].

VIII. Arcessere in senatum Lucretium placuit, ut disceptaret coram purgaretque sese. Cæterum multo plura præsens audivit, quam in absentem jacta[1] erant, et graviores potentioresque accessere accusatores duo tribuni plebis, M'. Juventius Thalna et Cn. Aufidius. Ii non in senatu modo eum lacerarunt, sed in concionem etiam pertracto, multis objectis probris, diem dixerunt. Senatus jussu Chalcidensibus Q. Mænius prætor respondit: *Quæ bene meritos sese, et ante, et in eo bello, quod geratur, de populo romano dicant, ea et scire vera eos referre senatum, et, perinde ac debeant, grata esse. Quæ facta a C. Lucretio, fierique ab L. Hortensio prætoribus romanis querantur; ea neque facta, neque fieri voluntate senatus, quem non posse existimare? qui sciat, bellum Persi, et ante Philippo patri ejus, intulisse populum romanum pro libertate Græciæ, non ut ea a magistratibus sociis atque amicis paterentur*[2]. *Literas se ad L. Hortensium prætorem daturos esse: quæ Chalcidenses querantur acta, ea senatui non placere: si qui in ser-*

6. *Quibus nihil neque dicere pensi, neque facere;* vide ad XLII, 23, n. 2. Post *pensi* excidit aut intell. *sit.*

Cap. VIII. 1. *In absentem jacta;* vide ad II, 12, n. 7; II, 45, n. 6.— *Persi;* ita Gron. ex antiquioribus edd. ad Livii XLII, 25, § 2. Ed.

2. *Non ut ea,* talia, *a magistratibus* romanis, *sociis atque amicis paterentur,* sc. Chalcidenses, vel potius Græci; nam præcedens *Græcia* pro Græcis dici potest; vide ad III, 47, n. 1. Sed forte cum Gron. leg. *socii a. amici,* aut cum Duk. *a magistrati-*

vitutem liberi venissent, ut eos conquirendos primo quoque tempore restituendosque in libertatem curaret: sociorum navalium neminem, præter magistros, in hospitia deduci æquum censere. Hæc Hortensio jussu senatus scripta. Munera binum millium æris legatis missa, et vehicula Mictioni publice locata, quæ eum Brundisium commode perveherent. C. Lucretium, ubi dies, quæ dicta erat, venit, tribuni ad populum accusarunt, mulctamque decies centum millium[3] æris dixerunt. Comitiis habitis, omnes quinque et triginta tribus eum condemnarunt.

IX. In Liguribus eo anno nihil memorabile gestum. Nam nec hostes moverunt arma, neque consul in agrum eorum legiones induxit, et, satis explorata pace ejus anni, milites duarum legionum romanarum intra dies sexaginta, quam in provinciam venit, dimisit[1]. Sociorum nominis latini exercitu mature in hiberna Lunam et Pisas deducto, ipse cum equitibus Galliæ provinciæ pleraque oppida adiit. Nusquam alibi, quam in Macedonia, bellum erat: suspectum tamen et Gentium Illyriorum regem habebant. Itaque et octo naves ornatas a Brundisio senatus censuit mittendas ad C. Furium legatum Issam, qui cum præsi-

bus suis socii a. amici paterentur. — Doujatius, teste Drak., vulgatum tuetur, ac nihil interesse judicat, utrum dicantur Chalcidenses a romanis sociis atque amicis, an a Romanis pati aliquid Chalcidenses Romanorum socii atque amici. Eodem animo Crever. locum ita interpretatur: non ut Græci talia paterentur a magistratibus sociis atque amicis, qualia Chalcidenses ab Lucretio et Hostilio passi fuerant. Ed. — *Neminem, præter magistros*, scil. navium (ut XXIX, 25; XLV, 42), *in hospitia deduci æquum censere*, sc. senatum. An leg. *censeret?* — *Commode perveherent*, quia æger erat.

3. *Decies centum millium æris*, hoc est, ex Crever. rationibus, marcarum argenti Parisiensium 1,562, unciarum 4. Vide ad cap. 6, n. 6. Ed.

Cap. IX. 1. *Milites duarum legionum... dimisit.* Antea legebatur *divisit.* Primus Sigonius nostram lectionem in contextum recepit. Sæpissime autem hæc verba confundunt librarii. Vid. Drak. ad XXVIII, 11, § 16. Ed. — *Octo naves ornatas;* vide ad IX, 40, n. 12.

dio duarum Issensium navium[2] insulæ præerat. Duo millia militum in eas naves sunt imposita, quæ Q. Mænius prætor ex senatusconsulto in ea parte Italiæ, quæ objecta Illyrico est, conscripsit; et consul Hostilius Ap. Claudium in Illyricum cum quatuor millibus peditum misit, ut accolas Illyrici tutarentur[3]. Qui, non contentus iis, quas adduxerat, copiis, auxilia ab sociis corrogando, ad octo millia hominum vario genere armavit, peragrataque omni ea regione, ad Lychnidum Dassaretiorum consedit.

X. Haud procul inde Uscana oppidum finium plerumque Persei erat[1]. Decem millia civium habebat et modicum, custodiæ causa, Cretensium præsidium. Inde nuntii ad Claudium occulti veniebant: *Si propius copias admovisset, paratos fore, qui proderent urbem; et operæ pretium esse: non se amicosque tantum, sed etiam milites præda expleturum.* Spes cupiditati admota ita obcæcavit animum, ut nec ex iis, qui venerunt, quemquam retineret; nec obsides, pignus futuros furto et fraude agendæ rei[2], posceret; nec mitteret exploratum; nec fidem acciperet[3]. Die

2. *Issam... Issensium navium;* vid. XXXI, 45, n. 7.

3. *Ut accolas Illyrici tutarentur*, immo *tutaretur;* quod et alii monuere. — *Ad octo millia hominum vario genere armavit* pro *varii generis* (ut *mixti* et *mixtum genus hominum* XXXVII, 39, 40; XLII, 51, 58): sed hoc melius esse puto, quia illud etiam de varietate armorum accipi potest, quæ non est mens Livii; Duk.

Cap. X. 1. *Uscana oppidum* Penestarum in Illyrico (hod. Albania) *finium plerumque* (adject.) *Persei erat*, h. e. maximam partem. Sic *Europæ plerumque* XLV, 9 pr. ut *medium campi, exiguum spatii* et similia; Drak. « Nonnihil dissimile est *plerumque noctis* apud Sall. Jug. 21 (cf. Ciaccon). Nam in eo supplendum est *tempus*, apud Liv. XLV, 9, *spatium* aut aliud hujus modi. Præferrem tamen *Europæ pleraque* vel *Europam pleramque.* » Duker. Οὔσκανα corrupte forsan Ἴσκανα apud Steph. Conf. Schweigh. ad XXVIII, 8, n. 11. — *Uscana* urbs hodie *Dibra-Superiore* vocatur. Ed. — Qui *venerunt;* ita edidit Drak. pro *venerant.* Ed.

2. *Furto et fraude agendæ rei;* vide ad IX, 31, n. 7.

3. *Nec fidem acciperet;* vide ad

tantum statuta profectus a Lychnido, duodecim millia ab urbe, ad quam tendebat, posuit castra. Quarta inde vigilia signa movit, mille ferme ad præsidium castrorum relictis. Incompositi, longo agmine effusi, infrequentes, quum nocturnus error dissiparet, ad urbem pervenerunt. Crevit negligentia, postquam neminem armatum in muris viderunt. Cæterum, ubi primum sub jactu teli fuerunt[4], duabus simul portis erumpitur, et ad clamorem erumpentium ingens strepitus e muris ortus ululantium mulierum cum crepitu undique æris; et incondita multitudo[5], turba immixta servili, variis vocibus personabat. Hic tam multiplex undique objectus terror effecit, ne sustinere primam procellam eruptionis Romani[6] possent. Itaque fugientes plures, quam pugnantes, interempti sunt: vix duo millia hominum cum ipso legato in castra perfugerunt. Quo longius iter in castra erat, eo plures fessos consectandi hostibus copia fuit. Ne moratus quidem in castris Appius, ut suos dissipatos fuga colligeret (quæ res palatis per agros saluti fuisset), ad Lychnidum protenus reliquias cladis reduxit.

XI. Hæc et alia, haud prospere in Macedonia gesta, ex Sex. Digitio tribuno militum, qui sacrificii causa Romam venerat[1], sunt audita. Propter quæ ve-

XXIII, 19, n. 10. — *Duodecim millia;* vide ad IX, 24, n. 2. — *Tendebat;* vide ad IV, 19, n. 1.

4. *Sub jactu teli fuerunt,* malim *sub ictu;* Drak. Ita *sub ictu teli esse, sub ictum venire* forte et *ad ictum venire* (vid. XXVI, 40, n. 5), et *esse extra ictum* XXVII, 18; XXVIII, 30; XXXIV, 28; XXXVII, 27. Sed et *ad* vel *intra teli jactum venire,* et *extra teli jactum esse* dixere Curt. III, 10, 11; IV, 3; Virg. Æn. XI, 608, et alii. — Βελῶν ἕξω dixit Xenoph. in Cyropæd. III, 85; ἕκτος βέλους Polyb. V, 13. Solent autem *ictus* et *jactus* confundi, teste Drak. ad XXVI, 40, § 10. Ed.

5. *Et incondita multitudo;* vide ad XXI, 57, n. 11.

6. *Ne sustinere primam procellam eruptionis Romani possent;* vide ad XXXII, 13, n. 3.

Cap. XI. 1. *Sacrificii causa R. venerat;* vide ad IV, 2, n. 6. — *Ne*

riti Patres, ne quæ major ignominia acciperetur, legatos in Macedoniam, M. Fulvium Flaccum et M. Caninium Rebilum, miserunt, qui comperta, quæ agerentur, referrent; et[2] ut A. Hostilius consul comitia consulibus subrogandis ita ediceret, uti mense Januario comitia haberi possent, et ut primo quoque tempore in Urbem rediret. Interim M. Ræcio prætori mandatum, ut edicto senatores omnes ex tota Italia (nisi qui reipublicæ causa abessent) Romam revocaret. Qui Romæ essent, ne quis ultra mille passuum ab Roma abesset[3]. Ea, uti senatus censuit, sunt facta. Comitia consularia ante diem quintum Calendas Septembres[4] fuere. Creati consules sunt Q. Marcius Philippus iterum et Cn. Servilius Cæpio. Post diem tertium prætores sunt facti C. Decimius, M. Claudius Marcellus, C. Sulpicius Gallus, C. Marcius Figulus, Ser. Cornelius Lentulus, P. Fonteius Capito. Designatis prætoribus, præter duas urbanas, quatuor provinciæ sunt decretæ, Hispania et Sardinia et Sicilia et classis. Legati ex Macedonia, exacto admodum mense Februario, redierunt[5]. Hi, quas res ea æstate prospere gessisset rex Perseus, referebant, quantusque timor socios populi romani cepisset, tot urbibus in

quæ major i.; forte *qua*, Periz. et Drak. — Si Liv. scripsit *quæ*, observat Doering., post *ne* et *major* distinctio ponenda videtur, ut sit: *ne acciperetur ignominia, quæ major* esset accepta. Ed.

2. *Miserunt, qui comperta, quæ agerentur, referrent, et* mandatum perferrent, *ut A. Hostilius*, vel *et*, sc. legatos miserunt eum in finem, *ut*, etc. — *Comitia consulibus subrogandis* (vide ad II, 8, n. 4) *ita ediceret, uti Januario comitia haberi possent.* Vox *comitia*, quæ bis posita est ante *haberi* videtur tollenda; Gronov.

3. *Edicto senatores omnes... abesset*; conf. ad XXXVI, 3, n. 1.

4. *Ante diem V* (vide ad VI, 1, n. 9) *Cal. Sept.*, immo *Cal. Febr.* propter verba, n. 2 et 5 laudata. Idem jam monuere Pigh. et Gron. Male vulgatum servat Dodwell. de Cyclis Diss., pag. 494 et 509. — *Calendas Februarias* in textum Doering. recepit, quum hujus loci in re aperta sit vitium. Ed.

5. *Legati ex Macedonia, exacto admodum mense Febr., redierunt*; vid.

potestatem regis redactis. *Exercitum consulis infrequentem commeatibus vulgo datis per ambitionem esse: culpam ejus rei consulem in tribunos militum, contra illos in consulem conferre. Ignominiam, Claudii temeritate acceptam*[6], *elevare eos Patres acceperunt, qui perpaucos Italici generis et magna ex parte tumultuario delectu conscriptos ibi milites amissos referebant.* Consules designati, ubi primum magistratum inissent, de Macedonia referre ad senatum jussi; destinatæque provinciæ iis sunt Italia et Macedonia. Hoc anno intercalatum est: tertio die post Terminalia Calendæ intercalares[7] fuere. Sacerdotes intra eum an-

XXI, 36, n. 3. — *Exercitum consulis infrequentem commeatibus vulgo datis per ambitionem;* vide ad I, 57, n. 2, et XLIII, 14, n. 5.

6. *Ignominiam, Claudii temeritate acceptam* (vide ad cap. 10), *elevare* (vide ad III, 21, n. 5) *eos*, consulem et tribunos militum (ita Drak.), *Patres acceperunt, qui perpaucos... amissos referebant;* verba *Patres acceperunt* delenda putabant Cler. et Crev.; eadem et τὸ *qui* Freinsh.; hæc tria et *referebant* Gron. et Drak. aut leg. *referentes*. Forte servari possunt verba hæc suspecta, si Livio, non legatis, tribuantur, ut sensus sit, *Patres accepisse*, a legatis audivisse, *ignominiam* illam *elevare eos* nuntios seu fugitivos, *qui*, etc. Sed malim ejicere *eos Patres acceperunt*, et reponere *elevasse Sex. Digitium*, vel *e. tribunum militum, qui... retulerit*. Conf. princ. cap. In ant. codice forsan post *elevare* lacuna fuit, perperam expleta ab emendatoribus.—Præcedentia verba, *exercitum consulis... conferre*, in oratione obliqua recte posita existimat Doering. sed non sequentia, *Ignominiam, Claudii... referebant*. Per *elevare eos* neque cum Creverio legatos, neque cum Drak. consulem et tribunos militum intelligit, sed alios quoscumque, qui ab exercitu Romam redierant: itaque verba *Ignominiam, Claudii*, etc. vulgari literarum forma excudi jussit, ut sensus sit: Porro patres acceperunt eos, qui, ab exercitu reversi, perpaucos italici generis, etc. in Claudii clade milites amissos referebant, elevare ignominiam, Claudii temeritate acceptam, sive fidem facere, non tantam fuisse illam Claudii cladem, quantam eam fuisse ab initio rumor fuerat. En.

7. *Calendæ intercalares*, ut XLV, 44, n. 2 (ubi prima vox excidisse videtur), primus dies mensis intercalarii, quem deinde reliqui ejusdem mensis exceperunt, *die tertio post Terminalia*, h. e. ad *XXIII* Febr., nam Terminalia ad *XXI* Febr. seu *IX* Cal. Mart. agebantur. Sed inf. XLV, 44, legimus *postridie Terminalia intercalares* Calendas diesque *fuisse:* unde et h. l. ita legendum esse suspicari possis. Contra Dodwell. de Cyclis, X, 26, et in Append. ad Præl. Camd. pag. 743, 751, 761, putat Romæ in

num mortui, L. Flaminius[8] ** pontifices duo decesserunt, L. Furius Philus et C. Livius Salinator. In locum Furii T. Manlium Torquatum, in Livii M. Servilium pontifices legerunt.

XII. Principio insequentis anni quum consules novi Q. Marcius et Cn. Servilius de provinciis retulissent, primo quoque tempore aut comparare eos inter se Italiam et Macedoniam, aut sortiri placuit[1]: prius quam id sors cerneret, in incertum, ne quid gratia momenti faceret, in utramque provinciam, quod res desideraret supplementi, decerni. In Macedoniam peditum romanorum sex millia, sociorum nominis latini sex millia; equites romanos ducentos quinquaginta, socios trecentos. Veteres milites dimitti, ita ut in singulas romanas legiones ne plus sena millia peditum, treceni equites essent. Alteri consuli nullus certus finitus numerus civium romanorum[2], quem in supplementum legeret. Id modo finitum, ut duas legiones scriberet, quæ quina millia peditum et ducenos haberent, equites trecenos. Latinorum major, quam collegæ, decretus numerus: peditum decem

usu fuisse, ut postridie Terminalia essent Calendæ intercalares: at interdum evenire potuisse, ut inter Terminalia et Calendas intercal. medius intercederet dies, si nempe dies ante ex anno exemptus esset, ne nundinæ in Nonas alicujus mensis vel in Cal. Jan. inciderent, qui dies postea interponendo alium suppletus sit: Livium igitur primum diem numerare Terminalia, secundum diem interpositum, tertium Calendas intercalares; et ita sæpe utriusque termini rationem in numerando habuisse. Conf. ad I, 19, n. 5, 6, et XLII, 10, n. 5.

8. *Sacerdotes intra eum annum mortui, L. Flaminius* augur; vide ad XXV, 2 pr. Præter hanc vocem nomen successoris aut nomina aliorum augurum sacerdotumve, et mortuorum et in horum locum suffectorum, excidisse videntur. Cf. Drak.

Cap. XII. 1. *Aut comparare eos... aut sortiri* (vide ad III, 2, n. 1) *placuit*, et (quod excidisse videtur) *prius quam id sors cerneret;* vide ad XXI, 41, n. 2. — *In incertum;* vid. Gron. Obss. I, 25 extr. — *Ne quid gratia momenti faceret;* vide ad I, 47, n. 7.

2. *Nullus certus finitus numerus civium romanorum;* vide supra ad X, 13, n. 13.

millia et sexcenti equites. Quatuor præterea legiones scribi jussæ, quæ, si quo opus esset, educerentur. Tribunos his, non permissum, ut consules facerent: populus creavit[3]. Sociis nominis latini sexdecim millia peditum, et mille equites imperati. Hunc exercitum parari tantum placuit, ut exiret, si quo res posceret. Macedonia maxime curam præbebat: in classem mille socii navales cives romani libertini ordinis[4], ex Italia * scribi jussi; totidem ut ex Sicilia scriberentur: et, cui ea provincia evenisset, mandatum, ut eos in Macedoniam, ubicumque classis esset, deportandos curaret. In Hispaniam tria millia peditum romanorum in supplementum, trecenti equites decreti. Finitus ibi quoque in legiones militum numerus, peditum quina millia, treceni et triceni equites[5]. Et sociis imperare prætor, cui Hispania obvenisset, jussus quatuor millia peditum et trecentos equites.

XIII. Non sum nescius, ab eadem negligentia, qua nihil deos portendere vulgo nunc credant, neque

3. *Non permissum, ut consules facerent his* quatuor legionibus, forte urbanis, *tribunos* militum: *populus creavit;* vide ad VII, 5, n. 4, et conf. ad XLII, 31 et 35.

4. *Mille socii navales cives romani libertini ordinis,* locus clarus ad intelligendum discrimen libertinorum et libertorum, Ern. Conf. ad IX, 38, n. 1. — *Ex Italia,* has voces Duker. non *ad socios navales romanos libertini ordinis,* sed ad socios maritimos Italiæ, qui usum rei nauticæ habebant, et Romanis naves ex fœdere dare tenebantur, refert, quia sociorum navalium libertini ordinis *ex Italia* nuspiam mentio fiat. Facta igitur post *ordinis* distinctione, apposuit post voces *ex Italia* signum hoc*, quod numerum sociorum, ex Italia scribi jussorum, excidisse indicet. Ed.—*In Macedoniam, ubicumque classis esset,* « i. e. quacumque in parte orave Macedoniæ classis esset. Quid ergo, si forte alio loco esset, quod fieri potuit, an tamen in Macedoniam deportandi erant? Fortassis *in Macedoniam, aut ubicumque classis esset.* Classem sortitus est C. Marcius Figulus, cap. 15. Ea autem, quum ad illam venit Marcius, Chalcide erat, XLIV, 1 ». Duk.

5. *Peditum quina millia, treceni et triceni equites:* « verum plures, quam trecentos, equites legioni additos esse non constat; vide ad VIII, 8, n. 10. Forte leg. *treceni* vel *et treceni equites,* vel *peditum q. m. duceni et treceni equites* ». Drak.

nuntiari admodum nulla prodigia[1] in publicum, neque in annales referri. Cæterum et mihi, vetustas res scribenti, nescio quo pacto, antiquus fit animus; et quædam religio tenet[2], quæ illi prudentissimi viri publice suscipienda censuerint, ea pro dignis habere, quæ in meos annales referam. Anagnia duo prodigia eo anno sunt nuntiata; facem in cælo[3] conspectam, et bovem feminam loquutam publice ali. Minturnis quoque per eos dies cæli ardentis species affulserat. Reate imbri lapidavit[4]. Cumis in arce Apollo triduum ac tres noctes lacrymavit. In urbe Romana duo æditui nuntiarunt, alter, in æde Fortunæ anguem jubatum a compluribus visum esse : alter, in æde Primigeniæ Fortunæ, quæ in colle est[5], duo diversa prodigia; palmam in area enatam, et sanguine interdiu pluisse.

Cap. XIII. 1. *Non sum nescius, ab eadem negligentia, qua nihil deos portendere vulgo nunc credant* (forte *credunt*), *neque nuntiari admodum* (vide ad XXI, 36, n. 3) *nulla prodigia*, etc. vide ad I, 31, n. 1. *Ulla* emend. Gron. Sed vid. II, 457, n. 7.

2. *Quædam religio tenet*, me seu animum (vide ad II, 5, n. 4, et IX, 30, n. 4), capit animum meum, incitat, movet me, *quæ illi prudentissimi viri, publice suscipienda censuerint* prodigia (vide ad I, 20, n. 11, et I, 31, n. 1), *ea habere*, ut ea habeam, *pro dignis, quæ in meos annales referam:* nisi cum Crever. et Drak. leg. *indignis* et *tenet* dictum pro impedit, vetat; vide ad II, 63, n. 3.

3. *Facem in cælo conspectam*, etc. vide ad I, 31, n. 1. — *Bovem feminam loquutam publice ali :* « quod etiam alias, eodem prodigio nuntiato, factum fuerat ex responso haruspicum; vide ad XXXV, 21, et XLI, 13. Sed quia hoc responsum nondum editum erat, quo tempore Anagnini prodigium illud Romam nuntiabant, verba *publice ali* aut ita capienda sunt, bovem interim, dum rescisserent, quid harupisces jussuri essent, publice apud se ali, aut importune h. l. posita videri possunt ». Duker. — *Species affulserat*, forte *effulserat*, h. e. subito fulserat; Gron. et Burm. ad Valer. Flac. VI, 27; conf. supra XXII, 1, XXVIII, 15, et XLI, 22.

4. *Reate imbri lapidavit;* vide ad XXVII, 37, n. 1. — *Cumis in arce Apollo*, ejus simulacrum, *lacrymavit;* vide ad XL, 19, n. 3.

5. *In æde Primigeniæ Fortunæ, quæ in colle est;* Drak. monet *in colle* hoc loco intelligendum de colle Quirinali, collato XXXIV, 53. Et quidem additur, *quæ est in colle*, ut distinguatur ab alia ejusdem Fortunæ Primigeniæ æde, quam Servius rex in Capitolio construxit. Plut. de Fort. Rom. pag. 322, ἱδρύσατο δ' οὖν Σέρβιος Τύλλιος Τύχης ἱερὸν ἐν Καπιτω-

Duo non suscepta prodigia[6] sunt, alterum, quod in privato loco factum esset, palmam enatam impluvio suo T. Marcius Figulus nuntiabat: alterum, quod in loco peregrino, Fregellis in domo L. Atrei, hasta, quam filio militi emerat, interdiu plus duas horas arsisse, ita ut nihil ejus ambureret ignis, dicebatur. Publicorum prodigiorum causa libri a decemviris[7] aditi. Quadraginta majoribus hostiis quibus diis consules sacrificarent, ediderunt, et, uti supplicatio fieret, cunctique magistratus circa omnia pulvinaria victimis majoribus sacrificarent, populusque coronatus esset. Omnia, uti decemviri præierunt[8], facta.

XIV. Censoribus deinde creandis comitia edicta sunt. Petierunt censuram principes civitatis, C. Valerius Lævinus, L. Postumius Albinus, P. Mucius Scævola, M. Junius Brutus, C. Claudius Pulcher, Ti. Sempronius Gracchus. Hos duos censores creavit populus romanus. Quum delectus habendi major, quam alias, propter Macedonicum bellum cura esset, consules plebem apud senatum accusabant, quod[1] et juniores

λίφ, τὸ τῆς Πριμιγενείας λεγουμένης. Ejusdem meminit idem Plutarch. in Quæst. Rom. pag. 281. — *Palmam in area enatam;* vide ad XXXII, 1, n. 9. — *Sanguine interdiu pluisse;* vide ad I, 31, n. 1.

6. *Duo non suscepta prodigia;* vide ad I, 20, n. 11, et I, 31, n. 1. Mox leg. *palmam enatam in impluvio suo;* Gron. Conf. n. 5. — *L. Atrei*, forte *L. Atrii*, ut XXVIII, 24; Duker. et Drakenb.

7. *Libri a decemviris aditi;* vide ad III, 10, n. 6. Mox *ediderunt et* ex emend. Gron. recepi pro inepto vulg. *et addiderunt;* vide ad I, 18, n. 2. Præterea Drakenb. malebat *aditi, qui quadraginta*, etc. — *Circa omnia pulvinaria*, etc. vide ad V, 13, n. 5. — *Populus coronatus;* vid. XXIII, 11, n. 7.

8. *Uti decemviri præierunt*, sc. verba; vide ad IV, 21, n. 1. « Sed ita *præire* hic non potest accipi. Malim *præceperunt:* nam decemviri dicuntur *imperare* et *jubere*, quæ res divinæ prodigiorum expiandorum causa faciendæ essent, XXXI, 12, et XXXVIII, 26, et haruspices de prodiglis consulti *jubere* XXXV, 21, et XXXVI, 37. »

Cap. XIV. 1. *Consules plebem apud senatum accusabant, quod* non modo seniores, sed *et*, etiam, *juniores non respondérent:* contra biennio ante multi sponte nomina dederant, quia

non responderent. Adversus quos C. Sulpicius et M. Claudius prætores plebis causam egerunt[2]. *Non consulibus, sed ambitiosis consulibus, delectum difficilem esse. Neminem invitum militem ab iis fieri. Id ita ut esse scirent et Patres conscripti, prætores, quibus et vis imperii minor et auctoritas esset, delectum, si ita senatui videretur, perfecturos esse.* Id prætoribus magna Patrum* non sine suggillatione consulum mandatum est. Censores, ut eam rem adjuvarent, ita in concione edixerunt, *Legem censui censendo*[3] *dicturos esse, ut præter commune omnium civium jusjurandum, hæc adjurarent:* « Tu minor an« nis sex et quadraginta es, tuque ex edicto C. Clau« dii, Ti. Sempronii censorum ad delectum prodito;

viderant locupletes, qui in Macedonia et Asia stipendia fecerant; Jac. Periz. conf. XLII, 32.

2. *C. Sulpicius et M. Claudius prætores plebis causam egerunt*, edidi ex emend. Jac. Periz. qui recte notavit: « Ex cap. 11 et 15 omnino *prætores* leg. pro *tribuni*. Ex *PR.* librarii fecerunt *TR.* vel pro solita oscitantia, vel quia sequebatur continue *plebis*. Illi prætores *plebis causam egerunt* contra consules, et, quia ipsi prætores erant, receperunt, *prætores* vel communiter omnes, vel se solos, *si ita senatui videretur, delectum perfecturos esse*, quapropter etiam his ipsis, Sulpicio et Claudio, *non sine sugillatione consulum*, ab senatu hoc *mandatum est*. Non invenies quoque in Livio ullum tribunum plebis e gente Sulpicia, quæ adhuc integra erat inter patricias; immo neque in omni historia romana ante Marii et Sullæ tempora, quando P. Sulpicius Rufus seditiosus ille tribunus pl. fuit. Perperam itaque Pighius ex h. l. duos hos non tantum tribunos, sed et quæstores et ædiles facit, Rufumque et Flamininum cognominat ». — *Neminem invitum militem ab iis fieri*, i. e. ad militiam aut nomen dandum cogi. Nolim legere *neminem nisi invitum:* nam ambitiosorum est fugere offensiones, eoque neminem cogere quod jure possis: qui si contempsissent causam doloris invidiamque, et severitate M'. Curii bello Pyrrhi essent usi, facilis fuisset delectus; Gron. — *Quibus et vis imperii minor et auctoritas esset;* quorum et minor potestas, et minor dignatio esset. In *imperio*, ut recte Crev. notat, vis est cogendi: *auctoritas* venerationem conciliat. Sup. I, 7, *Evander tum ea... auctoritate magis quam imperio regebat loca.* Ed. — Post *magna Patrum* excidisse videtur *consensione;* Sigon.

3. *Censui censendo*, agendo; conf. Ern. Clav. Cic. — *Hæc adjurarent;* vid. Heins. ad Ovid. Her. XX, 159. — *Tu minor annis XLVI es;* vide ad III, 57, n. 5, et XXII, 11, n. 8.

« et, quotiescumque delectus erit, quem his censori-
« bus magistratus habebunt, si miles factus non eris,
« in delectu prodibis[4] ». Item, quia fama erat, multos ex macedonicis legionibus, incertis commeatibus per ambitionem imperatorum[5], ab exercitu abesse, edixerunt de militibus, P. Ælio, C. Popillio consulibus, postve eos consules in Macedoniam scriptis, *Ut, qui eorum in Italia essent, intra dies triginta, censi prius apud sese, in provinciam redirent. Qui in patris aut avi potestate essent*[6], *eorum nomina ad se ederentur. Missorum quoque causas sese cognituros esse, et, quorum ante emerita stipendia gratiosa missio sibi visa esset, eos milites fieri jussuros.* Hoc edicto literisque censorum per fora et conciliabula dimissis, tanta multitudo juniorum Romam convenit, ut gravis urbi turba insolita esset.

4. *Ad delectum prodito; ..... in delectu p.* vide ad III, 14, n. 6. *Prodibis* conj. Duk. ut in his jurisjurandi formulis. Conf. cap. 15 extr.—*Quem* delectum *his censs.* (ita olim scriptum erat) *magistratus habebunt* edidi ex emend. Gronov. pro vulg. *quem hic censores magistratum habebunt.* Sigonius emend. *quicumque censores m. h.* Sed Gron. jam monuit, credibile non esse, hos censores tempus magistratus sui egressos esse, et de bello, quod in manu esset, tam male ominatos, ut proximis pluribusque censoribus parem necessitatem fore delectus acerrime habendi animis præciperent. Ursinus conj. *quum hi censores m. h.* Saltem *dum* scripsisset Livius.

5. *Commeatibus per ambitionem imperatorum,* etc. immo *imperatoris* (A. Hostilii Mancini cos.): unde et *ab exercitu,* non *ab exercitibus;* Drakenb. Recte, opinor. Cf. ad cap. 11, n. 5. — *P. Ælio, C. Popillio coss.* respicit Livius ad ea, quæ XLII; 17, de apparatu belli Macedonici scripsit; Duk.

6. *Qui in patris aut avi potestate essent:* « Jusjurandum, quod præter commune omnium civium jusjurandum præstari volebant censores, ad eos tantum pertinebat, qui ita censebantur, ut eorum censui censendo lex diceretur, i. e. qui patresfamilias essent. Quum autem, *qui in patris aut avi potestate erant,* ipsi ita non censerentur, eorum nomina ad se edi jusserunt, ut hos quoque, æque atque eos, qui censi erant, in provinciam redire cogerent ». Duker. — *Ante emerita stipendia gratiosa missio,* gratiæ captandæ causa data, per gratiam et ambitionem impetrata; vide ad III, 57, n. 5, et VII, 39, n. 1. — *Fora et conciliabula;* vide ad XXV, 5, n. 3.

XV. Præter delectum eorum, quos in supplementum mitti oportebat, quatuor a C. Sulpicio prætore scriptæ legiones sunt, intraque undecim dies delectus est perfectus. Consules deinde sortiti provincias sunt. Nam prætores propter jurisdictionem maturius sortiti erant. Urbana C. Sulpicio, peregrina C. Decimio obtigerat; Hispaniam M. Claudius Marcellus, Siciliam Ser. Cornelius Lentulus, Sardiniam P. Fonteius Capito, classem C. Marcius Figulus erat sortitus. Consulum Cn. Servilio Italia, Q. Marcio Macedonia obvenit; Latinisque actis[1], Marcius extemplo est profectus. Cæpione deinde referente ad senatum, quas ex novis legionibus duas legiones secum in Galliam duceret, decrevere Patres, ut C. Sulpicius, M. Claudius prætores ex his, quas scripsissent, legionibus, quas videretur, consuli darent[2]. Indigne patiente prætorum arbitrio consulem subjectum, dimisso senatu, ad tribunal prætorum stans postulavit, ex senatusconsulto destinarent sibi duas legiones. Prætores consuli in eligendo arbitrium fecerunt. Senatum deinde censores

Cap. XV. 1. *Latinisque actis*, etc. vide ad I, 45, n. 2.

2. *Ex legionibus* eas, *quas videretur* ipsis dare, *consuli darent*; vide ad I, 29, n. 4. « Mox scribe: *Indigne patiens prætorum arbitrio se consulem subjectum*, et ante τὸ *indigne* intell. vel relativum *is* aut *ille*, vel substant. *consul* aut *Cn. Servilius Cæpio*; qualis ellipsis Livio frequens est (cf. ad XXV, 35, n. 3, et XXXVII, 20, n. 4). Forte tamen malis: *Indigne patiens p. a. consul se subjectum*. Gron.— Doujatius minus necessariam existimabat Gronovii conjecturam; *patiente* enim hic absolute sumi, et velut sequelam esse superioris sive commatis, sive periodi, ubi est *Cæpione deinde referente*. Verum firmo stomacho esse debet, ait Drak., qui concoquere potest hoc loquendi genus, *Cæpione indigne patiente Cæpio stans postulavit*. Probat idem vir clarus priorem Gronovii conjecturam, *indigne patiens prætorum arbitrio consulem subjectum*; alteram vero *consul se subjectum* minus sibi placere dicit; sic enim pleramque vim et ἐνεργείαν, quæ est in oppositione vocum *prætorum* et *consulem* perituram. Cæpio indigne patiebatur, non tam se, quam se consulem, prætorum arbitrio subjectum esse. Ep. — *Prætores consuli in eligendo arbitrium fecerunt*; tuto corrigere potes *consulis*. Gron. Conf. ad XXVII, 8, n. 2.

legerunt[3]; M. Æmilius Lepidus princeps ab tertiis jam censoribus lectus. Septem e senatu ejecti sunt. In censu accipiendo populi milites ex macedonico exercitu, qui quam multi abessent ab signis, census docuit, in provinciam cogebant[4]: causas stipendiis missorum cognoscebant: et, cujus nondum justa missio visa esset, ita jusjurandum adigebant[5]: « Ex tui « animi sententia, tu ex edicto C. Claudii, Ti Sempro- « nii censorum in provinciam Macedoniam redibis, « quod sine dolo malo facere poteris? »

XVI. In equitibus recensendis tristis admodum eorum atque aspera censura fuit: multis equos ademerunt[1]. In ea re quum equestrem ordinem offendissent, flammam invidiæ adjecere edicto, quo edixerunt, *Ne quis eorum, qui Q. Fulvio, A. Postumio censoribus publica vectigalia aut ultro tributa conduxissent*[2], *ad hastam suam accederet, sociusve aut*

3. *Senatum censores legerunt;* vide ad XXIII, 22, n. 1. — *Princeps;* vide ad XXVII, 11, n. 8. — *E senatu ejecti;* vide ad IV, 24, n. 5.

4. *Milites ex Maced. exercitu, qui quam multi abessent ab signis, census docuit, in provinciam cogebant,* adigebant, compellebant, vel in provinciam et ad exercitum redire cogebant. Conf. cap. 14 extr. et Drakenb. ad XXXII, 26, n. 3. — *Stipendiis missorum c., et cujus nondum justa missio,* etc. vide ad III, 57, n. 5, et VII, 39, n. 1. Post *stipendiis* excidisse *emeritis* putabat Gronov. et *nondum emeritis* Crever. « Omnes, qui *emeritis stipendiis missi* erant, justam missionis causam habebant: quare non erat, cur horum causas cognoscerent. Itaque credo hoc intelligendum esse de causis eorum, qui nondum confectis stipendiis missi erant, et præcipue, quorum missio iis gratiosa videbatur; cap. 14, *mitti stipendiis* tamen inusitatum est. « Duk. *Stipendiis emeritis missorum* expono, qui missi erant hoc prætextu, quasi forent emeritis stipendiis: quod utrum verum nihilque gratiæ datum esset, censores cognoscebant; Drak.

5. *Ita jusjurandum adigebant,* ut alibi *adigere ad jusjurandum* et *jurejurando.* Conf. Gron. ad Gell. IV, 20, XVI, 4; Cort. ad Sall. Cat. 22, et Davis. ad Cæs. Bell. Gall. VII, 67. — *Ex tui animi sententia,* etc. vide ad XXII, 53, n. 7.

Cap. XVI. 1. *In equitibus recensendis... multis equos ademerunt;* vide ad IX, 46, n. 20, et XXIV, 18, n. 4.

2. *Publica vectigalia aut ultro tributa conduxissent;* vide ad V, 23, n. 6, et XXXIX, 44, n. 6. — *Ad*

affinis ejus conductionis esset. Sæpe id querendo veteres publicani quum impetrare nequissent ab senatu, ut modum potestati censoriæ imponerent, tandem tribunum plebis P. Rutilium, ex rei privatæ contentione iratum censoribus, patronum causæ nacti sunt. Clientem libertinum parietem in Sacra via adversus ædes publicas demoliri jusserant[3], quod publico inædificatus esset. Appellati a privato tribuni. Quum præter Rutilium nemo intercederet, censores ad pignera capienda miserunt[4], mulctamque pro concione privato dixerunt. Hinc contentione orta, quum veteres publicani se ad tribunum contulissent, rogatio repente sub unius tribuni nomine promulgatur: *Quæ publica vectigalia, ultro tributa C. Claudius et Ti. Sempronius locassent, ea rata locatio ne esset. De integro locarentur, et ut omnibus redimendi et conducendi promiscue jus esset.* Diem ad ejus rogationem[5] concilio tribunus plebis dixit. Qui postquam venit, ut censores ad dissuadendum processerunt, Graccho dicente, silentium fuit. Quum Claudio obstreperetur, audientiam facere præconem jussit. Eo facto, avocatam à se concionem tribunus questus et in ordinem se coactum,

hastam suam accederet; vide ad IV, 53, n. 4. — *Socius aut affinis c.* vide ad XXXVIII, 31, n. 3.

3. *Clientem* ejus seu hujus (alterutrum excidisse putabat Gron.) *libertinum parietem demoliri jusserant*, sc. censores, *quod publico inædificatus esset;* vide ad XXXIX, 44, n. 3. — *Appellati;* vide ad II, 27, n. 2.

4. *Ad pignera capienda miserunt;* vide ad III, 38, n. 12. — *Quæ publica vectigalia ultro tributa;* corrigit Walch. Emend. p. 104, *vectigalia aut ultro tributa*, quia eodem hoc capite paulo supra legitur *censoribus publica vectigalia aut ultro tributa conduxissent.* Büttn. vero Obss. pag. 104, non hanc omnino necessariam mutationem ait, ac plura affert exempla quæ probant, in solennibus præsertim formulis crebro omitti conjunctionem. Ed.

5. *Diem ad ejus* rogationis? an rei? *rogationem:* neutrum placebit. Tolerabilius esset *diem ad eam rogationem dixit*, sc. perferendam vel jubendam: sed hoc quoque fortassis sine exemplo est; Duk. — *Avocatam a se concionem;* vide ad I, 6, n. 1. — *In ordinem se coactum;* vide ad III, 35, n. 7.

ex Capitolio, ubi erat concilium, abiit. Postero die ingentes tumultus ciere[6]. Ti. Gracchi primum bona consecravit, quod in mulcta pigneribusque ejus, qui tribunum appellasset, intercessioni non parendo, se in ordinem coegisset. C. Claudio diem dixit, quod concionem ab se avocasset, et utrique censori perduellionem se judicare[7] pronuntiavit, diemque comitiis a C. Sulpicio prætore urbano petiit[8]. Non recusantibus censoribus, qui minus primo quoque tempore judicium de se populus faceret, in ante dies octavum et septimum Calendas Octobres[9] comitiis perduellionis dicta dies. Censores extemplo in atrium Libertatis ascenderunt, et, ibi signatis tabellis publicis clausoque tabulario[10] et dimissis servis publicis, negarunt, se prius quidquam publici negotii gesturos, quam judicium populi de se factum esset. Prior Claudius causam dixit; et, quum ex duodecim centuriis equitum octo censorem condemnassent[11] multæque aliæ primæ classis, extemplo principes civitatis in conspectu populi, annulis aureis positis, vestem mutarunt, ut supplices plebem circumirent[12]. Maxime tamen sententiam vertisse dicitur Ti. Gracchus, quod,

6. *Ingentes tumultus ciere*, videtur studiosæ elegantiæ; nisi leg. *ciens*, *Ti. Gracchi*, etc. Grou.

7. *Censori perduellionem se judicare*, forte *perduellionis*; Gronov. Vide ad I, 26, n. 4, et XXVI, 3, n. 3.

8. *Diemque comitiis a C. Sulpicio prætore urbano petiit*; vide ad XXVI, 3, n. 4. — *Non recusantibus censoribus, qui minus*, etc. Drak. edidit pro vulg. *quo minus*.

9. *In ante dies VIII et VII Cal. Oct.* vide ad VI, 1, n. 9.

10. *Censores in atrium Libertatis ascenderunt, et ibi signatis tabellis publicis clausoque tabulario*, etc. vide ad IV, 8, n. 4. — *Dimissis servis publicis*, qui, quemadmodum aliis magistratibus, ita etiam censoribus, non solum ad hanc rem, quæ forsan non tam veteris instituti est, verum etiam ad alia, eaque varia, ministeria apparebant; Duk. Conf. Marc. Donat. ad h. l. Lips. Elect. I, 22; Sigon. de Ant. Jur. Civ. Rom. II, 15; Bos. ad Cic. ad Att. XII, 21.

11. *Ex XII centuriis equitum VIII c. c.* immo *ex XIIX*, et forte *XIII* pro *VIII*; Drak. Conf. ad I, 43.

12. *Annulis aureis positis, vestem*

quum clamor undique plebis esset, periculum Graccho non esse, conceptis verbis juravit, si collega damnatus esset, non exspectato de se judicio, comitem exsilii ejus futurum. Adeo tamen ad extremum spei venit reus, ut octo centuriæ ad damnationem defuerint. Absoluto Claudio, tribunus plebis negavit se Gracchum morari[13].

XVII. Eo anno, postulantibus Aquileiensium legatis, ut numerum colonorum augeret, mille et quingentæ familiæ ex senatusconsulto scriptæ[1], triumvirique, qui eas deducerent, missi sunt, T. Annius Luscus, P. Decius Subulo, M. Cornelius Cethegus. Eodem anno C. Popillius et Cn. Octavius legati, qui in Græciam missi erant, senatusconsultum, Thebis primum recitatum[2], per omnes Peloponnesi urbes circumtulerunt, *Ne quis ullam rem in bellum magistratibus romanis conferret, præterquam quod senatus censuisset.* Hoc fiduciam in posterum quoque præbuerat, levatos se oneribusque impensisque, quibus, alia aliis imperantibus, exhauriebantur. Achaico concilio Argis agitato[3], benigne loquuti auditique, egregia spe fu-

mutarunt, ut supplices p. c. vide ad II, 54, n. 5, et IX, 7, n. 5. — *Conceptis verbis juravit*, solenniter. Sic etiam *verba jurisjurandi concipere* dicitur; qui et ipse solennem ejus formulam conficit pronuntiatque, et alio verba præeunte repetit.

13. *Negavit se Gracchum morari;* vide ad II, 24, n. 5.

Cap. XVII. 1. *Ut numerum colonorum augeret,... ex SCto s.* vide ad XXXIV, 42, n. 2. *Augerent* conj. Periz. (conf. Drak. ad XXXIV, 56, n. 11) *ut numerus colonorum augeretur;* Gron.

2. *Legati, in Græciam missi, senatusconsultum, Thebis primum recitatum*, etc. conf. Polyb. XXVIII, 3-7, 11; 14. — *Præbuerat*, forte *præbuit*, Ant. Periz. — *Levatos se*, etc. voces præcedentes *in posterum* Doeringio videntur postulare *levatum se iri.* Idem dubitat an Livius fortasse scripserit: *hoc fiduciam in posterum quoque præbuerat levatis* (vel *levatos se sentientibus*) *oneribusque impensisque, quibus*, etc. Ed.

3. *Achaico concilio Argis agitato*, forte *coacto* vel simile; Drakenb. Pro *Argis* cum Ursino leg. Ægii ex Polyb. XXVIII, 3, § 10; vid. supra ad XXVII, 30, n. 8. — *Benigne loquuti,*

turi status fidissima gente relicta, in Ætoliam trajecerunt. Ibi nondum quidem seditio erat, sed omnia suspecta criminumque inter ipsos plena. Ob quæ obsidibus postulatis, neque exitu rei imposito, in Acarnaniam inde profecti legati sunt. Thyrii concilium legatis Acarnanes dederunt[4]. Ibi quoque inter factiones erat certamen. Quidam principum postulare, ut præsidia in urbes suas inducerentur adversus amentiam eorum, qui ad Macedonas gentem trahebant: pars recusare, ne, quod bello captis et hostibus mos esset, id pacatæ et sociæ civitates ignominiæ acciperent. Justa deprecatio hæc visa. Larissam ad Hostilium proconsulem (ab eo enim missi erant) legati redierunt. Octavium retinuit secum. Popillium cum mille ferme militibus in hiberna Ambraciam misit.

XVIII. Perseus, principio hiemis egredi Macedoniæ finibus non ausus, ne qua in regnum vacuum irrumperent Romani, sub tempus brumæ[1], quum inexsuperabiles ab Thessalia montes nivis altitudo facit, occasionem esse ratus frangendi finitimorum spes animosque, ne quid, averso se in romanum bellum,

sed magis ut se temporibus accommodarent, quam ex animo. Ed. — *Egregia* cum aut in *spe futuri*, etc. (vide ad I, 14, n. 4) nisi cum Mureto malis *fidissimæ genti relicta*. — *Criminumque*; vide ad III, 19, n. 7.

4. *Thyrii concilium legatis Acarnanes dederunt*, etc. cf. Polyb. XXVIII, 5, ex quo *Thyrii* editum pro *Tyrrei*; vid. supra ad XXXVI, 11, n. 6. — *Qui ad Macedonas gentem trahebant*, ex emend. Gron. pro *ad macedonicam gentem*. Hæc vetus lectio non displicebat Ursino, si ex Polyb. l. l. *res* post *qui* insereretur. Sed non adhæsisse singulis ejus verbis Livium, et inepte h. l. *macedonicam gentem* memorari, monet Gron. (Cf. ad XXIII, 8, n. 2). Idem mox legere malebat: *quod* (ignominiæ accipere) *bello captos et hostes mos esset*. Gronovii emendationem probat, illustratque hoc loquendi genus Cort. ad Sall. Cat. III, 2.

Cap. XVIII. 1. *Sub tempus brumæ*, media hieme; *bruma* proprie dies solstitialis, sive brevissimus est: Ovid. Fast. I, 163, *Bruma novi prima est veterisque novissima solis*; die autem novissimo hiems apud nos incipit. Sed Livius per *principium hiemis*, quod a *bruma* distinxit, mensem fere novembrem videtur intellexisse. Ed.

periculi subesset, quum a Thracia pacem Cotys, ab Epiro Cephalus repentina defectione a Romanis præstarent, Dardanos recens domuisset bello, solum infestum esse Macedoniæ latus, quod ab Illyrico pateret, cernens, neque ipsis quietis Illyriis et aditum præbentibus Romanis[2], si domuisset proximos Illyriorum, Gentium quoque regem jam diu dubium in societatem pellici posse, cum decem millibus peditum, quorum pars phalangitæ erant, et duobus millibus levium armorum et quingentis equitibus profectus, Stuberam venit. Inde frumento complurium dierum sumpto, jussoque apparatu oppugnandarum urbium sequi, tertio die ad Uscanam (Penestianæ terræ ea maxima urbs est) posuit castra; prius tamen, quam vim admoveret, missis, qui tentarent nunc præfectorum præsidii, nunc oppidanorum animos. Erat autem ibi cum juventute Illyriorum romanum præsidium[3]. Postquam nihil pacati referebant, oppugnare est adortus, et corona eam capere conatus est. Quum sine intermissione

— *A Thracia pacem Cotys* (vide ad XLII, 29, n. 6), *ab Epiro Cephalus*, Molossorum princeps, calumniis Charopis compulsus ad *defectionem a Romanis* ad Perseum, ne indicta causa abduceretur Romam. Conf. XLV, 26; Polyb. XXVII, 13, XXX, 6-8, et Diodor. in Exc. Peiresc. pag. 309, ed. Vales. t. II, pag. 578, ed. Wessel. Mox post *præstarent* inserendum videtur *et*, maximaque distinctio ponenda post *subesset* aut *domuisset bello*, ne oratio nimis longo deducatur filo. Tum supra *ratus* dictum pro *ratus est*, vel leg. *occasionem* (sc. esse) *est ratus*.—*Dardanos recens domuisset bello*, quod narratum in præcc. capp. hujus libri, quæ interciderunt. Conf. Epit.

2. *Aditum præbentibus Romanis*, legend. *Romano* minore ambiguitate; Gron. — *Et duobus millibus levium armorum*; vide ad XXII, 37, n. 3.— *Stuberam*; vide ad XXXI, 39, n. 2. —*Uscanam (Penestianæ terræ ea maxima urbs est)*; conf. ad cap. 10, n. 1. Ed.

3. *Ibi cum juventute Illyriorum romanum præsidium*; ergo Uscana, quæ antea Persei præsidio tenebatur (vide ad cap. 10), in potestatem Romanorum pervenerat. Quod qua occasione factum fuerit, Livius narrare omisit; sed ex h. l. intelligi voluit; Drakenb. — *Oppugnare est adortus*; dele τὸ *est*, et mox lege: *alii aliis succedentes scalas muris, pars ignem*, etc. Gronov.

interdiu noctuque alii aliis succedentes, pars scalas muris, ignem portis inferrent, sustinebant tamen eam tempestatem propugnatores urbis; quia spes erat, neque hiemis vim diutius pati Macedonas in aperto posse, nec ab romano bello tantum regi laxamenti fore, ut posset morari. Cæterum, postquam vineas agi turresque excitari viderunt, victa pertinacia est. Nam, præterquam quod adversus vim pares non erant, ne frumenti quidem aut ullius alterius rei copia intus erat, ut in necopinata obsidione[4]. Itaque quum spei nihil ad resistendum esset, C. Carvilius Spoletinus et C. Afranius a præsidio romano missi, qui a Perseo peterent, primo, ut armatos suaque secum ferentes abire sineret; dein, si id minus impetrarent, vitæ tantum libertatisque fidem acciperent[5]. Promissum id benignius est ab rege, quam præstitum. Exire enim sua secum efferentibus jussis primum arma ademit[6]. His urbe egressis, et Illyriorum cohors (quingenti erant), et Uscanenses se urbemque dediderunt.

XIX. Perseus, præsidio Uscanæ imposito, multitudinem omnem deditorum, quæ prope numero exercitum æquabat[1], Stuberam abducit. Ibi Romanis (quatuor millia autem hominum erant), præter principes, in custodiam civitatium divisis, Uscanensibus Illyriisque venditis, in Penestiam exercitum reducit ad Oæ-

4. *Ut in necopinata obsidione;* vide ad VIII, 30, n. 7.

5. *Vitæ t. l. fidem acciperent;* vid. XXIII, 19, n. 10.

6. *Primum arma ademit;* quid postea? Junge *jussis primum*, aut *tamen* lege pro *primum*. Alterum hic orationis membrum excidisse, quo Livius significaverit, quod ex seq. cap. appareat, Romanos a rege retentos esse, suspicabantur Crever. et Drak. Sed quibus verbis, quæ exciderunt, concepta fuerint, sine ope integrioris MS dici non potest. Ed.

Cap. XIX. 1. *Quæ prope numero exercitum æquabat;* potius superavit, et incredibile est fere, tot millia militum rom. se tam facile Perseo dedidisse: forte mox leg. *duo millia*, ut *IIII M.* ex *MM* factum sit) etsi mallem *mille;* Drak. — *Præter principes;* principes nempe secum habuit, ut

neum oppidum in potestatem redigendum; et alioqui opportune situm, et transitus ea est in Labeates, ubi Gentius regnabat. Prætereunti frequens [2] castellum, Draudacum nomine, peritorum quidam regionis ejus, *nihil Oœneo capto opus esse*, ait, *nisi in potestate et Draudacum sit: opportunius etiam ad omnia positum esse.* Admoto exercitu, omnes extemplo dediderunt sese. Qua spe celeriore deditione [3] erectus, postquam animadvertit, quantus agminis sui terror esset, undecim alia castella eodem metu in potestatem redigit. Ad perpauca vi opus fuit, cætera voluntate dedita; et in his recepti mille et quingenti dispositi per præsidia milites romani. Magno usui Carvilius Spoletinus erat in colloquiis, dicendo, nihil in ipsos sævitum. Ad Oœneum perventum est, quod sine justa oppugnatione capi non poterat; et majore aliquanto, quam cætera, juventute, et validum oppidum mœnibus erat. Et hinc amnis Artatus nomine, hinc mons præaltus et aditu difficilis cingebat. Hæc spem ad resistendum oppidanis dabant. Perseus, circumvallato oppido, aggerem a parte superiore ducere instituit, cujus altitudine muros superaret. Quod opus dum perficitur, crebris interim prœliis, quibus per excursiones et mœnia sua oppidani tutabantur, et opera hostium impediebant, magna eorum multitudo variis casibus absumpta est; et, qui supererant, labore diurno no-

colligitur ex iis quæ dicuntur infra de Carvilio; cæteros custodiendos per civitates divisit. Ed. — *Transitus ea est*; vide ad III, 70, n. 2. *Labeates* seu *Labeatæ* septentr. Illyrici populus, *ubi Gentius regnabat.*

2. *Prætereunti frequens castellum*; vide ad X, 11, n. 3.

3. *Qua deditione celeriore spe*; quam spes fuerat: ingratus ablativorum et ὁμοιοτελευτῶν concursus. — *Ad Oœneum* (hod. *Ciderisso*. Ed.) *perventum*, valde abruptum, et forte excidit *inde* ante *ad*; Duker. — *Quam cætera*, sc. oppida erant. — *Hinc amnis Artatus nomine*; de hoc flumine, apud Drak. laudatur Palmer. Græc. Ant. I, 36, pag. 218. Ed.

cturnoque et vulneribus inutiles erant. Ubi primum agger injunctus muro est; et cohors regia, quos Nicatoras appellant[4], transcendit, et scalis multis simul partibus impetus in urbem est factus. Puberes omnes interfecti sunt: conjuges liberosque eorum in custodiam dedit: prædæ alia militum cessere. Stuberam inde victor revertens ad Gentium legatos, Pleuratum Illyrium, exsulantem apud se, et Aputeum Macedonem a Berœa, mittit[5]. Iis mandat, ut exponerent æstatis ejus hiemisque acta sua adversus Romanos Dardanosque: adjicerent recentia in Illyrico hibernæ expeditionis opera: hortarentur Gentium in amicitiam secum et cum Macedonibus jungendam.

XX. Hi, transgressi jugum Scordi montis[1], per Illyrici solitudines, quas de industria populando Macedones fecerant, ne transitus faciles Dardanis in Illyricum aut Macedoniam essent, Scodram labore ingenti tandem pervenerunt. Lissi rex Gentius erat.

4. *Cohors regia, quos Nicatoras appellant;* vide ad XXXVII, 40, n. 4. — *Conjuges liberosque eorum*, puberum, *in custodiam dedit*, scilic. Persens; nisi leg. *liberique e. in c. dati.* — *Alia cessere prædæ militum;* vid. IV, 10, n. 2, et VI, 14, n. 11.

5. *Ad Gentium legatos Pleuratum Illyrium, exsulantem apud se, et Aputeum Macedonem a Berœa* (vide ad I, 50, n. 2, et XLII, 58, n. 1) *mittit*, etc. conf. Polyb. XXVIII, 8. *Pleuratus* dicebatur et pater et filius Gentii seu Genthii (vide ad XXII, 33, n. 3), sed h. l. intell. privatus homo, etsi forsan regis cognatus. *Aputeum* nomen mire corruptum: τὸν Βεροιαῖον Ἀδαῖον dixit Polyb. et Livium in cod. suo APPIΔAION habuisse conj. Reiske. — *In amicitiam*, forte *ad a.*, Crev.

Cap. XX. 1. *Hi transgressi jugum Scordi montis*, etc. conf. Polybius, XXVIII, 8. *Scordus*, extremus mons Illyrici, qui illud a Dardania Mœsiaque sejungit, τὸ Σκάρδον ὄρος dicitur Ptol. II, 17; Strab. VII, pag. 329; Polyb. l. l. et *Scodrus* infra, XLIV, 31 (hod. *Argentaro*, aut secundum alios *Maranaï*. Ed.). — *Scodra* opp. Illyrici, Gentii regia (conf. ad XLIV, 31, 32; XL7, 25; Plin. III, 22; Ptol. II, 17, et nummus apud Holsten. in Annotationibus ad Ortelii Thes. Geogr. pag. 171), Σκόδρα Polyb. l. l. (ubi Schweigh. monet, utrumque nomen *Scodra et Scorda* in usu potuisse esse, quum nil frequentius sit transpositione liquidæ consonæ ρ cum muta, qualis sit δ) Σκάρδον Strab. VII, 5, § 4: pag. 315, hodie *Scutari*, et apud incolas *Scadar*. Conf. Cellar.

Eo acciti legati, mandata exponentes, benigne auditi sunt; qui responsum sine affectu tulerunt: *Voluntatem sibi non deesse ad bellandum cum Romanis; cæterum ad conandum id, quod velit, pecuniam maxime deesse.* Hæc Stuberam retulere regi, tum maxime captivos ex Illyrico vendenti. Extemplo iidem legati, addito Glaucia ex numero custodum corporis, remittuntur sine mentione pecuniæ, qua una Barbarus inops impelli ad bellum poterat. Ancyram inde populatus Perseus[2], in Penestas rursum exercitum reducit; firmatisque Uscanæ et circa eam per omnia castella, quæ receperat, præsidiis, in Macedoniam sese recipit.

XXI. L. Cœlius, legatus romanus, præerat Illyrico; qui, moveri non ausus[1], quum in iis locis rex esset, post profectionem demum ejus conatus in Penestis Uscanam recipere, a præsidio, quod ibi Macedonum erat, cum multis vulneribus repulsus, Lychnidum copias reduxit. Inde post dies paucos M. Trebellium

Ant. Geogr. II, 8, pag. m. 621 sq. — *Lissi*, quam urbem hodie vocant *Alessio*. Ed.

2. *Ancyram inde populatus Perseus;* ἐπ' Ἄγκυραν apud Polybium, XXVIII, 8, § 11; sed hæc lectio ex Ursini non tam codice quam conjectura, Liviana vero ex uno MS ducta est, et notissima quidem Ancyra Galatiæ, Phrygiæ et Siciliæ, non vero Illyrici, sive ea urbs sit, sive, ut Duker. putabat, regio. Conf. Schweigh. ad Polyb. l. l. ubi præterea monet, in optimo cod. Bavar. legi ἐπ' ἀκκῶναν, unde conj. ἐπ' Οὔσκανα. Sed hoc Penestarum opp. omnino ab Ancyra h. l. distingui videtur.—*Rursum reducit exercitum*, pleonasmus, ut *rursus revocare* (IX, 27 pr. ubi vid. Drak. et XXIX, 4 pr.), *redire*, etc. Conf. ad II, 45, n. 10, et Drakenb. ad Epit. XIV. — *Firmatisque Uscanæ præsidiis;* vide supra ad librum XXI, cap. 57, n. 7.

Cap. XXI. 1. *Moveri non ausus.* Hæc constans est omnium, ait Drakenb., editionum lectio. Doujatius autem monet, *moveri* hic poni pro *movere*, vel se movere, id est, aliquid aggredi. Malim tamen credere, locum corruptum, ac legendum esse *movere*, quomodo vir doctus ad marginem ed. Curionis, Ant. Perizonius ad oram Livii sui, et clar. Heumannus scribendum conjecerunt. Livium autem id verbum sæpissime, quasi neutrum foret, sine casu usurpasse, patet ex illis, quæ notantur ad II, 3, n. 2. Ed.

Fregellanum cum satis valida manu in Penestas misit ad obsides ab his urbibus, quæ in amicitia cum fide permanserant, accipiendos. Procedere etiam in Parthinos (ii quoque obsides dare pepigerant) jussit: ab utraque gente sine tumultu exigi[2]. Penestarum obsides Apolloniam, Parthinorum Dyrrachium (tum Epidamni magis celebre nomen Græcis erat) missi. Ap. Claudius, acceptam in Illyrico ignominiam corrigere cupiens, Phanotem Epiri castellum adortus oppugnare, et auxilia Athamanum Thesprotorumque, præter romanum exercitum, ad sex millia hominum secum adduxit; neque operæ pretium fecit, Cleva, qui relictus a Perseo erat, cum valido præsidio defendente. Et Perseus, in Elimeam profectus[3], et circa eam exercitu lustrato, ad Stratum, vocantibus Epi-

2. *Ab utraque gente sine tumultu exigi*, scribe *exegit*, vel potius *exacti*; Gron.—*Dyrrhachium : tum Epidamni magis celebre nomen Græcis erat*, hod. *Durazzo*, emporium et caput Taulantiorum in Illyrico Græco seu Maced., unde olim Brundisium in Italiam, ut nunc a Caleto Dubrim, trajici solebat; vide ad Sil. VIII, 574. *Dyrrachium* Romanis dictum a peninsula aut conditore, quia *Epidamnus* inauspicatum iis nomen et velut *in damnum* ituris omen visum est; vid. Strab. VII, 5, § 9, p. 316; Pausan. VI, 10; Plin. III, 23 seu 26; Mela, II, 4; Dio, 41. — *Phanotem Epiri castellum*, quod plerique *Phanota* plur. num. dixere, et τοὺς Φανοτεῖς Polyb. XXVII, 14, § 4. Sic et *Phanota* inf. XLV, 26 pr. nisi ibi est sing. num., et h. l. leg. *Phanotam* aut *Phanoten*, et cap. 23 pr. *Phanotes* aut *Phanotæ* pro *Phanotis*, a gr. Φανότη. Alia est Phocidis *Phanotea* supra, XXXII, 18, dicta primum Πανοπεὺς seu Πάνοπη, postea Φανοτεὺς, Φανότη, Φανότεια, vid. Strab. IX, pag. 291, al. 407 et 648 B. Herodot. VIII, 34; Pausan. X, 4; Palmer. Græc. Ant. VI, 15; Burm. ad Ovid. Met. III, 19; Schweigh. ad Polyb. l. l. et Heyn. ad Hom. Iliad. II, 520. — *Auxilia Athamanum T.*, etc. vide ad XXXII, 5, n. 6. — *Cleva*, qui Κλεύης, dor. Κλεύας, memoratur etiam Strab. XIII, pag. 832; Etymol. M. p. 498, et in Brunck. Anal. t. II, p. 55.

3. *In Elimeam profectus;* quod hic, ait Creverius, de exercitu dicitur circa Elimeam lustrato melius conveniret urbi, quam regioni; et revera, quum sit in Elimiotide regione urbs Elima, sive Elimea, legendum est sine præpositione *Elimeam profectus*, vel *ad Elimeam profectus*. Sed vide supra ad XXXI, 40, n. 1. — *Vocantibus Epirotis*, immo *Ætolis*, quod ex seqq. patet. Namque Stratus urbs Ætoliæ est: traditur per Archidamum princi-

rotis, ducit. Stratus validissima tum urbs Ætoliæ erat. Sita est super Ambracium sinum[4], prope amnem Acheloum. Cum decem millibus peditum eo profectus est et equitibus trecentis; quos pauciores propter angustias viarum et asperitatem duxit. Tertio die quum pervenisset ad Citium montem, vix transgressus propter altitudinem nivis, locum quoque castris ægre invenit. Profectus inde, magis quia manere non poterat[5], quam quod tolerabilis aut via aut tempestas esset, cum ingenti vexatione, præcipue jumentorum, altero die ad templum Jovis, quem Nicæum

pem Ætolorum: denique rex ubi ad Stratum accessit, exspectat effusos omnibus portis Ætolos in fidem suam venturos; Crev. probante Drak.

4. *Sita est super Ambracium sinum;* « Palmer. III, Græc. Ant. V, hic notandam dicit supinitatem Livii, qui, quod Polyb. scripserat ὑπὲρ τὸν Ἀμβρακικὸν κόλπον, interpretatus fuerit *super Ambracium sinum*, quum vertendum fuisset *ultra Ambracium sinum*. Sane *super Ambracium sinum* ex Livii consuetudine loquendi est *ad Ambracium sinum*, in litore sinus Ambracii; vide ad XXXII, 15 extr. XXXIII, 6 fin. et alibi. Sed, Stratum longius a sinu Ambracio abfuisse, quam ut ita super eum sita fuisse dici possit, apertum est e testimonio Veterum apud Palmerium. Verum nolim affirmare *super* a Livio et aliis scriptoribus semper hac significatione usurpari, nec loca, quæ a mari ad interiora et mediterranea tendentibus sunt, unquam dici *super mare* esse. Etsi autem non difficulter Palmerio largior, Livium hæc e Polybio sumpsisse, tamen eum satis confidenter pronuntiare puto, Polybium scripsisse ὑπὲρ τὸν Ἀμβρακικὸν κόλπον, et id a Livio debuisse verti *ultra Ambracium sinum:* nam quum in iis quæ ex Polybio supersunt, nihil de situ Strati legatur, nemo pro certo dicere queat, quid ille scripserit, aut quomodo Livius, quod ab eo scriptum inveniebat, vertere debuerit. Quin etiam, si concedamus Livium hæc a Polybio accepisse, tamen primum non certum foret, hunc potius scripsisse ὑπὲρ τὸν Ἀμβρακικὸν κόλπον, quam ὑπὲρ τοῦ Ἀμβρακικοῦ κόλπου, quemadmodum Thucyd. I, 48, ἐξ Αἰθιοπίας τῆς ὑπὲρ Αἰγύπτου· et Dio, lib. LIV, 524, οἱ Αἰθιόπες οἱ ὑπὲρ Αἰγύπτου οἰκοῦντες. Deinde non major causa esset ὑπὲρ vertendi *ultra*, quam *supra:* nam hoc etiam de situ locorum, quæ ad interiora terrarum recedunt, dicunt Latini. Plinius, Hist. Nat. XXXIII, 7, *supra Ephesum Cilbianis agris*. Ita intpp. Thucyd. et Dion. verterunt ὑπὲρ, et Livius quoque hic fortassis non *super*, sed *supra* scripsit». Duk.— *Ad Citium montem* inter Macedoniam et Ætoliam, qui forte pars Pindi fuit, qua proxime ad Acroceraunios accedit; Drak. Forte adjacebat ei Citium opp. XLII, 57.

5. *Quia manere non poterat;* vide

vocant[6], posuit castra. Ad Arachthum inde flumen, itinere ingenti emenso, retentus altitudine amnis, mansit[7]. Quo spatio temporis ponte perfecto, traductis copiis diei progressus iter, obvium Archidamum principem Ætolorum, per quem ei Stratus tradebatur[8], habuit.

XXII. Eo die ad finem agri Ætoli castra posita. Inde altero die ad Stratum perventum: ubi, prope Acheloum amnem castris positis, quum exspectaret, effusos omnibus portis Ætolos in fidem suam[1] venturos, clausas portas atque ipsa ea nocte, qua venerat, receptum romanum præsidium cum C. Popillio legato invenit. Principes, qui præsentis Archidami auctoritate compulsi regem arcessierant, obviam egresso Archidamo segniores facti, locum adversæ factioni dederant ad Popillium cum mille peditibus ab Ambracia arcessendum. In tempore et Dinarchus[2], præfectus equitum gentis Ætolorum, cum sexcentis peditibus et equitibus centum venit. Satis constabat, eum, tanquam ad Persea tendentem[3], Stratum venisse; mutato deinde cum fortuna animo, Romanis se, adversus quos venerat, junxisse. Nec Popillius securior, quam debebat esse, inter tam mobilia ingenia erat. Claves portarum custodiamque murorum suæ extemplo potestatis fecit; Dinarchum Ætolosque cum ju-

supra ad librum V, cap. 55, not. 2.

6. *Ad templum Jovis, quem Nicæum vocant*, Νικαῖον, victorem, ut Νίκη Ἀθηνᾶ, de qua vid. Suid.

7. *Ad Arachthum flumen* Epiri (vide ad XXXVIII, 3, n. 6), *retentus altitudine amnis, mansit*, pernoctavit, vel potius *diem, biduum* vel simile quid excidit ante *mansit*, quod tum est: substitit, ut paulo ante; Jac. Perizon., Creverius et Drakenborch.

8. *Per quem ei Stratus tradebatur*, actus pro conatu. Conf. cap. seq. et ad III, 21, n. 3. An leg. *traderetur?*

Cap. XXII. 1. *In fidem suam venturos*; vide ad VII, 18, n. 1.

2. *In tempore et Dinarchus*, etc. vide ad II, 47, n. 4.

3. *Tanquam ad Persea tendentem*; vide ad IV, 19, n. 1.

ventute Stratiorum in arcem per præsidii speciem amovit. Perseus, ab imminentibus superiori parti urbis tumulis tentatis colloquiis, quum obstinatos atque etiam telis procul arcentes videret, quinque millia passuum ab urbe trans Petitarum amnem[4] posuit castra. Ibi consilio advocato, quum Archidamus Epirotarumque transfugæ retinerent, Macedonum principes non pugnandum cum infesto tempore anni censerent, nullis præparatis commeatibus, quum inopiam prius obsidentes quam obsessi sensuri essent, maxime quod hostium haud procul inde hiberna erant; territus in Aperantiam[5] castra movit. Aperantii eum, propter Archidami magnam in ea gente gratiam auctoritatemque, consensu omnium acceperunt: is ipse cum octingentorum militum præsidio his est præpositus.

XXIII. Rex cum minore vexatione jumentorum hominumque[1], quam venerat, in Macedoniam rediit. Appium tamen ab obsidione Phanotis fama ducentis ad Stratum Persei submovit. Clevas, cum præsidio impigrorum juvenum insequutus, sub radicibus prope inviis montium ad mille hominum ex agmine impedito occidit, ad ducentos cepit. Appius[2],

4. *Petitarum amnem;* vid. Palmer. Græc. Ant. III, 13, pag. 421. — *Consilio advocato;* vid. I, 54, n. 1, et X, 17, n. 1. — *Epirotarum transfugæ*, eorum, qui erant ex factione Cephali (vide ad cap. 18), qui *transfugæ* vocantur, quia ab Romanis defecerunt: nisi leg. *Ætolorum;* Crever. Conf. n. 3.

5. *In Aperantiam;* vid. XXXVI; 33, n. 2.—*Aperantii*, forte *Aperanti*, ut apud Steph. Ἀπεραντοὶ, Drakenb.

Cap. XXIII. 1. *Rex cum minore vexatione j. h.*, immo *Rex non minore*, Freinsh. et Gron. Malim sic *cum non minore v.* ut c. 21, 44, n. 5, et al. sed potuit etiam Perseus in reditu minoribus incommodis vexatus esse, vel quod anni tempestas clementior, vel quod regio, in quam rediret, non adeo aspera, vel quod viæ minus difficiles essent; Drakenb. — *Phanotis;* vide ad cap. 21, n. 2. — *Ducentis;* vide ad I, 23.

2. *Appius superatis angustiis* (vide ad XXXII, 5, n. 6), *in campo* Epiri,

superatis angustiis, in campo, quem Elæona vocant, stativa dierum paucorum habuit. Interim Clevas, assumpto Philostrato, qui Epirotarum gentem habebat[3], in agrum Antigonensem transcendit. Macedones ad depopulationem profecti; Philostratus cum cohorte sua in insidiis loco obscuro consedit. In palatos populatores quum erupissent ab Antigonea armati, fugientes eos persequentes effusius in vallem insessam ab hostibus præcipitant. Ibi ad mille occisis, centum ferme captis, ubique prospere gesta re, prope stativa Appii castra movent, ne qua vis sociis suis ab romano exercitu inferri possit. Appius, nequidquam in his locis terens tempus, dimissis Chaonumque, et si qui alii Epirotæ erant, præsidiis, cum Italicis militibus in Illyricum regressus, per Parthinorum socias urbes[4] in hiberna militibus dimissis, ipse Romam sacrificii causa rediit. Perseus ex Penestarum gente mille pedites, ducentos equites revocatos, Cassandriam, præsidio ut essent, misit. Ab Gentio eadem afferentes[5] redierunt. Nec deinde alios atque alios mittendo tentare eum destitit, quum appareret, quantum in eo præsidii esset, nec tamen impetrare[6] ab animo

quem Elæona vocant, forte vicinum urbi Elæunti, quam Ptol. III, 14, inter mediterraneas Epiri memorat; unde *Elæona* scripsi pro *Eleona*; Drakenb.

3. *Philostrato, qui Epirotarum gentem habebat* in potestate? regebat? Sed *gens Epirotarum* in unam *cohortem* contribui non poterat, et forte leg. *Epirotarum transfugas*; Crev. Cf. cap. 22, n. 4. Idem Philostratus memoratur Polyb. XXVII, 14.

4. *Per Parthinorum urbes socias* Romanorum; vid. Palmer. Græc. Ant. I, 34, pag. 182. — *In hiberna militibus dimissis*, forte *divisis*, quia modo præcessit *dimissis Chaonumque... præsidiis*; Ant. et Jac. Periz. — *Romam sacrificii causa rediit*; vide ad IV, 2, n. 6.

5. *Ab Gentio eadem afferentes*, etc. conf. cap. 19, 20.

6. *Nec tamen impetrare ab animo posset* suo pusillo et contracto, h. e. a se ipso propter ingentem avaritiam, ut Gentio, qui pecuniam sibi maxime deesse dixerat (vid. cap. 20), daret in sumptum belli: quo sensu dicimur etiam *parcere animo*, quum frenum laxamus, *vincere animum*, quum re-

posset, ut impensam in rem maximi ad omnia momenti faceret. ****

sistimus affectibus alia dictantibus, quam honestas aut tempus imperat; Gron. Conf. ad hæc Polyb. XXVIII, 9, et XXIX, 2. Ea, quæ hic refert, et alia quoque desiderari in fine hujus libri putabat Sigon. — Crever. vero ad extrema hujus libri verba, *ut impensam in rem..... faceret*, hæc notat: «Asteriscum hic apposuerat Sigonius, quod ea quæ de Olonico Hispano in epitome hujus libri traduntur, ad Clondicum Bastarnarum ducem a Livio nominatum lib. XL, cap. 58, retulerit: quem in Pæonia fecisse aliquem motum existimavit, et ibi interemptum esse. Ea igitur quæ ad illum Clondicum spectarent; hic excidisse putavit. Sed quum multo probabilior sit, de Olonico conjectura Gronovii, qui illum eumdem esse cum Flori Salondico arbitratus est, nulla satis idonea ratione videtur motus esse Sigonius, ut mutilum hic esse librum arbitraretur. Doujatius Sigonii auctoritate motus credidit et ipse, hic aliquid intercidisse, inseruitque hoc loco rogationem a Voconio promulgatam et perlatam de coercendis mulierum hereditatibus. Sed de lege Voconia egerat Livius, lib. XLI, ut apparet ex epitome illius libri. Credimus igitur nihil ex fine hujus libri XLIII periisse». Drakenb. tamen sub fine hujus libri desiderat narrationem de Hippia, qui tertium ad Gentium missus (vid. Polyb. XXIX, 2, § 35) renuntiavit, paratum esse regem bellum adversus Romanos suscipere, si trecenta ei talenta numerarentur, et obsides ultro citroque darentur. Et vere, ut observavit Doeringius, Livius lib. seq. cap. 23, hanc rem ita tangit, ut verba jam antea de ea fecisse videatur. Ed.

T. LIVII PATAVINI
HISTORIARUM
AB URBE CONDITA
LIBER XLIV.

BREVIARIUM.

Cap. I; Q. Marcius Philippus consul ab Roma profectus Palæpharsalum ad exercitum, et C. Marcius Figulus Chalcidem ad classem contendit. — II; Utrique placet, bellum transferre in ipsam Macedoniam : quare Perseus omnes saltus insidere præsidiis statuit, et cum reliquis copiis circa Dium stativa habet. —III; Consul primas itineris difficultates superat, jamque ducit ad castra hostium. — IV; Verum per invia transgressus neque manere in jugo inopi potest, neque regredi audet, Hippia a tergo instante; — V; et hostilem prope tumultum agmini præbent elephanti. Tandem traducendi eos ratio initur, et, quia hostis nusquam apparet, exercitus fere incolumis per saltus et loca aspera evadit in campos inter Heracleum et Libethrum. —VI; Quo nuntio perterritus Perseus Hippiam et Asclepiodotum ex præsidiis, quibus receptum Romanis per Tempe in Thessaliam et in Macedoniam præter Dium intercluserat, revocat, et inops consilii ad Pydnam refugit. — VII; Consul Dium et Agassam capit; sed inopia rerum omnium laborans Philan recedit. —VIII; Audita ejus profectione Perseus regreditur Dium, et circa ripam Enipei amnis castra ponit. — IX; Interea M. Popillius Heracleum expugnat, testudine muro admota. — X; Rex trepidans gazam in mare dejici Pellæ et Thessalonicæ navalia incendi, deinde, animo a pavore recepto, Andronicum et Nician cum urinatoribus, qui pecuniam extraxerant, clam interfici jubet, ne quis tam dementis imperii conscius exsistat. Per idem tempus C. Marcius, oram legens cum classe, Thessalo-

nicenses, Æniensis, Antigonenses, Pallenenses, Cassandrenses fines agrosque, expositis per litora armatis, late vastat. — XI; Deinde classem, navibus Eumenis et Prusiæ auctam, ad Cassandream, — XII; Toronem et Demetriadem appellit; sed oppugnatione harum urbium absistere cogitur. — XIII, Melibœa etiam a M. Popillio frustra tentatur: et, hieme instante, Eumenes Pergamum abit in regnum; C. Marcius, parte classis in hiberna Sciathum missa, cum reliquis navibus Oreum Bœotiæ petit, ut inde in Macedoniam et Thessaliam exercitibus subvehantur commeatus. — XIV; Legationes primum reguli Gallorum et Pamphyliorum ab senatu rom. audiuntur; tum duæ de pace reconcilianda cum Perseo agentes, Prusiæ et Rhodiorum. Illius preces magis sunt quam postulatio; horum superba oratio. — XV; Unde quidam tradunt, a Patribus iis acerbissime, alii, nihil responsum esse, sed tantum senatusconsultum recitatum, quo Caras et Lycios liberos esse juberet populus romanus. — XVI; Literæ Q. Marcii consulis. Præmia Onesimi, nobilis Macedonis, qui regi pacis semper auctor, et consuli magno usui fuerat. Census a censoribus severius quam antea habitus, et opera publica ab iis facta. — XVII; Consularia et prætoria comitia, atque sortitio provinciarum, e quibus Macedonia L. Æmilio II cos., Italia collegæ ejus, C. Licino Crasso, evenit. — XVIII; Legati auctore Æmilio in Macedoniam missi ad classem exercitusque visendos et comperta referenda. Novemdiale sacrum. Mors sacerdotum. Ludorum circensium magnificentia. — XIX; Legati Alexandrini Romam, et Romani ad Antiochum et Ptolemæos fratres belligerantes missi. — XX; Oratio legatorum, qui ex Macedonia redierant. — XXI; Senatusconsulta de apparatu belli Macedonici, de matura profectione Æmilii ad exercitum, Cn. Octavii prætoris ad classem et L. Anicii prætoris in Illyricum, de delectu a C. Licinio consule habendo, et de supplementis in Macedoniam mittendis. — XXII; L. Æmilii consulis oratio memorabilis in concione habita, hominumque eum prosequentium et frequentia et bona omina. — XXIII; Perseus fidem obsidesque dat Gentio, et pecuniam promittit; sollicitat etiam Rhodios, — XXIV; Antiochum ipsumque Eumenem. Is propter frequentes regum legationes colloquiaque occulta suspectus fit Romanis, — XXV; et ne hos juvet bello magnam mercedem, majorem pacis cum iis patrandæ paciscitur. — XXVI; Verum per avaritiam Persei non hæc

modo res dimittitur, sed parata etiam Gentii societas, et auxilium Clondici, qui xx millia Gallorum adduxerat. — XXVII; Hi Barbari ad Istrum, perpopulati Thraciam, redeunt: Gentius autem, exigua parte pecuniæ accepta, a Pantaucho ad legatos Romanorum in custodiam conjiciendos stimulatur. — XXVIII; Antenor et Calippus, classi Macedonum præfecti, naves Macedoniam cum frumento petentes, tutantur, et xxxv hippagogos Eumenis, — XXIX; multasque hostium onerarias intercipiunt. Interea legati Romanorum Delum, Persei Gentiique simul Rhodum veniunt. — XXX; Gentii genus, facta, ingenium, mores et copiæ. Res in Illyrico ab Ap. Claudio,—XXXI; et ab L. Anicio gestæ. Deditio Gentii. — XXXII; Bellum Illyrium intra xxx dies perfectum. Persei pavor, consilia et castra munitissima in ripa Enipei fluminis. — XXXIII; Ratio, qua L. Æmilius aquarum propulsaverit penuriam, ac morem et imperiorum perferendorum et vigiliarum stationumque mutaverit. — XXXIV; Oratio ejus ad milites, horumque industria. — XXXV; Rhodiorum legati in castris rom. multo iniquioribus animis, quam Romæ, auditi. Consilium militare de ratione belli gerendi habitum. Delecti milites Heracleum et Pythium missi. Prælia in alveo Enipei. — XXXVI; Castra et Persei et Æmilii ad Pydnam posita. Militum romanorum ardor ad dimicandum, cunctatio consulis et libera admonitio P. Scipionis Nasicæ. — XXXVII; Defectio lunæ, prædicta a C. Sulpicio Gallo tribuno militum. — XXXVIII, XXXIX; Oratio consulis de dilatæ pugnæ causis et usu castrorum. — LX; Certamen a Fortuna contractum. — XLI; Victoria Romanorum. — XLII; Macedonum clades. —XLIII; Regis fuga. — XLIV; Sincerum gaudium quo consul, recepto sospite filio P. Scipione, fruitur. Fallacia, qua Diodorus præsidium Thracium Amphipoli ablegat. — XLV; Omnis ferme Macedonia intra biduum dedita. Miserabilis conditio Persei, qui nequidquam petit pacem, et nave Cretensi Samothracam trajicit. — XLVI; Pellæ situs.

I. Principio veris, quod hiemem eam, qua hæc gesta sunt, insequutum est, ab Roma profectus Q. Marcius Philippus consul cum quinque millibus[1], quod

Cap. I. 1. *Q. Marcius Philippus consul cum quinque millibus;* hic aliquid deesse putant Crev. et Drak.; numerum enim et non absolute sic poni

in supplementum legionum secum trajecturus erat, Brundisium pervenit. M. Popillius consularis[2] et alii pari nobilitate adolescentes tribuni militum in macedonicas legiones consulem sequuti sunt. Per eos dies et C. Marcius Figulus prætor, cui classis provincia evenerat[3], Brundisium venit; et simul ex Italia profecti[4], Corcyram altero die, tertio Actium Acarnaniæ portum tenuerunt. Inde consul, ad Ambraciam egressus, itinere terrestri petit Thessaliam. Prætor, superato Leucata, Corinthium sinum invectus, et Creusæ relictis navibus, terra et ipse per mediam Bœotiam diei unius expedito itinere Chalcidem ad classem contendit. Castra eo tempore A. Hostilius in Thessalia circa Palæpharsalum habebat; sicut nulla re bellica memorabili gesta, ita ad cunctam militarem disciplinam[5] ab effusa licentia formato milite, et sociis cum fide cultis, et ab omni genere injuriæ defensis. Audito successoris adventu, quum arma, viros, equos cum

et per se, haud adjecta re, quæ numeretur, et ipsum vitiatum esse: plures enim milites in *supplementum* exercitus macedonici decretos (vid. XLIII, 12), nec verisimile esse, reliquos ante consulem in provinciam profectos esse. — *Quod in supplementum l. s. trajecturus erat*, cum Drak. leg. *quot*, aut cum Gron. *quod supplementum*.

2. *M. Popillius consularis*, etc. cf. XLII, 49. — *Adolescentes* etiam viri dicti, v. c. prætor et consul Cic. Cæcil. 9, et Phil. II, 46.

3. *Cui classis provincia evenerat;* vide ad II, 40, n. 9.

4. *Simul ex Italia profecti*, scilic. prætor et tribuni militum, *Actium Acarnaniæ portum*, opp. et prom. ad sinum Ambracium, victoria Augusti Actiaca nobilitatum (vide ad Sil. XV, 302) *tenuerunt;* vide ad I, 1, n. 8.— *Superato Leucata;* vide ad XXVI, 26, n. 1.

5. *Ad cunctam militarem disciplinam*, ad omne genus militaris disciplinæ, ad omnes ejus partes observandas; ut *cunctus* IV, 33, et apud Sallust. Jug. 57 (ubi vid. Cort.) et *omnis* pro *totus;* Drakenb. *Unicam* pro *cunctam* conj. Gron. Conf. ad I, 21, n. 3. — *Ab effusa licentia;* vide ad I, 1, n. 5. — Post *defensis*, vocem *nobilis* vel *conspicuus*, a qua ablativi *re bellica, milite, sociis* pendeant excidisse conjicit Doer. sed quum facile explices hunc locum ab ablativo absolute posito ex Latinorum more, nihil mutandum videtur. Ed. — *Cum cura inspexisset* (ut XXIX, 1 et 24) ex emend. Manutii pro *inexisset*. — *Or-*

cura inspexisset, ornato exercitu obviam venienti consuli processit. Et primus eorum congressus ex dignitate ipsorum ac romani nominis, et in rebus deinde gerendis[6] *. Proconsul enim ad exercitum **. Paucis post diebus consul concionem apud milites habuit. Orsus a parricidio Persei perpetrato in fratrem, cogitato in parentem, adjecit, *post scelere partum regnum, veneficia, cædes, latrocinio nefando petitum Eumenem, injurias in populum romanum, direptiones sociarum urbium contra fœdus, ea omnia quam diis quoque invisa essent, sensurum in exitu rerum suarum*[7]. *Favere enim pietati fideique deos, per quæ populus romanus ad tantum fastigii venerit.* Vires deinde populi romani, jam terrarum orbem complectentis, cum viribus Macedoniæ, exercitus cum exercitibus comparavit. *Quanto majores Philippi Antiochique opes non majoribus copiis fractas esse?*

II. Hujus generis adhortatione accensis militum animis, consultare de summa gerendi belli[1] cœpit. Eo et C. Marcius prætor a Chalcide, classe accepta, venit. Placuit, non ultra morando in Thessalia tempus terere, sed movere extemplo castra, atque pergere inde in Macedoniam; et prætorem dare operam, ut eodem tempore classis quoque invehatur hostium litoribus. Prætore dimisso, consul, menstruum jusso milite secum ferre[2], profectus decimo post die, quam

nato exercitu; vide ad I, 14, n. 4, et IX, 40, n. 12.

6. *Et in rebus deinde gerendis*, etc. Lacunas h. l., sed non satis feliciter, explevere Sigon. et Pigh. in Ann. ad annum 584. Cf. Crev. et Drak. ad h. l. Ed. — *Parricidio cogitato in parentem*; Livium nihil ea de re antea expresse memorasse notavit Crev. Ed.

7. *Sensurum in exitu rerum suarum*, del. τὸ *in*; Mur.

Cap. II. 1. *De summa gerendi belli*; vide ad III, 5, n. 6.

2. *Menstruum secum ferre*, sc. frumentum, ut τὰ ἐπιμήνια menstrua cibaria, commeatus apud Polybium, XXXI, 20 et 22. Conf. Lips. de Mil. Rom. V, 2, et Schel. ad Polyb. cap. 7.

exercitum acceperat, castra movit; et, unius diei progressus iter, convocatis itinerum ducibus, quum, exponerent[3] in consilio, jussisset, qua quisque ducturus esset, submotis iis, quam potissimum peteret, retulit ad consilium. Aliis per Pythium placebat via : aliis per Cambunios montes[4], qua priore anno duxerat Hostilius consul : aliis præter Ascuridem paludem. Restabat aliquantum viæ communis : itaque in id tempus, quo prope divortium itinerum castra posituri erant, deliberatio ejus rei differtur. In Perrhæbiam inde ducit, et inter Azorum et Dolichen[5] stativa habuit ad consulendum rursus, quam potissimum capesseret viam. Per eosdem dies Perseus, quum appropinquare hostem sciret, quod iter petiturus esset ignarus, omnes saltus insidere præsidiis statuit. In jugum Cambuniorum montium (Volustana ipsi vocant) decem millia levis armaturæ juvenum cum duce Asclepiodoto mittit : ad castellum, quod super Ascuridem paludem erat (Lapathus vocatur locus), Hippias tenere saltum cum duodecim millium Macedonum præ-

— *Quam exercitum acceperat* ab Hostilio proconsule.

3. *Convocatis itinerum ducibus, quum*, ut *exponerent*, etc. Gronov. emend. citra necessitatem *convocatos i. duces quum exponère in consilio jussisset, qua* via *quisque ducturus esset, submotis iis*, etc. Conf. ad I, 17, n. 7; I, 54, n. 1; III, 70, n. 2; VIII, 6, n. 6. — *Quam* viam *potissimum peteret*, ut mox *quam potissimum capesseret viam* et *quod iter petiturus esset;* vide ad I, 25, n. 7, et III, 70, n. 2. Conf. Drak. — *Retulit ad consilium;* vide ad I, 54, n. 1; VIII, 6, n. 6, et XXVI, 2, n. 3.

4. *Per Pythium... Cambunios m.*, etc. conf. ad XLII, 53, 54. — *Aliquantum viæ communis;* aliquantum viæ, quæ pariter ad Pythium, ad Cambunios montes, ad Ascuridem paludem duceret. Ed. — *Divortium itinerum;* vide ad XXI, 31, n. 4.

5. *Inter Azorum et Dolichen*, Ἀζορίου μεταξὺ καὶ Δολίχης Polybius, XXVIII, 11, § 1. Conf. supra ad XLII, 53, n. 3; Strab. VII, p. 327, et Schweigh. ad Polyb. l. l. — Quarum urbium prior hodie *Servitra*, posterior *Doluc* vocatur. Ed. — *Decem millia levis armaturæ juvenum;* vox *juvenum* plane otiosa est et delenda, vel in ea latet nomen gentis alicujus, ut mox *duodecim millium Macedonum* de altero præsidio, quocum Hippias dicitur jussus tenere saltum

sidio jussus. Ipse cum reliquis copiis primo circa Dium stativa habuit : deinde, adeo ut obtorpuisse inops consilii videretur, cum equitibus expeditis[6] litore nunc Heracleum, nunc Philan percurrebat, eodem inde cursu Dium repetens.

III. Interim consuli sententia stetit[1] eo saltu ducere, ubi propter Octolophum diximus regis* castra. Præmitti tamen quatuor millia armatorum ad loca opportuna præoccupanda placuit; quis præpositi sunt M. Claudius, Q. Marcius consulis filius. Confestim et universæ cópiæ sequebantur. Cæterum adeo ardua et aspera et confragosa via fuit, ut præmissi expediti biduo quindecim millium passuum ægre itinere confecto castra posuerint : turrim[2] Eudieru, quem cepere, locum appellant. Inde postero die septem millia progressi, tumulo haud procul hostium

ad Lapathunta; Creverius. — *Circa Dium stativa habuit;* conf. Diodor. in Exc. Peiresc. apud Vales. p. 309.

6. *Cum equitibus expeditis;* vide ad V, 16, n. 2. — *Heracleum* opp. Perrhæbiæ, in Macedoniæ confinibus, hodie *Xenoxua*. Conf. ad XLIV, 18; Drak. ad h. l. et Schweigh. ad Polyb. XXVIII, 11, § 3. *Per litora* (ut cap. 4) pro *litore* conj. Crev. et *intercurrebat* pro *percurrebat* Gron.

Cap. III. 1. *Consuli sententia stetit;* vide ad IV, 13, n. 6. Mox lacuna ex XXXI, 36, a Sigon. ita expletur: *ubi propter* (vide ad XXI, 27, n. 6) *Octolophum diximus regis castra Philippi fuisse.* Sed ibi castra Sulpicii fuisse, XXXI, 36, traditur; Duk.— Sigonii supplementum neque Doujatio, neque Creverio satisfacit. Et quidem Doujatio, quin plura alia desint, dubium non est: Marcium enim consulem, ad duodecimum a Dio milliare per invios montes transgressum in Macedoniam paulo post narrari; ab Octolopho autem ad Dium circiter centum ac viginti millia passuum numerari necesse esse. Crever. vero observat, ex narratione rerum a Sulpicio adversus Philippum gestarum, quæ occurrit lib. XXXI, constare, Octolophum ad occiduum Macedoniæ latus situm esse, et longe abfuisse ab Heracleo, et Phila et Dio, quæ prima Macedoniæ oppida hic Marcio e jugis digresso occurrunt: vel igitur duplicem locum fuisse, qui Octolophi nomen habuerit, alterum in Dassaretiis, alterum in finibus Perrhæbiæ; vel hic mendum agnoscendum esse. Præterea non quidem tentat explere quæ desunt; credit tamen, regem, cujus hic mentio fit, potius Persea fuisse, quam Philippum. Ed.

2. *Turrim Eudieru;* vide ad XLIV, 28, n. 5.

castris capto, nuntium ad consulem remittunt: *perventum ad hostem esse, loco se tuto et ad omnia opportuno consedisse; ut, quantum extendere iter posset, consequeretur.* Sollicito consuli, et propter itineris difficultatem, quod ingressus erat, et eorum[3] vicem, quos paucos inter media præsidia hostium præmiserat, nuntius ad Ascuridem paludem occurrit. Addita igitur et ipsi fiducia est, conjunctisque copiis, castra tumulo, qui tenebatur, qua aptissimum ad loci naturam erat, sunt acclinata. Non hostium modo castra, quæ paulo plus mille passuum aberant, sed omnis regio ad Dium et Philam oraque maris, late patente ex tam alto jugo prospectu, oculis subjicitur. Quæ res accendit militi animos, postquam summam belli[4] ac regias omnes copias terramque hostilem tam e propinquo conspexerunt. Itaque quum alacres, protenus duceret ad castra hostium, consulem hortarentur; dies unus fessis labore viæ ad quietem datus est. Tertio die[5], parte copiarum ad præsidium castrorum relicta, consul ad hostem ducit.

IV. Hippias nuper ad tuendum saltum[1] ab rege missus erat; qui, ex quo castra romana in tumulo conspexit, præparatis ad certamen animis suorum, venienti agmini consulis obvius fuit. Et Romani expediti ad pugnam exierant, et hostes: levis armatura erat, promptissimum genus ad lacessendum certamen. Congressi igitur extemplo tela conjecerunt. Multa utrimque vulnera temerario incursu et accepta,

3. *Sollicito consuli et propter itineris difficultatem, et* propter *eorum vicem*, etc. conf. ad I, 25, n. 5.

4. *Summam belli;* vide ad III, 5, n. 6. — *Conspexerunt*, sc. milites. — *Protenus* ut *duceret* milites.

5. *Dies unus fessis labore... tertio die*, etc. vide ad lib. XL, 22, n. 1.

Cap. IV. 1. *Ad tuendum saltum*, etc. conf. ad cap. 2 extr. — *Levis armatura erat*, etc. hæc addidit Livius, ut appareret, in quo sensu tam Romani quam hostes *expediti* dicti sint. Ed.

et illata : pauci utriusque partis ceciderunt. Irritatis in posterum diem animis, majoribus copiis atque infestius concursum ab illis[2], si loci satis ad explicandam aciem fuisset : jugum montis, in angustum dorsum cuneatum, vix ternis ordinibus armatorum in fronte patuit. Itaque paucis pugnantibus, cætera multitudo, præcipue qui gravium armorum erant[3], spectatores pugnæ stabant. Levis armatura etiam per anfractus jugi procurrere, et ab lateribus cum levi armatura conserere[4], per iniqua atque æqua loca pugnam petere : ac pluribus ea die vulneratis, quam interfectis, prælium nocte diremptum est. Tertio die egere consilio romanus imperator : nam neque manere in jugo inopi, neque regredi sine flagitio atque etiam periculo, sed cedenti ex superioribus locis instare hostis poterat[5]; nec aliud restabat, quam audacter commissum pertinaci audacia, quæ prudens interdum in exitu est, corrigere. Ventum quidem erat eo, ut, si hostem similem antiquis Macedonum regibus habuisset consul, magna clades accipi potuerit. Sed quum ad Dium per litora cum equitibus vagare-

2. *Concursum ab illis* scilic. esset, vel e sq. fuisset; Doujat. *Concurrissent* emend. Gronov. — *In angustum dorsum cuneatum;* vid. IX, 40, n. 1.

3. *Qui gravium armorum erant;* vide ad XXII, 37, n. 3.

4. *Cum levi armatura* (alterius partis) *conserere*, excidit *manus* vel *pugnam;* Crever. Ejusmodi quid ex seq. *pugna* commode repeti potest; Ern. Sed hoc est gravis armaturæ, quæ pede collato cominus pugnat, non levis, quæ procursando eminus missilibus rem gerit : unde aliud hic vitium esse suspicor; Duk. Conf. ad VI, 12, n. 7, et XXI, 55, n. 2. Forte leg. *cum levi armatura rem gerere, per iniqua... pugnam petens.* — Pro *conserere*, Doering. suspicatur legendum *confligere.* Ed. — *Pugnam petere;* vide ad I, 25, n. 7. — *In jugo inopi*, ut V, 42, et XXII, 39.

5. *Neque regredi sine... periculo* poterat, *sed cedenti..... poterat.* At leg. potius cum Mur., Gron. et Drak. *periculo, si cedenti ex superioribus locis instaret hostis, poterat.* — *Audacter commissum* (h. e. vel peccatum, vel inceptum, inchoatum, Drakenb.) *corrigere pertinaci audacia, quæ prudens interdum in exitu est;* cf. cap. 6, n. 3.

tur rex, et ab duodecim millibus[6] prope clamorem et strepitum pugnantium audiret, nec auxit copias integros fessis submittendo, neque ipse, quod plurimum intererat, certamini affuit: quum romanus imperator, major sexaginta annis[7] et prægravis corpore, omnia militaria munera ipse impigre obiret. Egregie ad ultimum in audacter commisso perseveravit; et, Popillio relicto in custodia jugi, per invia transgressus, præmissis, qui repurgarent iter[8], Attalum et Misagenem, cum suæ gentis utrumque auxiliaribus, præsidio esse saltum aperientibus jubet. Ipse, equites impedimentaque præ se habens, cum legionibus agmen cogit.

V. Inenarrabilis labor descendentibus cum ruina jumentorum sarcinarumque. Progressis vixdum quatuor millia passuum nihil optabilius esse, quam redire, qua venerant[1], si possent. Hostilem prope tumultum agmini elephanti præbebant; qui, ubi ad invia venerant, dejectis rectoribus, cum horrendo

6. *Ab duodecim millibus* passuum, h. e. tot millium intervallo ab hostibus. Conf. ad XXXVIII, 20, n. 2, et XLII, 58 pr.

7. *Romanus imperator major LX annis*, etc. ὁ δὲ πρῶτος ἐξῆρχε τοῦ πόνου, ἑξηκοντούτης ὢν καὶ βαρὺς τὸ σῶμα καὶ πιμελής, Appian. Maced. 12; apud Suid. voc. πιμελής. — *Relicto in custodia jugi*, forte *in custodiam jugi*, h. e. ut jugum custodiret, ut ei præsidio esset; Drak.

8. *Qui repurgarent iter*, ut mox *saltum aperire*. — *Præ se habens*, præeuntia. — *Agmen cogit*; vide ad XXXII, 2, n. 4.

Cap. V. 1. *Redire, qua venerant*; vide ad X, 12, n. 2. — *Per proclive sumpto fastigio*, initio facto a summo collocandorum asserum, qui a summo in imum sensim deferrent; Bauer. Cf. ad I, 38, n. 6. — Ad h. l. Crever. nota est: Longi duo asseres inter se adversi modica inclinatione demissi secundum superiorem partem, in terra ex inferiore parte defigebantur. Hic *fastigium* intelligendum *clivus*, propterea quod, si quid in clivum devexum est, idem et in fastigium contrario sensu assurgit; eadem fere ratione, qua *altum* et *profundum* promiscue usurpantur. Itaque illi asseres intelligendi sunt triquetra fere forma fuisse, ita ut e tribus lateribus unum per proclive porrigeretur et acclinaretur secundum montem; alterum, scil. superius, modice inclinatum esset et leni fastigio devexum; tertium deni-

stridore pavorem ingentem, equis maxime, incutiebant, donec traducendi eos ratio inita est. Per proclive, sumpto fastigio, longi duo validi asseres ex inferiore parte in terra defigebantur, distantes inter se paulo plus, quam quanta belluæ latitudo est. In eos transversi incumbentes tigni, ad tricenos longi pedes, ut pons esset, injungebantur, humusque insuper injiciebatur. Modico deinde infra intervallo similis alter pons: dein tertius et plures ex ordine, qua rupes abscisæ[2] erant, fiebant. Solido procedebat elephas in pontem: cujus prius quam in extremum procederet, succisis asseribus collapsus pons, usque alterius initium pontis[3], prolabi eum leniter cogebat. Alii elephanti pedibus insistentes, alii clunibus subsidentes, prolabebantur: ubi planities altera pontis excepisset eos, rursus simili ruina inferioris pontis deferebantur, donec ad æquiorem vallem perventum est. Paullo plus septem millia die Romani processerunt; minimum pedibus itineris confectum. Plerumque provolventes se simul cum armis aliisque oneribus, cum omni genere vexationis, processerunt; adeo ut ne dux quidem et auctor itineris inficiaretur, parva manu deleri omnem exercitum potuisse. Nocte ad modicam planitiem pervenerunt; neque, an infestus is locus esset[4], septus undique, circumspiciendi spa-

que e terra, in qua ex inferiore parte defigebatur, assurgeret in rectum. Ed. — *Quam quanta;* vide ad XXVI, 19, n. 2.

2. *Qua rupes abscisæ;* vide ad III, 70, n. 2, et IV, 19, n. 5. — *Solido*, in solido, quod cap. 9 *stabile solum* dicitur.

3. *Usque* ad *alterius initium pontis.* — *Clunibus*, in clunes. — *Planities altera pontis*, alterius pontis; vide ad I, 1, n. 6. — *Paulo plus* quam *septem millia* passuum *die*, per diem (ut contra mox *nocte*), *Romani processerunt;* nisi cum Gron. leg. *eo die.*

4. *An infestus is locus esset;* vide ad I, 7, n. 7, et XXXIX, 29, n. 3. — *In tam cava valle*, scil. quam in qua substiterant priore die ac nocte. Sed forte leg. *in concava valle.*

tium fuit. Vix tandem ex insperato stabilem ad insistendum nactis locum, postero quoque die, in tam cava valle opperiri Popillium, ac relictas cum eo copias, necesse fuit; quos et ipsos, quum ab nulla parte hostis terruisset, locorum asperitas hostiliter vexavit. Tertio die conjunctis copiis eunt per saltum, quem incolæ Callipeucen appellant. Quarto inde die per æque invia, sed assuetudine peritius et meliore cum spe, quod nec hostis unquam apparebat[5], et mari appropinquabant, degressi in campos, inter Heracleum et Libethrum posuerunt castra peditum; quorum pars major tumulos tenebat. Ii vallem, campi quoque partem[6], ubi eques tenderet, amplectebantur.

VI. Lavanti regi dicitur nuntiatum, hostes adesse. Quo nuntio quum pavidus exsiluisset e solio[1], victum se sine prælio clamitans proripuit, et subinde per alia atque alia pavida consilia et imperia trepidans[2], duo-

5. *Quod nec hostis unquam apparebat*, immo *usquam;* Sigon. Potest tamen *unquam* dictum esse ratione totius diei et variarum ejus partium; Drak. — *Heracleum* pro *Heracetum* ex emend. Gron. — *Libethrum*, forte *Libethra:* certe τὰ Λίβηθρα vel Λείβηθρα urbs Pausan. IX, 30, et Conon. Narrat. XLV, Λείβηθρος, et *Libethra* fons Suidæ, Melæ, II, 3, et Plin. IV, 9, dicitur; Drak.

6. *Ii vallem, campi quoque partem*, immo *ii v. campique p.;* Mur. et Gronov. Pro *ii* insuper leg. *alii;* Duker. —*Tenderet;* vide ad XXV, 6, n. 10.

Cap. VI. 1. *Quo nuntio quum pavidus*, pavefactus (nisi *quo nuntio* dictum, ut *hoc nuntio* XXIV, 19, n. 4), *exsiluisset e solio*, balneari, labello, πυελῷ, *Badewanne*, lapide in labri formam excavato. Conf. Ern. Clav. Cic. voc. *labellum*, et ad Suet. Ner. 50. Ὁ δὲ ἐξήλατο τοῦ ὕδατος, βοῶν, ὅτι ἑαλώκοι πρὸ τῆς μάχης, Appian. Maced. 13; apud Suid. voc. ἀναλαμβάνειν. — *Proripuit* se; vide ad II, 24, n. 6.

2. *Per alia atque alia pavida consilia et imperia trepidans;* vide ad I, 14, n. 6, et III, 49, n. 4. Locum qui sequitur mutilum esse, et, quæ exciderunt, ex Livii cap. 10 pr. et Diodoro in Exc. Vales. pag. 310, ita fere supplenda putabant Crev. et Drakenb. *Duobus ex amicis, Niciam proficisci jussit Pellam, ubi pecunia deposita erat, et, quidquid ejus ibi nancisceretur, in mare dejicere; alterum Andronicum misit Thessalonicam, ut navalia incenderet. Simul Hippiam et Asclepiodotum ex præsidiis revocat.* Nota Gronov. est: « Neque *Pella* viri est nomen, neque *Asclepiodotus* loci. Verba autem illa, *ubi pecunia depo-*

bus ex amicis Pellam, alterum Asclepiodotum, ubi pecunia deposita erat, ex præsidiis revocat, omnesque aditus aperit bello. Ipse ab Dio, auratis statuis omnibus raptim, ne præda hosti essent, in classem congestis, ocius demigrare Pydnam cogit[3]; et, quæ temeritas consulis videri potuisset, quod eo processisset, unde invito hoste regredi nequiret, eam non inconsultam audaciam fecit. Duos enim saltus, per quos inde evadere possent, habebant Romani, unum per Tempe in Thessaliam, alterum in Macedoniam præter Dium; quæ utraque[4] regiis tenebantur præsidiis. Itaque si dux intrepidus decem dies primam spe-

sita erat, omnino sunt aliena. Possis existimare, post τὸ *trepidans* interjectum aliquid fuisse, quo narraret Livius, quod breviter innuit cap. 10 pr. ejusque narrationis particulam illa esse verba. Sed credo potius, addidisse ea librarium, qui invenerat illa adscriptà voci *Pellam*, postquam in hanc transformatum verum nomen exstitit. Etsi enim hoc loco narrandum illud fuisset, tamen intelligi ex postea narratis more suo Livium id maluisse certum habeo. Est autem omnino scribendum: *duos ex amicis* (alterum), *Hippiam, alterum Asclepiodotum, ex præsidiis revocat*, etc. Conf. cap. 2 et 7 ». — *Omnes aditus aperit bello*, revocans præfectos præsidiorum, qui hostes aditu Macedoniæ arcebant.

3. *Demigrare Pydnam cogit*, forte *cogitat*: quod et conjecisse video Jac. Periz. Conf. extrema verba cap. Verum et h. l. quædam periisse verba, quibus narraverit Livius, quod Diodor. l. l. tradit, scil. incolas Dii cum omnibus familiis *demigrare Pydnam coactos* esse, suspicabatur Drakenb. — *Eam* temeritatem consulis *non inconsultam audaciam fecit* ipse Perseus ignavia sua. *Non inconsultam* ex emend. Sigon. et Gron. pro *non consultam*. Muretus conj. *eam consultam inaudacia fecit*; ut *inaudax* apud Horat. Od. III, 20, v. 3. Præstiterit: *eam nunc consultam audaciam facit*. Conf. ad cap. 4, n. 5. — *Inde evadere possent*, scilicet e loco, quo processerant, unde invito hoste regredi non poterant.

4. *Quæ utraque* loca, Tempe et Dium; nisi potius leg. *qui utrique*, sc. saltus. — *Primam speciem appropinquantis terroris sustinuisset*, forte leg. *prima specie appropinquantis terrorem*, quem appropinquans (quis? hostis?) incuteret, *sust.* conj. Drak. Sed hoc minus, quam illud intelligi potest. *Sustinere speciem terroris* recte dicitur, ut apud Cic. Tusc. II, 25, *doloris speciem ferre*: sed malim *vanam speciem*; Ern. — *Per Tempe in Thessaliam* verba perperam repetita putabat Crev. Verum Livius nunc de duobus saltibus et difficultatibus, quibus Romani impliciti fuissent, per partes agit, et infra alterum quoque saltum nominatim iterum memorat; Drakenb.

ciem appropinquantis terroris sustinuisset, neque receptus Romanis per Tempe in Thessaliam, neque commeatibus pervehendis eo patuisset iter. Sunt enim Tempe saltus[5], etiamsi non bello fiat infestus, transitu difficilis: nam præter angustias per quinque millia, qua exiguum jumento onusto iter est, rupes utrimque ita abscisæ sunt, ut despici vix sine vertigine quadam simul oculorum animique possit. Terret et sonitus et altitudo per mediam vallem fluentis Penei amnis. Hic locus[6], tam suapte natura infestus, per quatuor distantia loca præsidiis regis fuit insessus: Unum in primo aditu ad Gonnum erat; alterum Condylon castello inexpugnabili; tertium circa Lapathunta, quem Characa appellant; quartum viæ ipsi, qua et media et angustissima vallis est, impositum, quam vel decem armatis tueri facile est. Intercluso per Tempe simul aditu commeatibus, simul reditu, ipsi montes, per quos descenderant, repetendi erant. Quod ut furto fefellerant[7], ita propalam, tenentibus superiora cacumina hostibus, non poterant; et ex-

5. *Sunt enim Tempe saltus*, amœnissimæ Thessaliæ et quidem Pelasgiotidis convalles inter Ossam et Olympum montes, quas Peneus perfluit, *etiamsi*, etc. conf. Plin. IV, 8, seu 15; Strab. IX, 5, § 2, pag. 430; inpr. Ælian. Var. Hist. III, 1. Horum descriptiones parum convenire Livianæ, et de longitudine inter omnes convenire, de latitudine discrepare, jam monuit Drak. A Livio horrorem potius, Romanis in hoc saltu et valle propter angustos transitus incussum, quam amœnitatem loci, ab omnibus fere scriptoribus celebratam, notari, dicit Cellar. O. A. II, 13. Forte et non eadem amœnitas fuit omnium loci partium *bello*, in bello (usu artis bellicæ, objiciendis difficultatibus); Ern. — *Fiat infestus*; vide ad I, 7, n. 7, et XXXIX, 29, n. 3. — *Per quinque millia* passuum, *qua* parte, via. — *Rupes abscisæ*; vide ad III, 70, n. 2, et IV, 19, n. 5.

6. *Hic locus*, forte *hic saltus*, quia statim sequitur *loca*; Duk. — *Præsidiis regis fuit insessus: unum in primo aditu ad Gonnum erat; alterum Condylon*; conf. ad XXXIX, 25, n. 5. Scribe *præsidiis regiis* (sed conf. ad cap. 9, 26 et 35) et *alterum* (præsidium) *ad Condylon*; Gron. Forte leg. *alterum in Condylo, castello inexpugnabili*; Drak.

7. *Quod in furto fefellerant*, furtim et clam hoste fecerant; vid. III, 8, n. 2,

perta difficultas spem omnem incidisset. Supererat nihil aliud in temere commisso, quam in Macedoniam ad Dium per medios evadere hostes; quod, nisi dii mentem regi ademissent, ipsum ingentis difficultatis erat. Nam quum Olympi radices montis paulo plus quam mille passuum [8] ad mare relinquant spatium, cujus dimidium loci occupat ostium late restagnans Baphyri amnis [9], partem planitiæ aut Jovis templum, aut oppidum tenet; reliquum perexiguum fossa modica valloque [10] claudi poterat, et saxorum ad manum silvestrisque materiæ tantum erat, ut vel murus objici, turresque excitari potuerint. Quorum nihil quum dispexisset cæcata mens subito terrore, nudatis omnibus præsidiis patefactisque bello, ad Pydnam refugit.

VII. Consul, plurimum et præsidii et spei cernens in stultitia et segnitie hostis, remisso nuntio ad Sp. Lucretium [1] Larissam, ut castella, relicta ab hoste, circa

et IX, 31, n. 7.—*Commisso;* vide ad VIII, 25, n. 2.—*Quod, nisi dii mentem regi ademissent, ipsum ingentis,* etc. Doctiss. Büttn. Obss. pag. 105, legendum censet *ademissent, et ipsum,* etc. Talem correctionem, ait, evidentissime flagitat sententiarum hæc connexio: «Inexsuperabili per Tempe itinere, non aliud, quam in Macedoniam ad Dium, patebat iter: sed id ipsum *quoque* difficillimum futurum erat, nisi regis mentem dii obcæcassent». Eo libentius hæc admittenda lectio, quod conjunctionem *et* postrema syllaba præcedentis vocis haurire potuit facillime, τῷ *ademissent* per compendium scripto *ademisset.* Ed.

8. *Paulo plus,* scil. spatii, *quam mille passuum spatium,* bene dici, nec opus esse cum Gron. legi *spatii,* vel insuper suadente Heinsio ad Vell. II, 110, n. 1, deleri τὸ *quam,* quia illud æque ellipticum sit, et Livius hanc elegantiam non ubique captet, jam monuit Drak.

9. *Baphyri amnis,* qui Dium præterlabitur. Βήφυρος dicitur Lycophr. in Cass. 274; Βαφύρας Pausan. IX, 30, et Athen. VII, 22, p. 326 (VII, 130, ed. Schweigh.). *Balyri* edd. ante Frob. a. 1535. Sed Βαλύρας est Peloponnesi fl. apud Pausan. IV, 33, § 4. Drak. — *Planitiæ* edd. antt. cui *planitie* substitutum Francof. a. 1578, et *planitiei* a Modio. *Planitia,* ut *segnitia* et al. Conf. Drak.

10. *Fossa modica valloque,* forte *vallove,* et mox *turresve.* — *Nudatis omnibus præsidiis,* h. e. omnibus locis militum præsidio vacuefactis. Ed. — *Ad Pydnam refugit,* forte *rex fugit.*

Cap. VII. 1. *Remisso nuntio ad Spurium Lucretium;* forte leg. *misso,*

Tempe occuparet, præmisso Popillio ad explorandos transitus circa Dium, postquam patere omnia in omnes partes animadvertit, secundis castris pervenit ad Dium, metarique sub ipso templo, ne quid sacro in loco violaretur, jussit. Ipse, urbem ingressus, sicut non magnam, ita exornatam publicis locis et multitudine statuarum [2], munitamque egregie, vix satis credere, in tantis rebus sine causa relictis non aliquem subesse dolum. Unum diem ad exploranda circa omnia moratus, castra movet; satisque credens paratam frumenti copiam fore, eo die ad amnem nomine Mityn processit. Postero die progressus, Agassam urbem, tradentibus sese ipsis, recepit [3]; et, ut reliquorum Macedonum animos sibi conciliaret, obsidibus contentus, sine præsidio relinquere se eis urbem, immunesque ac suis legibus victuros [4], est pollicitus. Progressus inde diei iter, ad Alcordum flumen posuit castra, et, quantum procederet longius a Thessalia, eo majorem rerum omnium inopiam sentiens, regressus ad Dium est; dubitatione omnibus exempta, quid intercluso ab Thessalia patiendum fuisset, cui procul inde abscedere tutum non esset. Perseus, contractis

et Lucretius videtur esse prætorius (vide ad XLII, 9) et ex iis, qui tribuni militum consulem sequuti erant. Conf. cap. 1 pr. — *Metarique*, forte *metatusque;* Drak. — *Sub ipso templo;* templum Jovis intellige, cujus meminit Noster sub finem cap. præcedentis. Ed.

2. *Exornatam publ. locis et multitudine statuarum*, statuis potissimum æneis occisorum in prælio ad Granicum, a Lysippo conflatis, quas Alexander M. Dii ponendas curavit, ut urbi, ab Ætolis eversæ, novum daret splendorem; confer ad Polybium, IV, 62, et Arrian. lib. I, pag. 47.

3. *Agassam urbem* Macedoniæ vel potius Thessaliæ (nam cum Æginio *Agassæ* junguntur XLV, 27 pr. ubi vid. Drak.), *tradentibus sese ipsis, recepit;* vide ad III, 47, n. 1.

4. *Immunes ac suis legibus victuros;* vide ad XXV, 16, n. 4. Mox *quanto* pro *quantum* conj. Mur. et Gron. Sed vid. III, 15, n. 1. — *Dubitatione omnibus exempta*, brevitate eleganti pro: postquam rerum statum ita omnium ante oculos posuerat, ut perspicue quisque intelligeret, *quid intercluso*, etc. Ed.

in unum omnibus copiis ducibusque, increpare præfectos præsidiorum, ante omnes Asclepiodotum atque Hippiam : ab his dicere claustra Macedoniæ tradita Romanis esse ; cujus culpæ reus nemo justius, quam ipse, fuisset. Consuli postquam ex alto conspecta classis spem fecit, cum commeatu naves venire (ingens enim caritas annonæ ac prope inopia erat), ab invectis jam portum audit, onerarias naves Magnesiæ relictas esse. Incerto inde, quidnam agendum foret (adeo sine ulla ope hostis, quæ aggravaret[5], cum ipsa difficultate rerum pugnandum erat), peropportune literæ a Sp. Lucretio allatæ sunt, castella se, quæ super Tempe essent et circa Philan, tenere[6] omnia, frumentique in iis et aliarum in usum rerum copiam invenisse.

VIII. His magnopere lætus consul ab Dio ad Philan ducit[1], simul ut præsidium ejus firmaret, simul ut militi frumentum, cujus tarda subvectio erat, divideret. Ea profectio famam haudquaquam secundam habuit; nam alii, metu recessisse eum ab hoste, ferebant, quia manenti imperatori[2] prælio dimicandum foret: alii ignarum, belli quæ in dies fortuna novaret, ut qui, offerentibus sese rebus, omisisset e manibus ea, quæ mox repeti non possent. Simul enim cessit

5. *Ope hostis, quæ aggravaret;* vide ad IV, 12, n. 3.

6. *Literæ allatæ sunt... se tenere;* vide ad VIII, 19, n. 10.

Cap. VIII. 1. *Ad Philan ducit; Philam* edidit Sigonius, quod repudiatum a sequentibus editoribus revocarunt Hearn. et Crev. Sed prima edit. et omnes ante Sigon. *Philan* servant. De verbo *ducere* vide ad I, 23, n. 4. — *Simul ut præsidium* ejus firmaret; vide supra ad librum XXI, cap. 57, not. 7.

2. *Manenti imperatori*, vox *imperatori* plane otiosa; Crever. et Duker. —Vulgatum tamen Doering. defendit, et sibi videri ait, adjectam vocem *imperatori* id, quod imperatoris fuisset, designare. Ed. — Mox *alii ignarum belli, quæque in dies f. n.* conj. Jac. Periz. — *Offerentibus sese rebus*, prospera rerum gerendarum occasione se offerente seu oblata, fortuna cœptis aspirante, favente. — *Omisisset e manibus*, forte *emisisset*, ut XXI, 48; XXVIII, 42; XXXV, 6; XXXVII, 12; Duk. Cf. tamen ad XXV, 38, n. 8. — *Simul*, pro *simul*

possessione Dii, excitavit hostem, ut nunc tandem sentiret, recuperanda esse, quæ prius culpa amissa forent. Audita enim profectione consulis, regressus Dium, quæ disjecta ac vastata ab Romanis erant, reficit: pinnas mœnium decussas reponit, ab omni parte muros firmat: deinde quinque millia passuum ab urbe citra ripam Enipei[3] amnis castra ponit, amnem ipsum, transitu perdifficilem, pro munimento habiturus. Fluit ex valle Olympi montis, æstate exiguus, hibernis idem incitatus pluviis; et supra rupes ingentes gurgitibus facit, et intra prorupta, in mare evolvendo terram, præaltas voragines cavatoque medio alveo ripas utrimque præcipites. Hoc flumine Perseus septum iter hostis[4] credens, extrahere reliquum tempus ejus æstatis in animo habebat. Inter hæc consul a Phila Popillium cum duobus millibus armatorum Heracleum mittit. Abest a Phila quinque millia ferme passuum, media regione inter Dium Tempeque, in rupe amni imminente[5] positum.

IX. Popillius, prius quam armatos muris admoveret, misit, qui magistratibus principibusque suaderent, fidem clementiamque Romanorum, quam vim,

ac; vid. III, 62, n. 4, et VI, 1, n. 4.

3. *Citra ripam Enipei amnis* Macedoniæ, qui *fluit ex valle Olympi montis*, nec longe infra Dium in mare exit. Alius *Enipeus* Thessaliæ fl. qui Pharsalum præterlabitur et in Apidanum influit. Mox cum Gronov. leg. *et supra rupem ingentes gurgites facit, et infra prorutam in mare evolvendo terram*, etc. — Ad hanc aptissimam Gronovii emendationem totum locum Doeringius distingui vult ita: *Fluit ex valle Olympi montis, æstate exiguus; hibernis idem incitatus pluviis et* (tam) *supra rupes ingentes gurgites facit, et* (quam) *infra* (sc. rupes), *prorutam in mare evolvendo terram, præaltas voragines* (repete, *facit*), etc. Scilicet, aqua supra unam vel plures rupes passim in fluminis alveo projectas cum impetu illisa, excitabat ingentes gurgites; infra rupes vero, terra dejectis aquis eruta, fiebant præaltæ voragines. Ed.

4. *Septum iter hostis*, forte *hosti;* Crev. Utrumque bene dicitur. — *Extrahere reliquum tempus;* vide ad IV, 43, n. 6.

5. *Amni imminente*, qui forte Apilas dicitur Plin. IV, 10.

experiri mallent. Nihil ea consilia moverunt, quia ignes ad Enipeum ex regis castris apparebant. Tum terra marique (et classis appulsa ab litore stabat) simul armis, simul operibus machinisque, oppugnari cœpti. Juvenes etiam quidam[1] Romani, ludicro circensi ad usum belli verso, partem humillimam muri ceperunt. Mos erat tum, nondum hac effusione inducta bestiis omnium gentium Circum complendi, varia spectaculorum conquirere genera; nec, semel quadrigis, semel desultore misso[2], vix unius horæ tempus utrumque curriculum complebat. Inter cætera sexageni ferme juvenes[3], interdum plures apparatioribus ludis, armati inducebantur. Horum inductio in

Cap. IX. 1. *Juvenes etiam quidam*, etc. conf. fragm. Polyb. XXVIII, 12, ex Suida voc. σημαία et κεραμωτόν. — *Nondum hac* (vide ad I, 5, n. 1) *effusione inducta bestiis omnium gentium Circum complendi;* Baueri nota est: « *Effusio* in spectantibus, profusio, copia immensa, apparatus largus *Circum complendi*, *effusis* in eum bestiis multis. Cic. pro Rosc. Am. 46, *quas effusiones fieri putatis?* — *Bestiis omnium gentium*, i. e. ex omni terrarum orbe, populo, conquisitis, peregrinis: nec leg. puto cum Ursino *generum*, quod præ illo languet ». Conf. et Drak.

2. *Nec, semel quadrigis, semel desultore misso*, etc. vide ad VIII, 40, n. 2, et de *desultore* ad XXIII, 29, n. 3. Nota Gron. est hæc: « Scribendum: *et sèmel quadrigis*. Non, inquit, ita multiplicabantur quadrigarum et desultorum missus, ut nunc: semel quadrigæ mittebantur, dein exhibebantur desultores; et *utrumque* horum *curriculum*, h. e. cursus (ut XLV, 33) *vix unius horæ tempus complebat*. Ut tamen producerent muneris tempus, *varia* alia *spectaculorum conquirebant genera*, in quibus erat illa testudo. *Curriculum* primæ edd. quod male Basil. 1539 mutatum in *circulum* ». Pro *nec* etiam legi posse *nam* et *ac*, jam alii monuere.

3. *Inter cætera sexageni ferme juvenes*, etc. pulchra descriptio testudinis militaris. Conf. V, 5, n. 3; simil. loc. Ammian. XXVI, 12, et Lips. Poliorc. I, 5. — *Sexagenos;* quo numero ad ordines in legionibus adspectum, qui tanti erant; nam manipulatim aut centuriatim in testudines se conglobabant, ne quis confusionem putet, aut ordinem vel hic neglectum; Lips. l. l. Sed h. l. describitur ludicri genus, ad rem militarem translatum, et *interdum plures* armati inducebantur. — *Interdum plures apparatioribus* (magnificentioribus) *ludis* recepi ex emend. Mureti (vid. XXIII, 4, n. 1). *Apparitoribus ludi* edd. primæ et recentt. *ab apparitoribus ludi* ed. Lugd. 1553, et aliæ. Saltem leg. *apparatoribus ludi*, vel *ab apparatoribus ludi*.

parte[4] simulacrum decurrentis exercitus erat; ex parte elegantioris exercitii, quam militaris artis, propiorque gladiatorium armorum usum. Quum alios decursus edidissent motus[5], quadrato agmine facto, scutis super capita densatis, stantibus primis, secundis submissioribus, tertiis magis et quartis, postremis etiam genu nisis, fastigatam, sicut tecta ædificiorum sunt, testudinem faciebant. Hinc quinquaginta ferme pedum spatio distantes duo armati procurrebant, comminatique inter se, ab ima in summam testudinem per densata scuta quum evasissent, nunc velut propugnantes per oras extremæ testudinis, nunc in media inter se concurrentes, haud secus quam stabili solo persultabant. Huic testudini simillima parti muri admota, quum armati superstantes subissent, propugnatoribus muri fastigio altitudinis æquabantur, depulsisque iis, in urbem duorum signorum milites transcenderunt. Id tantum dissimile fuit, quod, et in

Nam *apparitores* (vide ad I, 6, n. 2) ab h. l. alieni.

4. *In parte* id. qd. mox *ex parte*, ut apud Quintil. II, 8, n. 6, et X, 7, n. 25; nisi leg. *ex parte*. — *Decurrentis exercitus;* vide ad XXIII, 35, n. 3. — *Ex parte elegantioris exercitii, quam militaris artis:* expunge vocem *artis*, quæ sensum obturbat; Gron. et Crever. *Elegantioris, quam exercitii militaris, artis* conj. Periz.— *Propior g. a. usum.* Ludov. *Dorléans* ad Tacit. Ann. XII, p. 632, legit *propiorque ad gladiatorum armorum usum;* sed vid. II, 48, n. 5. Ed.

5. *Quum alios decursus edidissent motus;* vide ad XXIII, 35, n. 5. Incommodum hic voc. *motus*, etiamsi *decursus*, non *motus*, sit genit., pro quo legi possit *decoros*, aut pro *motus mox*, quod ad seqq. referatur; Bauer. *Decursus edidissent et motus*, et *decursu edidissent motus* conj. Duk. posterius etiam Doujat., Crever. et Lips. Poliorc. I, 5.—*Quadrato agmine facto;* vide ad II, 6, n. 3.—*Submissioribus*, magis inclinatis. — *Genu nisis;* vide ad XLIII, 2, n. 1.—*Fastigatam, sicut tecta ædificiorum sunt, testudinem faciebant;* τοὺς θυρεοὺς ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς ποιήσαντες συνέφραξαν, ὥστε τῇ τῶν ὅπλων πυκνότητι κεραμωτῷ καταῤῥύτῳ γίγνεσθαι παραπλήσιον, etc. Polyb. XXVIII, 12; conf. Lips. l. l. — Pro *fastigatam* annotat Hearnius *fastigiatam* ex editione Sigonii; et ita sane multi alii, inter quos Frob., Cleric. et Crev., edidere: sed vide quæ de hac voce diximus ad XXXVII, 27, n. 5. Ed.

fronte extrema, et ex lateribus, soli[6] non habebant super capita elata scuta, ne nudarent corpora, sed prætenta pugnantium more[7]. Ita nec ipsos tela ex muro missa subeuntes læserunt, et testudini injecta imbris in modum[8] lubrico fastigio innoxia ad imum labebantur. Et consul, capto jam Heracleo, castra eo promovit, tanquam Dium atque, inde submoto rege, in Pieriam etiam progressurus[9]. Sed, hiberna jam præparans, vias commeatibus subvehendis ex Thessalia muniri jubet, et eligi horreis opportuna loca, tectaque ædificari, ubi deversari portantes commeatus possent.

X. Perseus, tandem a pavore eo, quo attonitus fuerat, recepto animo, malle, imperiis suis non obtem-

6. *Et in fronte extrema, et ex lateribus soli*, i. e. soli illi milites, qui consistebant *in fronte extrema*, h. e. prima (ut *ultimus* passim, de quo vid. intpp. Nepot. Att. I, et Justin. II, 1), hujus agminis, et ex utroque ejus latere; Drak. *In fronte, extremi et ex lateribus* conj. Lips. Epist. Quæst. IV, 13, et Jac. Periz.

7. *Prætenta pugnantium more* (scuta, sc. corporibus, ut ea tegerent) recepi ex emend. Lips. Poliorc. I, quam etiam probarunt Gron. Duk. et Drak. Conf. ad X, 2, n. 3; XXXVIII, 7, n. 7; ad Tacit. Ann. II, 56, n. 2; Heins. ad Ovid. Metam. VIII, 341, XI, 511, XII, 376. Vulgatum *prætecta* haud tueberis, sive explices *texta* corpora scutis, sive per hypall. suadente Banero: scuta, quibus corpora essent tecta.

8. *Imbris in modum*; forte *imbricis*, nam cum tegulari tecto comparatur apud Suidam, κεραμωτὸν, τακτικὴ διάταξις, ὅπερ ἐποίουν Ῥωμαῖοι ἐν παιδιᾶς μέρει, *tegulare, ordinis quædam instructio*, vel fastigata testudo, speciem tecti ædificiorum referens, *genus exercitii tactici, quo Romani utebantur ut parte ludicri circensis:* sed nihil opus, et Ammianus quoque XXVI, 8, velut imbrem e tecto delabi facit tela; Lips. Epist. Quæst. IV, 15, et Poliorc. I, 5. Conf. Plut. Anton. pag. 936.

9. *Tanquam Dium, atque, inde submoto rege, in Pieriam etiam progressurus:* « Pieriam Ptol. III, 13, ab ostio quidem Lydiæ fl. extendit ad Peneum, adeoque ad eam refert Dium: sed Strabo, VII, 330, ejus terminos flumina hinc Haliacmona, inde Axium memorat, et ita Dium ipsi est extra Pieriam, ut et Heracleum. Similiter cap. 20 narrat, Perseum Pieriam tenere, et tamen consulem ad ripas Enipei castra habere. Enipeus autem medio ferme spatio est inter Peneum, terminum Pieriæ sec. Ptol., et Haliacmona, ejusdem terminum sec. Strabonem. » Drak. — *Deversari;* vide ad I, 51, n. 2.

peratum esse, quum trepidans gazam in mare dejici Pellæ, Thessalonicæ navalia jusserat incendi. Andronicus, Thessalonicam missus, traxerat tempus, id ipsum quod accidit[1], pœnitentiæ relinquens locum. Incautior Nicias Pellæ projiciendo pecuniæ[2] partem, quod fuerat nactus: sed in rem emendabilem visus lapsus esse, quod per urinatores omne ferme extractum est. Tantusque pudor regi[3] pavoris ejus fuit, ut urinatores clam interfici jusserit, deinde Andronicum quoque et Nician, ne quis tam dementis imperii conscius exsisteret. Inter hæc C. Marcius, cum classe ab Heracleo Thessalonicam profectus, et agrum pluribus locis, expositis per litora armatis, late vastavit, et procurrentes ab urbe, secundis aliquot præliis, trepidos intra mœnia compulit: jamque ipsi urbi terribilis erat, quum, dispositis omnis generis tormentis, non vagi modo circa muros, temere appropinquantes, sed etiam qui in navibus erant, saxis tormento

Cap. X. 1. *Traxerat tempus, id ipsum quod accidit*, etc. scabra oratio; forte *traxerat tempus, in id ipsum quod accidit, pœnitentiæ*, etc. cessaverat imperio fungi usque ad diem, quo diversa jussus est, spatium scil. dans regi in pœnitentiam; Gron. Sed non est quod displiceat *pœnitentiæ locum relinquens, id ipsum quod accidit*, quod quidem ipsum accidit, scil. ut regem pœniteret; Crev. Cæterum Diodorus in Exc. Peiresc. apud Vales. pag. 310, Andronicum dicit eo consilio mandata regia exsequi distulisse, quia se rem romano populo acceptam et gratam facturum existimabat; Drak.

2. *Incautior Nicias Pellæ projiciendo pecuniæ partem*, scilic. omne id, *quod fuerat nactus*. Ita hæc κατ' ἐπεξήγησιν exponenda, nec leg. cum Freinsh. ad Flor. II, 12, § 5, *quod fugerat, nactus*, vel *pecuniæ quod fuerat nactus*, neque cum Gron. *projicienda pecunia raptim, quod fugerat*, scil. iram vel indignationem Persei, *nactus*: nam sic verba seqq. non haberent, quo commode referri possent; Drak. Ad rem cf. Appian. Maced. 14 Niconem, non Niciam missum, et Phacum, non Pellam, tradit Diodor. l. l. Sed gazam regiam Pellæ servatam fuisse, jam monuit Drakenb. coll. cap. 23 et 46, et Polyb. XXIX, 3. — *In rem emendabilem visus lapsus esse*, cum Gron. leg. *in errorem*, vel cum Drak. *in re emendabili*. — *Urinatores*, qui *urinantur*, h. e. res demersas e fundo maris natando extrahunt; nos, *plongeurs*. Ed.

3. *Tantus pudor regi*, etc. conf. Appian. Maced. 14.

emicantibus percutiebantur[4]. Revocatis igitur in naves militibus, omissaque Thessalonicæ oppugnatione, Æniam inde petunt. Quindecim millia passuum ea urbs abest, adversus Pydnam posita, fertili agro. Pervastatis finibus ejus, legentes oram, Antigoneam perveniunt. Ibi, egressi in terram, primo et vastarunt agros passim, et aliquantum prædæ contulerunt ad naves. Dein palatos eos adorti Macedones, mixti pedites equitesque, fugientes effuse ad mare persequuti, quingentos ferme occiderunt, et non minus ceperunt. Nec aliud, quam ultima necessitas, quum recipere se tuto ad naves prohiberentur, animos militum romanorum, simul desperatione alia[5] salutis, simul indignitate, irritavit. Redintegrata in litore pugna est. Adjuvere et, qui in navibus erant. Ibi Macedonum ducenti ferme cæsi; par numerus captus. Ab Antigonea classis profecta, ad agrum Pallenensem exscensionem ad populandum fecit. Finium is ager Cassandrensium erat, longe fertilissimus omnis oræ, quam prætervecti fuerant. Ibi Eumenes rex, viginti tectis navibus[6] ab Elea profectus, obvius fuit; et quinque missæ a Prusia rege tectæ naves.

XI. Hac virium accessione animus crevit prætori, ut Cassandream oppugnaret. Condita est a Cassandro rege[1] in ipsis faucibus, quæ Pallenensem agrum cæteræ Macedoniæ jungunt, hinc Toronaico, hinc Mace-

4. *Saxis tormento emicantibus* (prosilientibus, ut cap. 33, n. 1, h. e. projectis) *percutiebantur*, immo *percuterentur;* Crever. — Vulgatum defendit Walch. Emend. Liv. pag. 184, coll. Nostro, XXV, 24; Sallustio, Jug. cap. 50; et Fragm. Hist. II, p. 960; quorum exempla probant non necessarium h. l. subjunctivum. Ed. — *Æniam inde*, etc. vid. XL, 4, n. 4.

5. *Desperatione alia*, alia spe præcisa.

6. *Tectis navibus;* vide ad I, 14, n. 4, et XXII, 19, n. 4.

Cap. XI. 1. *Condita est* Cassandrea *a Cassandro rege*, etc. vid. XXVIII, 8, n. 8. — *Toronaico mari;* vide ad XXVIII, 7, n. 6. — *Macedonico*

donico septa mari. Eminet namque in altum[2] lingua, in qua sita est: nec minus, quam in altum magnitudine Atho mons, excurrit, obversa in regionem Magnesiæ duobus imparibus promontoriis; quorum majori Posideum est nomen, minori Canastræum. Divisis partibus oppugnare adorti[3]: Romanus ad Clitas, quas vocant, munimenta, cervis etiam objectis[4], ut viam intercluderet, a Macedonico ad Toronaicum mare perducit. Ab altera parte euripus est: inde Eumenes oppugnabat. Romanis in fossa complenda, quam nuper objecerat Perseus, plurimum erat laboris. Ibi quærenti prætori, quia nusquam cumuli apparebant, quo regesta e fossa terra foret, monstrati sunt[5] fornices: *non ad eamdem crassitudinem, qua veterem murum, sed simplici laterum ordine, structos esse.* Consilium igitur cepit, transfosso pariete iter in urbem patefacere. Fallere autem ita se posse, si, muros a parte alia scalis adortus, tumultu injecto, in custodiam ejus loci propugnatores urbis avertisset. Erant in præsidio Cassandreæ, præter non contemnendam juventutem op-

mari, parte Ægæi, quæ Macedoniam et Thraciam attingit; vid. Plin. IV, 11 seu 18.

2. *Eminet in altum lingua;* vide ad XXII, 20, n. 8, et XXXVII, 31, n. 5. — *In altum magnitudine* tres voces additæ a sciolo, qui montem hunc præcipuæ altitudinis fuisse noverat, quum Livius potius longitudinem promontorii, quod efficit mons Athos seu Atho (vid. Schelleri Lex.), et promontorii Pallenes inter se comparasse videatur; Drak. et Duker. — *Excurrit;* vide ad XXII, 20, n. 8. — *Magnesiæ;* vid. XXXVI, 43, n. 4.

3. *Divisis partibus* copiarum *oppugnare adorti*, sc. romanus dux et Eumenes, e seqq.

4. *Cervis etiam objectis*, h. e. stipitibus ramosis, in formam cornuum cervinorum truncatis et terræ infixis, quorum cuspides, e terra exstantes et frondibus herbisve tectæ, pedes equorum hominumque lædebant: unde *cervi*, *cervuli*, *cæcum vallum* (vide ad XXXIII, 5), *stili cæci*, *stimuli* et *tribuli* dicebantur; vid. Sil. X, 413. — *Ab altera parte euripus;* fossam intellige manu factam, quæ maris aquas acciperet. Ed.

5. *Monstrati sunt fornices*, etc. vid. XXII, 36, n. 10, et XXXVI, 23, n. 2. — *Non ad eamdem crassitudinem*, etc. verba simul a monstrantibus dicta, sed obliqua oratione a Livio prolata: quod et Creverius mo-

pidanorum, octingenti Agrianes et duo millia Penestarum Illyriorum, a Pleurato inde missi [6], bellicosum utrumque genus. His tuentibus muros, quum subire Romani summa vi niterentur, momento tempore parietes fornicum perfossi urbem patefecerunt. Quod si, qui irrupere [7], armati fuissent, extemplo cepissent. Hoc ubi perfectum esse opus militibus nuntiatum est, clamorem alacres gaudio repente tollunt, aliis parte alia in urbem irrupturis.

XII. Hostes primum admiratio cepit, quidnam sibi repentinus clamor vellet. Postquam patere urbem accepere præfecti præsidii Pytho et Philippus, pro eo, qui occupasset aggredi [1], opus factum esse rati, cum valida manu Agrianum Illyriorumque erumpunt, Romanosque, qui alii aliunde coibant convocabantur-

nuit. Itaque non est, quod cum Gronovio legas *monstratum est, fornices non*, etc. aut cum Turnebo *qua vetus murus... structi*, aut cum Drakenb. *monstrarunt*. — Cæterum rei brevius descriptæ obscuritatem Crev. hunc in modum illustrat: « Quærebat prætor, quo regesta e fossa terra esset. Monstrati sunt fornices, dictumque illos structos esse e terra quam e fossa egesserant, in lateres cocta. Quod ut probarent ii, qui prætorem tota de re commonefaciebant, observabant, illos fornices aliter structos esse ac veterem murum urbis, nec proinde eodem tempore. Fossa autem nuper demum objecta fuerat a Perseo. Quum igitur fossa esset recens facta, fornices item recens facti, hoc argumento aliquatenus dicta firmabant. Prætori e re natum est consilium, ut fornicum parietes, simplici laterum ordine structos, quod facile factu erat, transfoderet, atque sic ibi iter in urbem patefaceret ». Ed.

6. *A Pleurato inde missi*, e regione Penestarum: Doujat. *Deinde* conjicit Crev. et *eodem missi* vel *missa* Gron. Sed forte ex XLIII, 23 leg. *et mille ac ducenti (MCC* pro *MM) Penestarum Illyriorum, a Perseo inde* (ut XLIII, 23, *ex Penestarum gente*) *missi*. — Jubet Walch. pag. 263, emendari *a Pleurato intromissi*, quod quidem a vestigiis literarum minime abhorrere ait, et non esse a Livii usu alienum. De qua voce laudat IX, 13; XXXI, 26; XXXVIII, 4 et 5; XLII, 36. Non hanc Walchii conjecturam improbat Büttn. Obss. pag. 106. Ed.

7. *Qui irrupere;* nullos irrupisse, ex cap. seq. satis constat, neque inermes id fuissent ausi: forte leg. *qui irrumperent*, hoc sensu: si præsto fuissent armati, qui irrumperent; Jac. Periz. Minus probabiles aliorum emendationes *qui perfodere, qui perrupere* (i. e. perfodere), et *quod si qui irrumpere armati ausi fuissent.*

Cap. XII. 1. *Qui occupasset aggre-*

que, ut signa in urbem inferrent, incompositos atque inordinatos fugant persequunturque ad fossam; in quam compulsos ruina cumulant. Sexcenti ferme ibi interfecti, omnesque prope, qui inter murum fossamque deprehensi erant, vulnerantur. Ita suo ipse conatu perculsus [2] prætor, segnior ad alia factus consilia erat; et ne Eumeni quidem, simul a mari, simul a terra aggredienti, quidquam satis procedebat. Placuit igitur utrique, custodiis firmatis, ne quod præsidium ex Macedonia intromitti posset, quoniam vis aperta non processisset, operibus mœnia oppugnare. Hæc parantibus his, decem regii lembi, ab Thessalonica cum delectis Gallorum auxiliaribus missi, quum in salo stantes hostium naves conspexissent, ipsi, obscura nocte, simplici ordine, quam poterant proxime litus tenentes [3], intrarunt urbem. Hujus novi præsidii fama absistere oppugnatione simul Romanos regemque coegit. Circumvecti promontorium, ad Toronem classem appulerunt. Eam quoque oppugnare adorti, ubi valida defendi manu animadverterunt, irrito incepto Demetriadem petunt. Ibi quum appropinquantes repleta mœnia armatis vidissent, prætervecti ad Iolcon classem appulerunt, inde, agro vastato, Demetriadem quoque aggressuri.

XIII. Inter hæc et consul, ne segnis sederet tantum in agro hostico, M. Popillium cum quinque millibus militum ad Melibœam urbem oppugnandam mittit. Sita est in radicibus Ossæ montis, qua parte

di; vid. I, 14, n. 3. — *Ruina cumulant,* ingenti strage, ubi alter super alterum cadebat, fundunt. Supra, V, 43, *ex superiore loco... strage et ruina fudere Gallos.* Ed.

2. *Suo ipse c. perculsus;* vid. II, 14, n. 2.—*In salo,* i. e. alto mari. Ed.

3. *Proxime litus tenentes;* vide supra ad I, 1, n. 8. — *Eam quoque oppugnare adorti;* malit Doering. cum Drak. *adorsi.* Vide quæ exponit Drak. ad XLIII, 18, § 7. Ed. — *Iolcon,* in Magnesia, hodie vicum, nomine *Iaco.* Ed.

in Thessaliam vergit, opportune imminens super Demetriadem[1]. Primus adventus hostium perculit incolas loci : collectis deinde ex necopinato pavore animis, discurrunt armati ad portas ac mœnia, qua suspecti aditus erant, spemque extemplo[2] inciderunt, capi primo impetu posse. Obsidio igitur parabatur, et opera oppugnationum fieri cœpta. Perseus, quum audisset, simul Melibœam a consulis exercitu oppugnari, simul classem Iolci stare, ut inde Demetriadem aggrederetur, Euphranorem quemdam ex ducibus cum delectis duobus millibus Melibœam mittit. Eidem imperatum, ut, si a Melibœa submovisset Romanos, Demetriadem prius occulto itinere intraret, quam ab Iolco ad urbem castra moverent Romani. Et ab oppugnatoribus Melibœæ, quum in superioribus locis repente apparuisset, cum trepidatione multa relicta opera sunt, ignisque injectus. Ita a Melibœa abscessum est. Euphranor, soluta unius urbis obsidione, Demetriadem extemplo ducit. Nec tum mœnia modo, sed agros etiam confiderunt[3] se a populationibus tueri posse : et eruptiones in vagos populatores non sine vulneribus hostium factæ sunt. Circumvecti tamen mœnia sunt prætor et rex, situm urbis contemplantes, si qua parte tentare aut opere aut vi possent. Fama fuit, per Cydantem Cretensem[4] et Antimachum, qui Demetriadi præerat, tractatas inter Eumenem et Persea conditiones amicitiæ. Ab Demetriade certe abs-

Cap. XIII. 1. *Opportune imminens super Demetriadem;* vide ad I, 2, n. 3; III, 51, n. 3; XXXI, 46, n. 4. An *imminentis?*

2. *Spemque extemplo inciderunt;* vide ad III, 10, n. 9.

3. *Agros etiam confiderunt,* etc. sc. Euphranor et Perseus. *Confiderunt* pro *confisi sunt,* ut *diffidit* apud Quintil. Declam. 287. — Æque dici posse *confidi* ac *confisus sum* ex uno hoc loco tentat probare Vossius, Gramm. V, 26. Ed. — *Prætor et rex,* C. Marcius et Eumenes.

4. *Per Cydantem Cretensem;* conf. ad cap. 24, et ad XXXIII, 3, n. 6.

cessum est. Eumenes ad consulem navigat; gratulatus, quod prospere Macedoniam intrasset, Pergamum in regnum abit. Marcius Figulus prætor, parte classis in hiberna Sciathum missa, cum reliquis navibus Oreum Bœotiæ[5] petit, eam urbem aptissimam ratus, unde exercitibus, qui in Macedonia, quique in Thessalia erant, mitti commeatus possent. De Eumene rege longe diversa tradunt. Si Valerio Antiati credas, nec classe adjutum ab eo prætorem esse, quum sæpe eum literis arcessisset, tradit; nec cum gratia ab consule profectum in Asiam, indignatum, quod, ut iisdem castris tenderet, permissum non fuerit: ne ut equites quidem Gallos, quos secum adduxerat, relinqueret, impetrari ab eo potuisse: Attalum fratrem ejus et remansisse apud consulem, et sinceram ejus fidem æquali tenore[6] egregiamque operam in eo bello fuisse.

XIV. Dum bellum in Macedonia geritur, legati Transalpini ab regulo Gallorum (Balanos ipsius traditur nomen; gentis, ex qua fuerit, non traditur), Romam venerunt, pollicentes ad Macedonicum bellum auxilia. Gratiæ ab senatu actæ, muneraque missa, torquis aureus duo pondo[1], et pateræ aureæ quatuor pondo, equus phaleratus, armaque equestria. Secun-

— *Gratulatus*, forte *gratulatusque*; aut *gratulatum* vel *gratulaturus, quod p. M. intrasset; Pergamum inde in regnum abit*; Drak. Potest etiam post *navigat* addi *et*, aut vulgatum servari.

5. *Oreum Bœotiæ*, forte *Oreum Eubœæ*; aut *Oropum Bœotiæ*; Gronov. Illud præferendum tum propter opportunum loci situm, tum quia Cn. Octavius, Marcii prætoris successor, *Oreum ad classem venit*; cf. cap. 30 pr. *Oreum Bœtiæ* MS quod ex *Oreū Eubœæ* factum est.

6. *Æquali tenore*, continuatione; vide ad V, 5, n. 5.

Cap. XIV. 1. *Torquis aureus duo pondo*, Gronov. de Pec. Vet. I, 7, p. 36, emend. *duapondo*. *Duapondo* autem et *trepondo*, quorum vocab. meminit Quintil. Instit. Orat. I, 5, putat pro *duas pondo* et *tres pondo* dici, intellecta voce *libras*. Cf. XXX, 21, n. 1. Ed. — *Duo pondo* æstimat Crever. tribus marcis nostratibus, uncia una; *quatuor pondo* sex marcis, unciis duabus. Ed. — *Equus phaleratus*; vide ad IX, 46, n. 16.

dum Gallos Pamphyli legati[2] coronam auream, ex viginti millibus Philippeorum factam, in curiam intulerunt, petentibusque iis, ut id donum in cella Jovis Optimi Maximi ponere, et sacrificare in Capitolio liceret, permissum: benigneque amicitiam renovare volentibus legatis responsum, et binum millium æris singulis missum munus. Tum ab rege Prusia, et paulo post ab Rhodiis, de eadem re longe aliter disserentes legati auditi sunt. Utraque legatio de pace reconcilianda cum rege Perseo egit. Prusiæ preces magis, quam postulatio, fuere, profitentis, *et ad id tempus se cum Romanis stetisse*[3], *et, quoad bellum foret, staturum. Cæterum quum ad se a Perseo legati venissent de finiendo cum Romanis bello, et iis pollicitum deprecatorem apud senatum futurum; petere, si possent inducere in animum, ut finiant iram, se quoque in gratia reconciliatæ pacis posse uti.* Hæc regii legati. Rhodii, superbe commemoratis erga populum

2. *Pamphyli legati*, etc. qui status Pamphyliæ hoc tempore ac deinde fuerit, Noris. Cenot. Pis. II, 11 exponit; Duk. — *Coronam auream, ex XX millibus Philippeorum*, aureorum, ut videtur, *factam*, h. e. eorum pretium æquantem: sed sic corona populi neque magni neque divitis pretio longe superabit eas, quas alii obtulerunt (conf. ad XXXII, 27; XXXVI, 35; XLIII, 6): quare forsan leg. *ex X* vel potius *ex II millibus P.*; Drak. — Viginti millia nummorum Philippeorum redire ait Crev. ad 400 libras romanas pondo, marcas nostrates 625. Mox summam *binum millium æris* idem æquiparat marcis argenti 3, cum uncia 1. Ed.

3. *Se cum Romanis stetisse*; vide ad VIII, 34, n. 1. — *Se quoque in gratia reconciliatæ pacis posse uti*, Romanos quoque se et opera sua uti in tali re et in concilianda pace, aut nunc, aut alio tempore, posse, quemadmodum nunc Perseus utatur; Ern. Idem vero jungit alio loco *petere, se posse*, dictumque putat pro *se petere, ut possit*. Conf. XXXVII, 49, n. 1. Nota Gron. est: « Hic quoque infuscati aliquid. Non dubium tamen legendum *et petere*, si integra, quæ præcedunt, nec fuerunt: *se iis pollicitum d. a. s. f. petere*. Istorum *se quoque*, etc. sensum video: se quoque admitti inter pacificatores posse, et partem gratiæ in reconciliata pace ferre. Hæreo nonnihil in verbis. Poesis: *se quoque in gratia r. pacis uti ponerent*; ut *ponere aliquem in gratia* vel *gratiam* pro: alicujus apud aliquem erga ipsum aut pro eo studium commemorare, et ita efficere eum apud alterum gra-

romanum beneficiis, et pæne victoriæ, utique de Antiocho rege, majore parte ad se vindicata [4], adjecerunt: *Quum pax inter Macedonas Romanosque esset, sibi amicitiam cum rege Perseo cœptam. Eam se invitos, nullo ejus in se merito, quoniam ita Romanis visum sit in societatem se belli trahere, interrupisse. Tertium se annum multa ejus incommoda belli sentire; mari intercluso, inopia insulam premi, amissis maritimis vectigalibus atque commeatibus* [5]. *Quum id ultra pati non possent, legatos alios ad Persea in Macedoniam misisse, qui ei denuntiarent, Rhodiis placere, pacem eum componere cum Romanis: se Romam eadem nuntiatum missos. Per quos stetisset* [6], *quo minus belli finis fieret, adversus eos quid sibi faciendum esset, Rhodios consideraturos esse.* Ne nunc quidem hæc sine indignatione legi audirive posse, certum habeo. Inde existimari potest [7], qui habitus animorum audientibus ea Patribus fuerit.

XV. Claudius, nihil responsum, auctor est; tantum senatusconsultum recitatum, quo Caras et Ly-

tiosum, apud Cic. ad Attic. II, 25, V, 3, 11, VI, 1, 6; ad Div. II, 25. Possis etiam: *se quoque gratia* vel *ea gratia r. p. posse uti;* ut *ambitione uti* apud Cic. ad Div. V, 20, et alia, quæ memoravi de Pec. Vet. III, 17, pag. 254 ». — Vult Doering. deleri præpositionem *in* ante *gratia*, quam Pithœus quoque delendam censebat, et hunc locum sic emendatum explicat ita: *petere, ut finiant iram, si possent inducere in animum* (si id ab animo suo impetrare possent); quod si fiat, *se quoque uti posse pacis reconciliatæ gratia* (se quoque posse ex pacis reconciliatæ beneficio et jucunditate usum capere). Ed.

4. *Victoriæ, utique de Antiocho, majore parte ad se vindicata;* vett. edd. *a se vindicata,* sed male: vide ad II, 30, n. 1; III, 20, n. 2, et VI, 35, n. 4. Ad hæc et seqq. conf. Polyb. XXVIII, 15, et XXIX, 4.

5. *Mari intercluso, inopia insulam premi... commeatibus:* hinc Rhodii omnibus legatis hoc bello Romam missis mandarunt, ut frumenti exportandi facultatem a senatu impetrare conarentur; Drakenb. Conf. Polyb. XXVIII, 2 et 14.

6. *Per quos stetisset*, etc. vide ad II, 31, n. 7.

7. *Inde existimari potest;* vide ad IV, 15, n. 1.

cios[1] liberos esse juberet populus romanus, literasque extemplo ad utramque gentem * scirent indicatum mitti : qua audita re, principem legationis, cujus magniloquentiam vix curia paulo ante ceperat, corruisse. Alii responsum esse tradunt, *Populum romanum et principio hujus belli haud vanis auctoribus compertum habuisse, Rhodios cum Perseo rege adversus rempublicam suam occulta consilia inisse; et, si id ante dubium fuisset, legatorum paulo ante verba ad certum redegisse*[2]; *et plerumque ipsam se fraudem, etiamsi initio cautior fuerit, detegere. Rhodios nuntio in orbe terrarum arbitria belli pacisque agere*[3]. *Deorum nutu arma sumpturos positurosque Romanos esse. Jam non deos fœderum testes, sed Rhodios ha-*

Cap. XV. 1. *Caras et Lycios*, qui Rhodiis olim a Romanis attributi fuerant et ab iis crudeliter habiti. Conf. ad XXXVII, 55, 56; XXXVIII, 39; XLI, 6, 25; XLII, 14. SCtum, quo libertas iis concessa, serius editum tradit Polyb. XXX, 5, § 12; conf. inf. XLV, 22 et 25. Mox ante *scirent* excidit *ut*, judice Sigonio. Potius *ut Rhodii scirent indicatum* id iis esse; forte et pro *mitti* leg. *missas*, scil. esse Claudius auctor est. Sed neque hæc satis probabilia sunt, neque conjectura Crever. et Drak. *ad u. gentem et senatusconsultum* vel *senatusque consultum mitti*. — Pro *scirent*, scribendum Doering. suspicatur *placeret*, sc. populo romano, *indicatum*, sc. utrique genti. Ed.

2. *Si id ante* (forte *adhuc*; Gron.) *dubium fuisset, legatorum verba ad certum redegisse*; vid. sup. ad XLI, 23, n. 11.

3. *Rhodios nuntio in orbe terrarum arbitria belli pacisque agere*; vide ad XXIV, 45, n. 3: nuntio per orbem terrarum misso, Crev. coll. Cic. leg. Man. 5, mandato ad populos bellum gerentes misso; Scheller in Lex. Idem conj. *nunc jam*; Periz. et Ern. *nunc*; Gron. *nuntiis*, ut ita per contemptum appellentur legati. At Drak. putabat rideri confidentiam Rhodiorum, qui sibi persuadere possint, se *nuntio* vel *nuntiis* impetraturos, quod exercitibus obtinendum foret. Id probat Schæfer, cui aptior videtur singularis, quum angeat contemptus acerbitatem. Displicet quidem ratio hæc Ernestio, quia Romani et ipsi per legatos seu internuntios talia tentarint. Quod vero juris sibi arrogabant Romani, non aliis concedebant. Mox malim: *Deorum nutu arma sumpta ac posita usque Romanis esse: jam non deos fœderum testes, sed Rhodios habituros.* Quod σαρκαστικῶς dictum. *Eorum* vel *Rhodiorum nutu arma sumpturos p. r. esse* conj. Jac. Periz. et Crev. prob. Drak. — Buttn. Obss. pag. 107, et Frid. Jacobs. apud Goell. pag. 393, horum emendationes probant omni-

bituros. Itane tandem iis pareatur[4], *exercitusque de Macedonia deportentur? Visuros esse, quid sibi faciendum sit. Quid Rhodii visuri sint, ipsos scire. Populum certe romanum, devicto Perseo, quod prope diem sperent fore, visurum, ut pro meritis cujusque in eo bello civitatis gratiam dignam referat.* Munus tamen legatis in singulos binum millium æris missum est; quod ii non acceperunt.

XVI. Literæ deinde recitatæ Q. Marcii consulis sunt, *Quemadmodum, saltu superato, in Macedoniam transisset: ibi et ex aliis locis commeatus a prætore prospectos*[1] *in hiemem habere, et ab Epirotis viginti millia modium tritici, decem hordei sumpsisse: ut pro eo frumento pecunia Romæ legatis eorum curaretur. Vestimenta militibus ab Roma mittenda esse: equis*

no, et addit Jacobs. qui *Rhodiorum* pro *deorum* legit, ejusdem nominis repetitione triplici jam sic usum Livium, I, 28, med. *Mettus ille est ductor itineris hujus; Mettus idem hujus machinator belli; Mettus fœderis Albani Romanique ruptor.* Ed.

4. *Itane tandem iis pareatur,* etc. in his verbis se vix commodum videre sensum, profitentur Duk. et Drakenb. Non male conj. Crev. *Itane tandem? Ni pareatur exercitusque de Macedonia deportentur, visuros esse, quid sibi faciendum sit?* Ultima verba ex oratione Rhodiorum desumpta hic per irrisionem repeti monet. — Nollet Battn. Obss. p. 107, conjectura Creverius tentasset locum, cui ad sanitatem nihil deesse videtur præter sanam interpretationem. Explicat igitur vir ille doctus: « Penes unos videlicet Rhodios nunc belli pacisque arbitrium esse: illorum adeo nutu Romanis bellandum et quiescendum fore; jam desiisse deos fœderum testes esse Romanis, Rhodios ipsis dehinc habendos fœderum testes. Nam sic denique futurum, ut satis pareant illis Romani, et de Macedonia deportent exercitus. Visuros nimirum Rhodios esse quid sibi faciendum sit! Quid illi visuri sint, ipsos nosse. Romanum certe populum visurum, ut pro suis cujusque civitatis in eo bello meritis dignam gratiam referat ». Ed.

Cap. XVI. 1. *Commeatus a prætore prospectos,* ita pro *c. rempublicam prospectos* recte, puto, legitur ex emend. Sigon. De eo quidem admodum dubitat Drak. quia ex cap. 7 pateat, spem consuli factam, classem prætoris ex alto conspectam cum commeatu venire, eum fefellisse, et ex cap. 9 commeatus terrestri potius itinere ad hiberna consulis subvectos esse. Sed hæc dubia tolluntur verbis cap. 13: *Marcius Figulus prætor Oreum Eubœæ petit, eam urbem aptissimam ratus, unde exercitibus, qui in Macedonia quique in Thessalia*

ducentis ferme opus esse[2], *maxime Numidis : nec sibi in his locis ullam copiam esse.* Senatusconsultum, ut ea omnia ex literis consulis fierent, factum est. C. Sulpicius prætor sex millia togarum, triginta tunicarum, et equos deportanda in Macedoniam, præbendaque arbitratu consulis locavit, et legatis Epirotarum pecuniam pro frumento solvit; et Onesimum, Pythonis filium, nobilem Macedonem, in senatum introduxit. Is pacis semper auctor regi fuerat, monueratque, sicut pater ejus Philippus institutum usque ad ultimum vitæ diem servabat, quotidie bis in die fœderis icti cum Romanis perlegendi[3], ut eum morem, si non semper, crebro tamen usurparet. Postquam deterrere eum a bello nequiit, primo subtrahere sese per alias atque alias causas, ne interesset iis, quæ non probabat, cœpit : postremo, quum suspectum se esse cerneret, et proditionis interdum crimine insimulari, ad Romanos transfugit : magno usui consuli fuit[4]. Ea introductus in curiam quum memorasset, senatus in formulam sociorum eum referri jussit : locum, lautia

erant, mitti commeatus possent. — *Viginti millia modium*, fieri ait Crever. modios parisienses plus 15,416; *decem millia*, 7,708. Ed.

2. *Equis CC ferme opus esse*, forte *equis M.*; Manut. Sed agitur tantum de supplemento equorum, *maxime Numidarum*; Drak. — *Sex millia togarum*, forte *sagorum*. Sed vide ad XXIX, 3, n. 2. — *Locavit*; vide ad V, 23, 6. — *Is pacis semper auctor regi fuerat*; antea legebatur *regis*, quod emendavit Sigon. cui debetur quod nunc exhibemus. Ed.

3. *Sicut pater ejus Philippus... servabat* (forte *servasset*) *quotidie..... perlegendi*, sc. ut semper ejus memor esset. *Quotidie bis in die*, forte leg. *in diem* seu *dies*, et del. *quotidie*, quod ex interpretatione, margini adscripta, natum videtur; Drak. — Clariss. vir Kreyssig. apud Goellerum, contendit, pag. 486, hic legendum esse: *quotidie bis indicem fœderis*, etc. e quo sane facillime vulgatum nasci potuit; locutionem vero *index fœderis* libellum denotare qui summa fœderis capita continet. Eodem fere sensu nomen *index* occurrit apud Ciceronem, in cujus Phil. I, 8 *index legis* est, quod *summarium* vulgari sermone dicitur. Ed.

4. *Magno usui consuli fuit* ed. pr. Proxima et seqq. usque ad Gron. *magnoque*. Ita, aut *et magno*, legendum videtur; Drak. — *In formulam socio-*

præberi[5] : agri Tarentini, qui publicus populi romani esset, duçenta jugera dari, et ædes Tarenti emi. Uti ea curaret, C. Decimio prætori mandatum. Censores censum Idibus Decembribus, severius quam ante, habuerunt : multis equi adempti, inter quos P. Rutilio, qui tribunus plebis[6] eos violenter accusarat : tribu quoque is motus, et ærarius factus. Ad opera publica facienda quum eis dimidium ex vectigalibus ejus anni attributum[7] ex senatusconsulto a quæstoribus esset; Ti. Sempronius ex ea pecunia, quæ ipsi attributa erat, ædes P. Africani pone Veteres ad Vortumni signum, lanienasque et tabernas conjunctas in publicum emit, basilicamque faciendam curavit, quæ postea Sempronia appellata est.

XVII. Jam in exitu annus erat, et propter Macedonici maxime belli curam in sermonibus homines habebant[1], quos in annum consules ad finiendum tandem id bellum crearent. Itaque senatusconsultum factum est, ut Cn. Servilius primo quoque tempore ad comitia habenda veniret. Senatusconsultum Sulpicius prætor ad consulem * post paucos dies recitavit, qui-

rum referri; vide ad XXVI, 24, n. 5.

5. *Locum, lautia præberi;* vide ad XXVIII, 39, n. 8.

6. *Censores censum..... severius quam ante habuerunt... P. Rutilio, qui trib. pl.*, etc. conf. XLIII, 16, et ad XLV, 15, n. 8. — *Tribu is motus et ærarius factus*, vid. IV, 24, n. 5.

7. *Dimidium ex vectigalibus ejus anni attributum*, etc. vide ad XXIV, 18, n. 12, et XL, 46, n. 10.—*Ædes P. Africani pone Veteres*, non curias (vid. Lips. ad Tacit. Ann. XII, 24), sed tabernas (vid. sup. III, 27, n. 3), *ad Vortumni* seu *Vertumni signum*, ad forum rom. vel circum max. conf. Cic. Verr. I, 59; Colum. X, 308; Horat. Epist. I, 20, v. 1. — *Lanionasque et tabernas;* vide ad III, 27, n. 3.—*In publicum emit;* vide ad II, 9, n. 4, et XXXIX, 44, n. 5.

Cap. XVII. 1. *In sermonibus homines habebant;* vide ad XXVI, 29, n. 2. — *SCtum Sulpicius prætor ad consulem* misit, et receptas ab eo literas *post paucos dies* (in senatu) *recitavit, quibus ante diem* (hic deest numerus diei et nomen mensis) significabat *in Urbem venturum;* Gronov. Plura deesse post *recitavit*, ex verbis *comitia eo die, qui dictus erat, sunt perfecta*, colligo, hoc aut simili modo supplenda : *quibus in ante diem... comitia edici jussit : se ante id tempus*

bus ante diem ** in Urbem venturum. Et consul maturavit, et comitia eo die, qui dictus erat, sunt perfecta. Consules creati L. Æmilius Paullus iterum, septimo decimo anno[2] postquam primo consul fuerat, et C. Licinius Crassus. Prætores postero die facti Cn. Bæbius Tamphilus, L. Anicius Gallus, Cn. Octavius, P. Fonteius Balbus, M. Æbutius Elva, C. Papirius Carbo. Omnia ut maturius agerentur, belli Macedonici stimulabat cura. Itaque designatos extemplo sortiri placuit provincias[3], ut, utri Macedonia consuli, cuique prætori classis venisset, sciretur; ut jam inde cogitarent pararentque, quæ bello usui forent, senatumque consulerent, si qua re consulto opus esset. *Latinas, ubi magistratum inissent, quod per religiones posset, primo quoque tempore fieri placere; neque consulem, cui eundum in Macedoniam esset, teneri.* His decretis, consulibus Italia et Macedonia, prætoribus, præter duas jurisdictiones in Urbe, classis et Hispania et Sicilia et Sardinia provinciæ nominatæ sunt. Consulum Æmilio Macedonia, Licinio Italia eve-

in Urbem venturum; Drakenb. Conf. ad XXII, 23.

2. *Septimo decimo anno;* scribendum *quarto decimo* monet Sigonius; tot enim annos numerari a priori consulatu Paulli ad posteriorem. Error ex notis numerorum emanavit *XIIII* et *XVII*, duo *II* et *V* mutatis. Crev. *vel decimo quarto*, vel, si ambo extremi anni numerentur, *decimo quinto* legendum putat. Livium interdum utrumque annum extremum, interdum unum, interdum nullum numerasse observavit Drakenb. ad XLII, 10, § 5; utrum igitur eum hic fecisse statuendum, arbitrarium esse putat idem vir doctus. Satius tamen videtur Sigonio assentiri, ut ita pateat, quo casu librarius a vera lectione aberrans numerum vitiarit. Ed.

3. *Designatos sortiri placuit provincias*, etc. at Plut. in Æmilio Paullo, p. 260, tradit, ei Macedoniam sine sorte decretam fuisse. — *Cui prætori classis venisset;* vide ad IX, 12, n. 1. — *Latinas, ubi magistratum inissent, quod*, quoad, *per religiones posset* fieri, *primo*, etc. vide ad I, 45, n. 2; V, 12, n. 6, et XXVI, 32, n. 3. — *Consulibus Italia*, qua etiam comprehendi Galliam Cisalpinam, ex XLV, 12 et 17 patet; Drak. Conf. ad XLIII, 1, n. 4. — *Provinciæ nominatæ;* vide ad XXI, 17, n. 1.

nit. Prætores Cn. Bæbius urbanam, L. Anicius peregrinam, et si quo senatus censuisset[4], Cn. Octavius classem, P. Fonteius Hispaniam, M. Æbutius Siciliam, C. Papirius Sardiniam est sortitus.

XVIII. Extemplo apparuit omnibus, non segniter id bellum L. Æmilium gesturum; præterquam quod alius vir erat, etiam quod dies noctesque intentus ea sola, quæ ad id bellum pertinerent, animo agitabat. Jam omnium primum a senatu petit[1], ut legatos in Macedoniam mitterent ad exercitus visendos classemque, et comperta referenda, quid aut terrestribus aut navalibus copiis opus esset: præterea ut explorarent copias regias, quantum possent, quaque provincia nostra, qua hostium foret; utrum intra saltus castra Romani haberent, an jam omnes angustiæ exsuperatæ, et in æqua loca pervenissent: qui fideles nobis socii, qui dubii suspensæque ex fortuna fidei[2], qui certi hostes viderentur: quanti præparati commeatus, et unde terrestri itinere, unde navibus supportarentur: quid ea æstate terra marique rerum gestarum esset[3]: ex his bene cognitis certa in futurum consilia capi posse ratus. Senatus Cn. Servilio consuli negotium dedit, ut is in Macedoniam, quos L. Æmilio videretur, legaret. Legati biduo post profecti, Cn. Do-

4. *Et si quo senatus censuisset;* vide ad XXVII, 22, n. 2.

Cap. XVIII. 1. *Jam omnium primum a senatu petit,* potius *petiit;* Duker. et Drak. — *Quaque* parte *provincia nostra,* h. e. in nostra potestate, *foret* Macedonia; Drak.

2. *Suspensæ ex fortuna fidei;* vide ad IV, 32, n. 1.

3. *Quid... rerum gestarum esset,* forte *gestum;* Gronov. — Doujatius *quid rerum gestarum* exponit, quæ res gestæ. Jac. Periz. vulgatum illustrat adscripto loco Livii ex XXXVII, 23; *extremo agmini loci nihil ad terram relicti erat.* Magis tamen probat Drak. Gronovii emendationem. Ita *nihil relictum esse virium,* non *nihil relictarum,* II, 57. Ed. — *Quos L. Æmilio videretur, legaret;* vide ad I, 29, n. 4. Non autem *legati* h. l. sunt imperatorum in bello, ad quos Lips. de Mil. Rom. II, 2, hoc refert; Duk. Conf. cap. 20.

mitius Ahenobarbus, A. Licinius Nerva, L. Bæbius. Bis in exitu anni ejus lapidatum esse nuntiatum est in Romano agro, simul in Veientibus[4]. Novemdiale sacrum factum est. Sacerdotes eo anno mortui sunt, P. Quintilius Varus, flamen Martialis, et M. Claudius Marcellus decemvir; in cujus locum Cn. Octavius suffectus. Et jam magnificentia crescente notatum est, ludis Circensibus P. Cornelii Scipionis Nasicæ et P. Lentuli ædilium curulium sexaginta tres Africanas[5] et quadraginta ursos et elephantos lusisse.

XIX. L. Æmilio Paullo, C. Licinio consulibus, Idibus Martiis, principio insequentis anni, quum in exspectatione Patres fuissent, maxime quidnam consul de Macedonia, cujus ea provincia esset, referret; *nihil se habere*, Paullus, *quod referret, quum nondum legati redissent*, dixit. *Cæterum Brundisii legatos jam esse, bis ex cursu Dyrrachium ejectos*[1]. *Cognitis mox, quæ nosci prius in rem esset, relaturum: id fore intra perpaucos dies. Et, ne quid profectionem suam teneret, pridie Idus Aprilis Latinis esse constitutam*[2] *diem.*

4. *Nuntiatum est, lapidatum esse* (vide ad XXVII, 37, n. 1) *in Romano agro, simul in Veientibus*, forte *nuntiatum est, in romano agro simul et in Veientibus*, vel *nuntiatum est in romano agro, semel in Veientibus*, Gronov. *Simul in Veienti. Bis, novemdiale*, etc. emend. Jac. Gron. Cf. Duk. et Drak. Delevi distinctionem post *nuntiatum est*.

5. *LXIII Africanas* feras, pantheras et pardos. Conf. Plin. VIII, 17, n. 23; intpp. Suet. Calig. 18, et Petron. Sat. cap. 35; Bocharti Hist. Anim. I, 3, n. 7. — *XL ursos et elephantos*, numerum elephantorum excidisse, putabat Pigh. — *Lusisse*, in ludis exhibitos esse. Intelligenda videtur venatio facta in Circo, vel pugna bestiarum inter se. Ed.

Cap. XIX. 1. *Bis ex cursu Dyrrhachium ejectos*; vide ad XXI, 49, n. 3. — *Quæ nosci prius in rem esset*; vide ad I, 27, n. 5.

2. *Pridie Idus Aprilis* (forte *Aprileſ*) *Latinis esse c. d.* vide ad I, 45, n. 2; *pridie Cal. Apr.* ex cap. 22, et ex fragmento Actorum S. P. Q. R. corrigunt Pigh. in Ann. ad a. 585, et Dodwell. in Append. Præl. Camd. p. 682. Sed nullo argumento ex Livio ipso ostendi posse, uter locus sit corruptus, et fragmenti Actorum nullam esse auctoritatem (conf. Wessel. Probab. II, 39, et Ernesti Opusc. Philol. et Crit. pag. 45 seq. qui illud ab im-

Sacrificio rite perfecto[3], *se et Cn. Octavium, simul senatus censuisset, exituros esse. C. Licinio collegæ suo fore curæ, se absente, ut, si qua parari mittive ad id bellum opus sit, parentur mittanturque. Interea legationes exterarum nationum audiri posse.* Sacrificio rite perfecto, primi Alexandrini, legati ab Ptolemæo et Cleopatra regibus, vocati sunt. Sordidati, barba et capillo promisso[4], cum ramis oleæ ingressi curiam, procubuerunt; et oratio, quam habitus, fuit miserabilior. Antiochus Syriæ rex, qui obses Romæ fuerat, per honestam speciem majoris Ptolemæi[5] reducendi in regnum, bellum cum minore fratre ejus, qui tum Alexandriam tenebat, gerens, et ad Pelusium navali prælio victor fuerat, et, tumultuario opere ponte per Nilum facto, transgressus cum exercitu, obsidione ipsam Alexandriam terrebat; nec procul abesse, quin potiretur regno opulentissimo, videbatur. Ea legati querentes orabant senatum, ut opem regno regibusque amicis imperio ferrent. *Ea merita populi romani*

postore aliquo confictum esse docent), nec quidquam aliud ex eo probari posse, quam auctorem illius apud Liv. cap. 22, legisse *pridie Cal. Apr.*, docet Duker. Consules diem Latinis prætulisse, suspicabatur Sigon. Id vero si factum fuisset, æque Livius monuisset, ac fecit XXXIX, 5, de triumpho M. Fulvii; Drakenb. — *Sacrificio rite perfecto;* vide ad I, 45, n. 2, et cf. inf. cap. 22 extr. — *Simul senatus censuisset;* vide ad III, 62, n. 4.

3. *Sacrificio rite perfecto*, non Latinarum, ut paulo ante, sed solenni sacro, quod consules suscipiebant inceuntes, ante quam de rep. referrent aut agerent; Sigon. Cf. XXI, 63, n. 10. Sacrificium primi diei Quinquatrium intelligi, Dodwell. l. l. colligebat ex cap. 20 pr. — Neque Sigonio, neque Dodwellio assentiri se profitetur Doering., quia Livius, si alterutrum sacrificium designare voluisset, haud dubie ad alterum ab altero discernendum aliquid additurus fuisset. Inclinat igitur vir ille clarus in Creverii sententiam, qui has tres voces temere a librariis repetitas esse judicabat. Ed. — *Legati ab Ptolemæo et Cleopatra regibus;* vide ad I, 39, n. 2; X, 14, n. 2; XLII, 29, n. 4, et XLV, 13, n. 2.

4. *Sordidati, barba et capillo promisso;* vide ad II, 54, n. 5, et VI, 16, n. 4.—*Cum ramis oleæ;* vide ad II, 54, n. 6.

5. *Per honestam speciem* (vide ad II, 32, n. 2) *majoris Ptolemæi reducendi*, etc. vide ad XLII, 29, n. 4.

in Antiochum, eam apud omnes reges gentesque auctoritatem esse, ut, si legatos misissent, qui denuntiarent, non placere senatui, sociis regibus bellum fieri, extemplo abscessurus a mœnibus Alexandriæ, abducturusque exercitum in Syriam esset. Quod si cunctentur facere, brevi extorres regno Ptolemæum et Cleopatram Romam venturos, cum pudore quodam populi romani, quod nullam opem in ultimo discrimine fortunarum tulissent. Moti Patres precibus Alexandrinorum, extemplo C. Popillium Lænatem et C. Decimium et C. Hostilium legatos, ad finiendum inter reges bellum, miserunt. Prius Antiochum, dein Ptolemæum adire jussi, et nuntiare; ni absistatur bello, per utrum stetisset[6], eum non pro amico, nec pro socio habituros esse.

XX. His intra triduum simul cum legatis Alexandrinis profectis, legati ex Macedonia[1] Quinquatribus ultimis adeo exspectati venerunt, uti, nisi vesper esset, extemplo senatum vocaturi consules fuerint. Postero die senatus fuit, legatique auditi sunt. Ii nuntiant, *Majore periculo, quam emolumento, exercitum per invios saltus in Macedoniam inductum, Pieriam, quo processisset*[2], *regem tenere: castra castris prope ita collata esse, ut flumine Enipeo interjecto arceantur, neque regem pugnandi potestatem facere, nec nostris vim ad cogendum esse. Hiemem etiam asperam rebus gerendis intervenisse, in otio militem ali, nec plus quam sex** frumentum habere*[3]. *Macedonum dici triginti millia armatorum esse. Si Ap. Clau-*

6. *Per utrum stetisset*, etc. vide ad II, 31, n. 7.

Cap. XX. 1. *Legati ex Macedonia... venerunt;* conf. ad cap. 18. — *Quinquatribus ultimis;* vide ad II, 21, n. 1, et XXVI, 27, n. 1.

2. *Pieriam, quo processisset*, etc. vid. cap. 9, n. 8.

3. *Nec plus quam sex* dierum *frumentum habere;* ita lacunam explent Sigon., Gron. et Crever. Verum utut omnia minuant legati, vix tamen ve-

dio circa Lychnidum satis validus exercitus foret, potuisse ancipiti bello distinere regem[4]*: nunc et Appium, et quod cum eo præsidii sit, in summo periculo esse, nisi propere aut justus exercitus eo mittatur, aut illi inde deducantur. Ad classem se ex castris profectos, sociorum navalium partem morbo audisse absumptam; partem, maxime qui ex Sicilia fuerint, domos suas abisse, et homines navibus deesse. Qui sint, neque stipendium accepisse, neque vestimenta habere. Eumenem classemque ejus, tanquam vento allatas naves*[5] *sine causa et venisse, et abisse: nec animum ejus regis constare satis visum.* Sicut omnia de Eumene dubia, Attali egregie constantem fidem nuntiabant.

XXI. Legatis auditis, tunc de bello referre sese L. Æmilius dixit. Senatus decrevit, *ut in octo legiones parem numerum tribunorum consules et populus crearent: creari autem neminem eo anno placere, nisi qui honorem gessisset*[1]*. Tum ex omnibus tribunis militum uti L. Æmilius in duas legiones in Macedoniam, quos*

risimile est, tam parum commeatibus prospectum esse, ut circa initium Martii non plus frumenti superfuerit, et forte legati renuntiarunt numerum, nescio quem, modiorum frumenti in horreis repositi; Drak.

4. *Potuisse* eum *ancipiti bello distinere regem;* vide ad I, 25, n. 4, II, 15, n. 3, III, 23, n. 1. *Distineri* emend. Gron., Cler. et Crev.—Contra Boujat. et Drak. vulgatum recte tuentur; si enim, App. Claudio satis validus exercitus fuisset, potuisset idem ille Ap. Claudius *distinere* regem ancipiti bello. Ed.

5. *Tanquam vento allatas naves*, non consilio, sed tempestate vel vi ventorum appulsas, *et venisse, et* statim *abiisse* cessantibus illis; Victor. Var. Lect. XVII, 22; conf. Cic. Lucull. 3. *Aves* conj. Rob. Titius Loc. Contr. XX, 13, coll. Strab. V, 221, et Arist. Hist. Anim. V, 9; sed Salvinius nihil in Livio mutandum, et *aves* longius petitum, simplicius ac verius *naves* censebat. Ed. — Ante *Attali* excidit *ita;* Gron. Cf. IX, 17, n. 2.

Cap. XXI. 1. *Parem numerum tribunorum consules..... gessisset;* vide ad VII, 5, n. 4; XLII, 49, n. 6, et cf. Ind. — *Cn. Servilio*, prioris anni consuli, qui, ut ex hoc loco discimus, prorogato ex consulatu imperio Galliam obtinebat. Ed.

eorum velit, eligat, et ut, solenni Latinarum perfecto, L. Æmilius consul, Cn. Octavius prætor, cui classis obtigisset, in provinciam proficiscantur. Additus est his tertius L. Anicius prætor, cujus inter peregrinos jurisdictio erat. Eum in provinciam Illyricum circa Lychnidum Ap. Claudio succedere placuit. Delectus cura C. Licinio consuli imposita. Is septem millia civium romanorum et equites ducentos scribere jussus, et sociis nominis latini septem millia peditum imperare, quadringentos equites; et Cn. Servilio Galliam obtinenti provinciam literas mittere, ut sexcentos equites conscriberet. Hunc exercitum ad collegam primo quoque tempore mittere in Macedoniam jussus. Neque in ea provincia plus quam duas legiones[2] esse; eas repleri, ut sena millia peditum, trecenos haberent equites. Cæteros equites peditesque in præsidiis disponi. Qui eorum idonei ad militandum non essent, dimitti. Decem præterea millia peditum imperata sociis et octingenti equites. Id præsidii additum Anicio, præter duas legiones, quas portare in Macedoniam est jussus, quina millia peditum et ducenos habentes, trecenos equites: et in classem quinque millia navalium socium sunt scripta. Licinius consul duabus legionibus obtinere provinciam jussus: eo addere sociorum decem millia peditum et sexcentos equites.

XXII. Senatusconsultis perfectis, L. Æmilius consul e curia in concionem processit, orationemque talem habuit: « Animadvertisse videor, Quirites, majorem « mihi, sortito Macedoniam provinciam, gratulatio- « nem factam, quam quum aut consul essem consalu-

2. *Duas legiones esse*, sc. justum est, seu placuit. — *Quas portare in Macedoniam est jussus;* immo *in Illyricum*, ut observat Creverius, probante Doering. Hæc enim provincia Anicio obtigerat. Ed.

« tatus[1], aut quo die magistratum inissem; neque id « ob aliam causam, quam quia bello in Macedonia, « quod diu trahitur, existimastis dignum majestate « populi romani exitum per me imponi posse. Deos « quoque huic favisse sorti[2] spero, eosdemque in re- « bus gerendis adfuturos esse. Hæc partim opinari, « partim sperare possum. Illud affirmare pro certo « habeo audeoque, me omni ope adnisurum esse, ne « frustra vos hanc spem de me conceperitis. Quæ ad « bellum opus sunt, et senatus decrevit, et (quoniam « extemplo proficisci placet, neque ego in mora sum) « C. Licinius collega, vir egregius, æque enise para- « bit, ac si ipse id bellum gesturus esset. Vos, quæ « scripsero senatui, aut vobis[3], credite. Rumores cre- « dulitate vestra ne alatis, quorum auctor nemo ex- « stabit. Nam nunc quidem, quod vulgo fieri, hoc « præcipue bello, animadverti, nemo tam famæ con- « temptor est, cujus non debilitari animus possit. In « omnibus circulis[4], atque etiam (si diis placet) in « conviviis sunt, qui exercitus in Macedoniam ducant; « ubi castra locanda sint, sciant; quæ loca præsidiis « occupanda; quando, aut quo saltu intranda Mace-

Cap. XXII. 1. *Quum aut consul essem consalutatus*, quem honorem invitus petiit et flagitante populo, qui ingenti eum consensu consulem creavit, et deinde ducem adversus Persen designatum deduxit domum. Conf. ad hæc et seqq. Plut. Æmil. Paul. pag. 259, 260.

2. *Huic favisse sorti;* vide ad III, 2, n. 1, et XLIV, 17, n. 3.

3. *Senatui aut vobis*, forte *et* vel *ac vobis;* Jac. Periz.

4. *In omnibus circulis;* vide ad XXXIV, 37, n. 1. — *Si diis placet;* vide ad IV, 3, n. 4. — *Qui exercitus in Macedoniam ducant*, qui se scire putent ac doceant, per quas vias et quomodo hæc omnia agenda sint; Duk. Cf. Casaub. ad Theophr. Char. cap. 8, et ad seqq. sup. XXII, 38.— Stultum hoc hominum genus ingeniose deridet clarissimus nostras *Montesquieu, Lettres Persannes, CXXX:* « Ils conduisent un général par la main, et après l'avoir loué de mille sottises qu'il n'a pas faites, ils lui en préparent mille autres qu'il ne fera pas. Ils font voler les armées comme les grues, et tomber les murailles comme des cartons; ils ont des ponts

« donia; ubi horrea ponenda; qua terra, mari sub-
« vehantur commeatus; quando cum hoste manus
« conserendæ; quando quiescendum sit. Nec, quid
« melius faciendum sit, modo statuunt, sed, quid-
« quid aliter, quam ipsi censuere, factum est, consu-
« lem veluti dicta die accusant. Hæc magna impedi-
« menta res gerentibus sunt: nec enim omnes tam
« firmi et constantis animi contra adversum rumorem
« esse possunt, quam Fabius fuit[5], qui suum impe-
« rium minui per vanitatem populi maluit, quam se-
« cunda fama male rem gerere. Non sum is, qui non
« existimem admonendos duces esse: immo eum, qui
« de sua unius sententia omnia gerat, superbum ju-
« dico magis quam sapientem. Quid ergo est? Primum
« a prudentibus, et proprie rei militaris peritis[6], et usu
« doctis, monendi imperatores sunt; deinde ab his, qui
« intersunt gerendis * loco, qui hostem, qui tempo-
« rum opportunitatem vident, qui in eodem velut na-
« vigio participes sunt periculi. Itaque si quis est, qui,
« quod e republica sit, suadere se mihi in eo bello,
« quod gesturus sum, confidat; ne deneget operam
« reipublicæ, et in Macedoniam mecum veniat: nave,
« equo, tabernaculo, viatico etiam a me juvabitur. Si
« quem id facere piget, et otium urbanum militiæ la-
« boribus præoptat, e terra ne gubernaverit. Sermo-
« num satis ipsa præbet urbs. Loquacitatem suam con-
« tineat: nos castrensibus consiliis contentos futuros
« esse sciat. » Ab hac concione, Latinis, quæ pridie

sur toutes les rivières, des routes secrètes dans toutes les montagnes, des magasins immenses dans les sables brûlants; il ne leur manque que le bon sens ». Ed.

5. *Contra adversum rumorem esse possunt, quam Fabius fuit*, respici versus celebres Ennii apud Cic. Off. I, 24, et de Senect. 4, monet Drak.

6. *Proprie rei militaris peritis*, præcipue. Conf. Ruhnken. ad Vell. II, 9. — *Qui intersunt gerendis* (rebus), *qui loca, qui hostem*, etc. conj. Sigon. et Drak. Conf. ad XXII, 38.

Calendas Apriles fuerunt, in monte[7] sacrificio rite perpetrato, protinus inde et consul et prætor Cn. Octavius in Macedoniam profecti sunt. Traditum est memoriæ, majore, quam solita, frequentia prosequentium consulem celebratum; ac prope certa spe ominatos esse homines, finem esse Macedonico[8] bello, maturumque reditum cum egregio triumpho consulis fore.

XXIII. Dum hæc in Italia geruntur, Perseus, quod jam inchoatum proficere, quia impensa pecuniæ facienda erat, non inducebat in animum, ut Gentium Illyriorum regem sibi adjungeret; hoc, postquam intrasse saltum Romanos, et adesse discrimen ultimum belli animadvertit, non ultra differendum ratus; quum per Hippiam legatum[1] trecenta argenti talenta pactus esset, ita ut obsides ultro citroque darentur, Pantauchum misit, ex fidissimis amicis, ad ea perficienda. Medeone Labeatidis terræ Pantauchus regi Illyrio occurrit: ibi et jusjurandum ab rege et obsides accepit. Missus et a Gentio est legatus, nomine Olympio[2], qui

7. *Latinis* in feriis, *quæ pridie Calendas Apriles fuerunt, in monte* Albano, etc. vide ad cap. 19, n. 2; ad I, 45, n. 2, et II, 36, n. 2.

8. *Finem esse Maced. bello*, dele τὸ *esse;* Gron. Non necessarium est, aut potius leg. *adesse;* Crev. et Drak.

Cap. XXIII. 1. *Per Hippiam legatum*, etc. conf. Polyb. XXIX, 2-5, et Appian. Maced. 16. Hujus legationis mentio ex fine libri XLIII, cum multis aliis excidisse videtur; Drakenb. — *Trecenta argenti talenta*, h. e. ex Crev. rationibus, marcas argenti nostrates 28,125. Ed. — *Medeone Labeatidis t.* vide ad XXXVI, 11, n. 6.

2. *Missus et a Gentio est legatus* ad Persea *Olympio..... Cum eodem missi sunt* alii, qui pactam *pecuniam acciperent, et* præterea, *auctore Pantaucho, destinantur*, Pantauchi consilio iis adduntur, *Parmenio et Morcus*, qui in Macedoniam primo profecti, ubi regem in verba fœderis jurasse, obsides tradidisse et pecuniam adnumerasse vidissent, postea *cum Macedonibus*, cum ipsius legatis, in *Rhodum* insulam abirent; Drak. Conf. Polyb. XXIX, 2 et 3, qui alio ordine narrationis usus est; unde tamen non transponenda sunt Liviana, quod Crever. putabat; neque ex eo mox cum Periz. leg. *Pellam ad thesauros regios missi, qui pecuniam acciperent: qui Rhodum*, etc. Nam Livium quidem Polybii mentem plerumque exprime-

jusjurandum a Perseo obsidesque exigeret. Cum eodem ad pecuniam accipiendam missi sunt, et, auctore Pantaucho, qui Rhodum legati cum Macedonibus irent, Parmenio et Morcus destinantur. Quibus ita mandatum, uti, jurejurando obsidibusque et pecunia accepta, tum demum Rhodum proficiscerentur: *duorum simul regum nomine incitari Rhodios ad bellum romanum posse. Adjunctam civitatem, penes quam unam tum rei navalis gloria esset, nec terra, nec mari spem relicturam Romanis.* Venientibus Illyriis Perseus, ab Enipeo amni ex castris cum omni equitatu profectus, ad Diumo ccurrit. Ibi ea, quæ convenerant[3], circumfuso agmine equitum facta; quos adesse fœderi sancitæ cum Gentio societatis volebat rex, aliquantum eam rem ratus animorum iis adjecturam: et obsides in conspectu omnium dati acceptique; et, Pellam ad thesauros regios missis, qui pecuniam acciperent, qui Rhodum irent cum Illyriis legatis, Thessalonicæ conscendere jussi. Ibi Metrodorus erat, qui nuper ab Rhodo venerat[4], auctoribusque Dinone et Polyarato, principibus civitatis ejus, affirmabat, Rhodios paratos ad bellum esse. Is princeps junctæ cum Illyriis legationis datus est.

XXIV. Eodem tempore ad Eumenem et ad Antiochum communia mandata[1], quæ subjicere conditio

re, non vero semper ejus verba et orationis structuram reddere, jam monuit Drakenb.

3. *Quæ convenerant.* Drak. et Rupertus *convenerunt;* alterum prætuli. Ed.—*Thessalonicæ conscendere jussi;* vide ad XXXI, 29, n. 3.

4. *Ab Rhodo venerat*, sc. missus ad Persen. — *Dinone et Polyarato.* Sæpius *Dinonis* et *Polyarati*, tanquam principum factionis, quæ apud Rhodios Romanis adversabatur, meminit Polyb. Vid. Exc. Legat. XXVII, 6, § 11; XXVIII, 2, § 15; XXIX, 5, § 11; XXX, 7, § 9. Mox *princeps junctæ cum Illyriis legationi datus est*, pro *legationis*, malebat Crev. Ed.

Cap. XXIV. 1. *Communia mandata*, deest verbum huic orationi. « Ex fine cap. præc. supplere possis *data sunt:* sed potius existimo, plures voces aut integrum versum exci-

rerum poterat. *Natura inimica inter se esse liberam civitatem et regem. Singulos populum romanum aggredi, et, quod indignius sit, regum viribus reges oppugnare. Attalo adjutore, patrem suum oppressum. Eumene adjuvante et quadam ex parte etiam Philippo patre suo, Antiochum oppugnatum. In se nunc et Eumenem et Prusiam armatos esse. Si Macedoniæ regnum sublatum foret, proximam Asiam esse; quam jam ex parte, sub specie liberandarum civitatium, suam fecerint: deinde Syriam. Jam Prusiam Eumeni honore præferri, jam Antiochum victorem præmio belli ab Ægypto arceri*[2]. *Hæc cogitantem providere* jubebat, *ut aut ad pacem secum faciendam compelleret Romanos, aut perseverantes in bello injusto communes duceret omnium regum hostes.* Ad Antiochum aperta mandata erant, ad Eumenem per speciem captivorum redimendorum missus legatus erat: verum occultiora quædam agebantur, quæ in præsentia invisum quidem et suspectum Romanis Eumenem falsis gravioribus **[3]. Proditor enim ac prope hostis habitus, dum inter se duo reges captantes fraude et avaritia certant. Cydas erat Cretensis, ex intimis Eumenis: hic prius ad Amphipolim cum Chimaro quodam populari suo, militante apud Persea, inde postea ad Demetriadem, semel cum Menecrate quodam, iterum cum Antima-

disse. Conf. cum his Polyb. XXIX, 3, ex quo constat, Perseum, quum ordinasset, quæ cap. præc. narrata sunt, legatos ad Eumenem et Antiochum a prioribus diversos misisse: quod ex his Livii verbis colligi nequit; quum tamen de eadem re agi ostendant, quæ Livius de actis inter Eumenem et legatum Persei subdit ». Drak. — *Subjicere;* vid. I, 59, n. 7.

2. *Præmio belli ab Ægypto arceri* pro *ab Ægypto, præmio belli:* sed malim delere τὸ *ab;* Gron.—Id convenire ait Drak., per *præmium belli* intelligendam ipsam Ægyptum: se itaque Gron., *præmio belli Æg.* legenti non adversari; posse tamen etiam dici *a præmio belli, ab Ægypto arceri.* Ed.

3. *Eumenem falsis grav.* criminibus onerarunt (quæ mox exponuntur); Sigon. Cf. Appian. Maced. XVI, 1, cujus tamen narratio pariter mutila est.

cho[4], regiis ducibus, sub ipsis mœnibus urbis colloquutus fuerat. Eropon quoque, qui tum missus est, duabus ad eumdem Eumenem jam ante legationibus functus erat. Quæ colloquia occulta et legationes infames quidem erant: sed, quid actum esset, quidve inter reges convenisset, ignorabatur. Res autem ità sese habuit.

XXV. Eumenes neque favit victoriæ Persei, neque bello eum invadere animo habuit[1]; non tam quia paternæ inter eos inimicitiæ erant, quam ipsorum odiis inter se accensæ. Non ea regum æmulatio, ut æquo animo Persea tantas adipisci opes, tantamque gloriam,

4. *Cydas Cretensis... Antimacho;* conf. cap. 13, et ad XXXIII, 3, n. 6. — *Eropon quoque*, ut 27 et 28. Κρυφῶντα appellat eum Polyb. XXIX, 3, § 8. Ibi Reisk. conj. Χαιρεφῶντα, et Κρεαφόντην et forte rectius Ηροφῶντα· at h. l. Gron. *Cryphon* et ex Aristot. Polit. II, 8. *Euryphon*, et Duker. *Æropus* coll. XXVII, 32, XXIX, 12; Polyæn. Strat. IV, 1, § 3; Periz. ad Ælian. Var. Hist. XII, 43, et intpp. Justin. VII, 2.

Cap. XXV. 1. *Eumenes neque favit victoriæ Persei, neque bello eum invadere animo habuit*, h. e. in animo; vid. Gron. et Drak. ad h. l. et Cort. ad Sallust. Jug. 11. « In verbis seqq. Livius causam, cur non voluerit Eumenes, Persea victorem esse, exsequitur usque ad verba *Cernebat et Persea:* a quibus incipit exponere, cur eum bello invadere in animo non habuerit. In hac narratione omnia satis perspicua sunt, et summa huc redit, Eumenem inhiasse pecuniæ, et sperasse, se pace inter Romanos et Persea concilianda ab hoc caput unctius relaturum. Sed in ea, quæ causam continet, cur Eumenes non faverit victoriæ Persei, verba *non ea æmulatio regum* obscura sunt. Nam nec apparet, quomodo præcedentibus cohæreant, nec quid sit, quod *non ea regum æmulatio* fuisse dicitur, ut Eumenes æquo animo visurus fuerit, Persea Romanis victis magnas opes adipisci. Nam illa ipsa æmulatio erat, cur Eumenes non faveret victoriæ Persei. Mihi videtur Livius dixisse, præcipuam causam, cur Eumenes non voluerit, Romanos a Perseo vinci, fuisse ipsorum inter se æmulationem. Tum leg. *non tam quia paternæ inter eos inimicitiæ erant, etiam ipsorum odiis inter se accensæ, quam* (quia erat) *ea regum æmulatio* ». Duk. Minori mutatione legi forte possit *non tam quia... erant, quam, ipsorum odiis inter se accensis, non ea*, etc. Drak. — Doering. nota hæc est: « Si statuamus omnem hujus loci depravationem e duabus particulis *quam* et *non*, librariorum culpa loco suo motis, ortum esse, omnis difficultatis expers erit locus, ita constitutus: *Eumenes..... animo habuit; non tam quia... inimicitiæ erant, ipsorum odiis inter se accensæ, quam* (quia) *ea* (talis, tan-

quanta Romanis victis eum manebat, Eumenes visurus fuerit. Cernebat et Persea, jam inde ab initio belli, omni modo spem pacis tentasse, et in dies magis, quo propior admoveretur terror, nihil neque agere aliud, neque cogitare: Romanos quoque, quia traheretur diutius spe ipsorum bellum, et ipsos duces, et senatum, non abhorrere a finiendo tam incommodo ac difficili bello. Hac utriusque partis voluntate explorata, quod fieri etiam sua sponte tædio validioris, metu infirmioris credebat posse, in eo suam operam venditare concilianda gratia magis cupiit. Nam modo ne juvaret bello Romanos terra marique, modo pacis patrandæ cum Romanis paciscebatur mercedem[2]; ne bello interesset, mille et quingenta talenta. In utroque non fidem modo se, sed obsides quoque, dare paratum esse, ostendebat. Perseus ad rem inchoandam promptissimus erat, cogente metu, et de obsidibus accipiendis sine dilatione agebat, conveneratque, ut accepti Cretam mitterentur. Ubi ad pecuniæ mentionem ventum erat, ibi hæsitabat; et utique alteram[3] in tanti nominis regibus turpem ac sordidam, et danti, et magis accipienti, mercedem esse. Malebat in spem romanæ pacis non recusare impensam, sed eam pecuniam perfecta re daturum; interea

ta) fuit *regum æmulatio, ut... visurus fuerit.* Quæ sequuntur inde a *Cernebat* respondent alteri: *neque bello eum invadere animo habuit*». Ed.

2. *Pacis patrandæ cum R. paciscebatur mercedem;* vide ad XLII, 30, n. 6. — *Ne bello interesset, mille et D talenta,* forte ex Appiano Maced. 16, 1 leg. *ne bello interesset, mille; pacis conciliandæ causa mille et D talenta* (h. est, ex Crever. rationibus, marcas argenti nostrates 140,625. Ed.). Tum scribendum: *in utrumque non fidem modo... dare* (ut XXVIII, 17; XXX, 12; XXXII, 24, 30); Gron.

3. *Et utique alteram,* etc. conf. Appian. l. l. — *Sed eam pecuniam perfecta re daturum,* etc. forte *daturus* et mox *depositurus,* vel *sed se eam,* etc. vel potius *non recusare impensam. Se eam pecuniam,* etc. Drak. — *Samothracæ in templo d.* conf. ad XLV, 5, n. 2, et ad Juvenal. XIV, 260. Mox leg. *ibi an Pellæ;* Crev.

Samothracæ in templo depositurum. Ea insula quum ipsius ditionis esset, videre Eumenes nihil interesse, an Pellæ pecunia esset: id agere, ut partem aliquam præsentem ferret. Ita, nequidquam inter se captati, nihil præter infamiam movere.

XXVI. Nec hæc tantum Perseo per avaritiam est dimissa res[1], quum pecuniam tutam et pacem habere per Eumenem, quæ vel parte regni redimenda esset, ac receptus protrahere inimicum mercede onustum,

Cap. XXVI. 1. *Per avaritiam est dimissa res.,. agmen oblatum avaritia dimissum est*, eleganter de occasione et de opportunitate, quam quis e manibus elabi sinit, de quo etiam *amittere* (et *omittere*) dicitur; Ern. Conf. ad cap. 8, n. 2. — *Quum pecuniam tutam et pacem habere*, etc. locus se pessime habet, forte sic instaurandus: *quum pecunia tantula aut pacem habere per Eumenem, quæ vel parte regni*, etc. *aut deceptus protrahere inimicum... et auxilium* sive *agmen Gallorum... ingens oblatum avaritia dimissum est:* nam importunum est τὸ *tum*, et vox *agmen* ab ed. Paris. 1573 primum inserta ante *oblatum;* Gron. « Enimvero *tantula* a *tuta* nimis longe recedit, et *MD* talenta vix *tantula pecunia* dici possunt. Præterea *deceptus* non convenit sententiæ h. l. Nam Livius, si recte mentem illius capio, hoc dicit, Perseum pecunia Eumeni danda duas res sibi utilissimas consequuturum fuisse: primum eo conciliante utique pacem a Romanis impetraturum; deinde, ea impetrata, prodendo, quæ occulte inter se et Eumenem acta fuerant, animos Romanorum ab eo alienaturum fuisse, si intellexissent, eum non studio ac benevolentia erga hanc aut illam partem ductum de reconcilianda inter eos amicitia laborasse, sed aviditate pecuniæ incensum suam solius utilitatem in ea re spectasse. Intererat autem Persei, opes Eumenis minui; quod maxime efficere poterat, si Romanos ei inimicos reddidisset. Itaque lego *quum pecunia et tutam pacem* (ut apud Lucan. X, 332) *habere..*, *et receptus* (sc. in amicitiam a Romanis Eumene conciliante) *protrahere*, etc. » Duker. Sed *receptus* simpl. ita vix dicitur, et forte leg. *quum et pecunia tutam pacem... et ea recepta protrahere* (quasi ad lucem, prodere, ut XXVII, 3; XXXIII, 28; XLV, 5, et aliis locis, quæ laudarunt Periz. ad Val. Max. I, 5, 8, et Burm. ad Quintil. Declam. IV, 14) *inimicum*, etc. Drak. Idem monet h. l. pacem *redimere* dici pro emere, ut apud Sall. Jug. 29 (ubi vid. Cort.), et Justin. XLIII, 9; at *bellum redimere* apud Justin. VI, 1, et VII, 5, pro efficere data pecunia, ne bellum inferatur, et *redimere* apud Ovid. Her. XVII, 49 (ubi vid. Burm.) et Sall. Cat. 14 (ubi vid. Cort.) pro rependere, pensare.—Pro *ac receptus protrahere*, etc. Frid. Jacobs. apud Goeller. pag. 396, legendum suspicatur, *et ea refectus protrahere inimicum.* Certe potuit excidere vocula *et*, ob verbi præcedentis *esset* syllabam ultimam; et vidimus verba

et hostes merito ei Romanos posset facere : sed etiam Gentii regis parata societas, et tum Gallorum, effusorum per Illyricum [2], ingens agmen oblatum avaritia dimissum est. Veniebant decem millia equitum, par numerus peditum, et ipsorum jungentium cursum equis, et in vicem prolapsorum equitum vacuos capientium ad pugnam equos. Hi pacti erant, eques denos præsentes aureos, pedes quinos, mille dux eorum. Venientibus his Perseus ab Enipeo ex castris profectus obviam cum dimidia copiarum parte denuntiare per vicos urbesque, quæ viæ propinquæ sunt, cœpit, ut commeatus expedirent, frumenti, vini, pecorum ut copia esset. Ipse equos phalerasque [3] et sagula donum principibus ferre, et parum auri, quod inter paucos divideret, multitudinem credens trahi spe posse. Ad Almanam urbem [4] pervenit, et in ripa fluminis Axii

recipere et *reficere* etiam permutari lib. I, 53, n. 3. Paulo infra, *et tum Gallorum, effusorum*, etc. ubi Gronovio particulam *tum* displicere modo vidimus, idem Jacobs. l. l. sic emendat: *et Gallorum, tum effusorum per Illyricum*, etc. Ed.

2. *Gallorum effusorum per Illyricum... Veniebant decem millia equitum* Gallorum, etc. conf. Appian. Maced. XVI, 1, 2, et Plut. Æmil. Paul. pag. 259 sq. Pro Gallis ille Getas memorat, hic modo Galatas, modo Bastarnas, gentem a Gallis oriundam (vid. Schweigh. ad Appian. l. l.); unde et Clondicus mox Gallorum, et sup. XL, 58, Bastarnarum regulus dicitur. « Etiam Diodor. in Exc. Peiresc. pag. 313, Bastarnas vocat Γαλάτας. Parum referre, utrum gallicam, an germanicam gentem dicamus, fuisse enim Gallos Germanis permixtos, existimat Vales. ad Exc. Peires. pag. 79. Bastarnas tamen non Gallos, sed Germanos fuisse, docent Plin. aliique; quos Livius, Plut. ac Diod. Gallos vocarunt exemplo Polybii, cujus tempore verum discrimen inter Gallos et Germanos Græcis adhuc incognitum erat. Habitarunt autem trans Istrum; vid. XL, 57; Oros. IV, 20, et Plut. Diodor. et Appian. l. l. » Drak. Conf. sup. XL, 57, n. 5. — *Peditum, et ipsorum jungentium... equos*, hi pedites una voce παραβάται dicuntur Plut. l. l. De hoc Gallorum more vid. Pausan. X, 19, et Cæs. Bell. Gall. I, 48. — *Denos... aureos*, h. e. ait Crev., binas uncias nostrates cum dimidia; *quinos*, singulas uncias cum quarta unciæ parte; *mille*, marcas nostrates 31, uncias 2. Ed.

3. *Ipse equos phalerasque*, καὶ φάλλια χρυσᾶ (torques aureos), *et parum auri*, στατῆρας μυρίους Appian.

4. *Ad Almanam urbem*, non aliis

posuit castra. Circa Desudabam in Mædica exercitus Gallorum consederat, mercedem pactam opperiens. Eo mittit Antigonum, ex purpuratis unum, qui juberet, multitudinem Gallorum ad Bylazora (Pæoniæ is locus) castra movere, principes ad se venire frequentes. Septuaginta quinque millia ab Axio flumine et castris regis aberant. Hæc mandata ad eos quum pertulisset Antigonus, adjecissetque, per viam quanta omnium præparata cura regis copia multitudini foret, quibusque muneribus principes advenientes, vestis, argenti, equorumque excepturus rex esset, de his quidem se coram cognituros respondent. Illud, quod præsens pepigissent, interrogant, ecquid aurum, quod in singulos pedites equitesque dividendum esset, secum adduxisset[5]? Quum ad id nihil responderetur, Clondicus regulus eorum, *Abi, renuntia ergo*, inquit, *regi, nisi aurum obsidesque accepissent, nusquam inde Gallos longius vestigium moturos.* Hæc relata regi quum essent, advocato consilio, quum quid omnes suasuri essent appareret, ipse, pecuniæ quam regni melior custos, institit de perfidia et feritate Gallorum disserere. *Multorum jam ante*

memoratam. Alia est Almonia seu Almon apud Plin. IV, 8 seu 15, et Steph. Byz. Thessaliæ opp. *Albanam* (quæ Albanopolis dicitur Ptol. III, 13), et *Amantiam* conj. Turneb. Advers. XXX, 37. Sed illa versus sinum Hadriat., hæc in Orestide sita erat, et h. l. designatur urbs interioris Macedoniæ versus Thraciam in ripa Axii vel non longe inde sita; Drakenb. — *Fluminis Axii*, hodie *Vardar*. Ed. — *Desudabam in Mædica*, Jac. Gronov. emend. *Dausdabam in Mœsia* (ita Ptol.) vel potius *Œsymam* seu *Œsimam in Mædica* seu Edonide, Mædicæ finitima. Conf. Mausacus ad Harpocrat. — *Bylazora, Pæoniæ locum*, ut apud Polyb. V, 97, § 1. Βύμαζος, πόλις Παιόνων Ephorus apud Steph. Byz. — *Septuaginta quinque millia*; leucas nostrates 25, ex Creverii supputatione. Ed.

5. *Ecquid aurum... secum adduxisset*; vide ad I, 9, n. 3. *Advexisset* conj. Gronov. — *Clondicus regulus*; vide ad XL, 58, n. 5. — *Nisi aurum obsidesque accepissent*, forte *acceperint*; Gron. et Crev.—*Institit de perfidia..... disserere*; vide ad XXIV, 26, n. 7.

cladibus expertum, periculosum esse, tantam multitudinem in Macedoniam accipere, ne graviores eos socios habeant[6], *quam hostes Romanos. Quinque millia equitum sat esse, quibus et uti ad bellum possent, et quorum multitudinem ipsi non timeant.*

XXVII. Apparebat in omnibus[1], mercedem multitudinis timere, nec quidquam aliud: sed, quum suadere consulenti nemo auderet, remittitur Antigonus, qui nuntiaret, quinque millium equitum opera tantum uti regem; contemnere multitudinem aliam. Quod ubi audivere Barbari, cæterorum quidem fremitus fuit, indignantium se frustra excitos sèdibus suis: Clondicus rursus interrogat, ecquid ipsis quinque millibus[2] quod convenisset, numeraret? Quum adversus id quoque misceri ambages cerneret, inviolato fallaci nuntio (quod vix speraverat ipse posse contingere), retro ad Istrum, perpopulati Thraciam, qua vicina erat viæ, redierunt[3]. Quæ manus, quieto sedente rege ad Enipeum, adversus Romanos Perrhæbiæ saltum in Thessaliam traducta, non agros tantum nudare populando potuit, ne quos inde Romani commeatus exspectarent, sed ipsas exscindere urbes, tenente ad Enipeum Perseo Romanos, ne urbibus sociis opitulari possent. Ipsis quoque Romanis

6. *Ne graviores eos* Gallos *socios habeant* Perseus et Macedones, qui eos arcessierint, *quam hostes Romanos*, forte *Romani*, i. e. quam hostes eosdem experiantur Romani, contra quos arcessierint; Gron. Sed ita Livius etiam scripsisset *ne ipsi* vel *ne Macedones graviores*, etc. et in vulgato optimus sensus est.

Cap. XXVII. 1. *Apparebat in omnibus*, immo *apparebat omnibus*, sc. in consilium vocatis; Gron. Forte pro *in* legendum credideris *jam* vel *id*, aut cum Drakenb. *ita*. — *Timere*, scilicet Persea, regem.

2. *Ecquid ipsis quinque millibus*, etc. vide ad I, 9, n. 3.

3. *Retro ad Istrum... redierunt;* vide ad II, 45, n. 10. — *Perrhæbiæ saltum... traducta;* forte *per Perrhæbiæ;* Grut. Sed nihil mutandum videre Crev. et Drak. Sic dixit Livius *traducta Perrhæbiæ saltum*, ut lib. XXI, cap. 23, *Iberum copias trajecit*. Re-

de se cogitandum[4] fuisset : quando neque manere, amissa Thessalia, unde exercitus alebatur, potuissent, neque progredi, quum ex adverso castra Macedonum[5] ***. Qui ea pependerant spe, haud mediocriter debilitavit. Eadem avaritia Gentium regem sibi alienavit. Nam quum trecenta talenta Pellæ missis a Gentio numerasset, signare eos pecuniam passus. Inde decem talenta ad Pantauchum missa, eaque præsentia dari regi jussit : reliquam pecuniam, signatam Illyriorum signo, portantibus suis præcipit, parvis itineribus veherent; dein, quum ad finem Macedoniæ ventum esset, subsisterent ibi, ac nuntios ab se opperirentur. Gentius, exigua parte pecuniæ accepta, quum assidue Pantaucho[6] ad lacessendos hostili facto Romanos stimularetur, M. Perpernam et L. Petillium legatos, qui tum forte ad eum venerant, in custodiam conjecit. Hoc audito, Perseus, contraxisse eum necessitates[7] ratus ad bellum utique cum Romanis,

gitur nempe nomen a præpositione quæ verbo adjuncta est. Ed.

4. *De se cogitandum*, salus sua respicienda, ei consulendum, ut apud Cic. Rab. Perd. 10, ad Div. I, 7, n. 7, et II, 8; Cæs. Bell. Civ. I, 5.

5. *Quum ex adverso castra Macedonum* essent. Quo facto Perseus Romanorum animos confirmavit, et Macedonum, *qui ea pependerant spe*, etc. illa similiave verba exciderunt, quia librarius, in errorem inductus a bis posita voce *Macedonum*, ab una ad alteram, mediis verbis præteritis, transiit; Sigon. Recte : sed aliena *Quo facto*, et potius substitue *quo neglecto*, vel cum Crev. tanta *occasione e manibus amissa*; Drak.—*Quum CCC talenta Pellæ missis*, etc. cf. cap. 23, et Polyb. XXIX, 3. Mox cum Gron. lege *signare eos pecuniam passus, inde decem talenta ad P. misit*, etc. — *Trecenta talenta* fiunt, ex supputatione Creverii, marcæ argenti nostrates 28,125; *decem*, marcæ 937, cum unciis 4. Ed.

6. *Quum assidue Pantaucho*, etc. forte *a Pantaucho*. Sed vide ad V, 12, n. 5.—*M. Perpernam et L. Petillium legatos* Romanorum, *qui tum forte ad eum venerant* de ea re questum, *in custodiam conjecit*, exploratores illos esse causatus; conf. Appian. Maced. XVI, 1, et Illyr. 9; Plut. Æmil. Paul. pag. 261. Περπέννας et Πετίλιος vel Πετίλιος gr. scribitur, sed etiam Περπέρνας et Πετίλλιος, ut in nummis et Fastis Capit. Conf. Drak. ad h. l. et Græv. ad Cic. p. Rosc. Com. 1.

7. *Contraxisse eum necessitates*,

ad revocandum, qui pecuniam portabat, misit; velut nihil aliud agens, quam ut, quanta maxima posset, præda ex victo Romanis reservaretur. Et ab Eumene Eropon, ignotis, quæ occulte acta erant, redit. De captivis actum esse et ipsi evulgaverant, et Eumenes consulem, vitandæ suspicionis causa, certiorem fecit.

XXVIII. Perseus, post reditum ab Eumene Eropontis spe dejectus, Antenorem et Callippum præfectos classis cum quadraginta lembis (adjectæ ad hunc numerum quinque pristes erant[1]) Tenedum mittit, ut inde sparsæ per Cyclades insulas naves, Macedoniam cum frumento petentes, tutarentur. Cassandreæ deductæ naves[2] in portus primum, qui sub Atho monte sunt, inde Tenedum placido mari quum trajecissent, stantes in portu Rhodias apertas naves Eudamumque, præfectum earum, inviolatas[3] atque etiam benigne appellatos dimiserunt. Cognito deinde, in latere altero quinquaginta onerarias suarum, stantibus in ostio portus Eumenis rostratis, quibus Damius præerat, inclusas esse; circumvecti propere ac submotis terrore hostium navibus, onerarias, datis, qui prosequerentur, decem lembis, in Macedoniam mittunt; ita ut in tutum prosequuti redirent Tenedum. Nono post die

etc. conf. Appian. et Plut. — *Ad revocandum, qui pecuniam portabat*, forte *ad revocandos, qui p. portabant*. Conf. præc. « Sed rem ita concipere possumus, Persea plures suorum Pellam misisse, qui pecuniam adveherent, at omnibus unum præcipua auctoritate præfuisse, qui regis nomine cuncta expediret. Mox pro *ex victo* forte leg. *ex victoria* ». Drak. — *Ignotis*, forte *irritis*, Gron.

Cap. XXVIII. 1. *Quinque pristes erant*; vide ad XXXV, 26, n. 1. — *Sparsæ* pristes: potius *sparsi*, ut referatur ad præfectos classemque; Crev. aut *sparsas*, Drak.

2. *Cassandreæ deductæ naves*; vid. VIII, 26, n. 1.

3. *Rhodias apertas naves* (vide ad XXII, 19, n. 4) *Eudamumque inviolatas*, etc. scribe *inviolatos* (ut mox *appellatos*): nam haud dubie ad propius digniusque respexit Livius, immo accepit, quasi posuisset ante *Rhodios in navibus Eudamumque*; Gron. — Doering. *inviolatos* in textum recepit. Ed. — *Circumvecti propere*, sc. Antenor et Callippus. — *Jam ad*

ad classem, jam ad Sigeum stantem, redierunt. Inde Subota (insula est interjecta Elææ et Atho) trajiciunt. Forte postero die, quam Subota classis tenuit[4] quinque et triginta naves, quas hippagogos vocant[5], ab Elæa profectæ cum equitibus Gallis equisque, Phanas promontorium Chiorum petebant, unde transmittere in Macedoniam possent. Attalo ab Eumene mittebantur. Has naves per altum ferri quum ex specula signum datum Antenori esset, profectus a Subotis, inter Erythrarum promontorium Chiumque, qua arctissimum fretum est, iis occurrit. Nihil minus credere præfecti Eumenis, quam Macedonum classem in illo vagari mari; nunc Romanos esse, nunc Attalum, aut remissos aliquos ab Attalo ex castris romanis Pergamum petere. Sed quum jam appropinquantium forma lemborum haud dubia esset, et concitatio remorum, directæque in se proræ, hostes appropinquare aperuissent[6]; tunc injecta trepidatio est, quum resistendi spes nulla esset, inhabilique navium genere, et Gallis vix quietem ferentibus in mari. Pars eorum, qui pro-

Sigeum stantem; olim legebatur *Sigium,* quæ orthographia nusquam alibi reperitur. Ed.

4. *Subota classis tenuit;* vide ad I, 1, n. 8.

5. *Naves, quas hippagogos* (ἱππαγωγοὺς, quibus equi vehuntur) *vocant,* aut *hippagos* (ἱππηγοὺς Polyb. I, 26, § 14; I, 27, § 9; I, 28, § 2, 7) et *hippagines;* vid. Fest. et Scheff. de Mil. Nav. IV, 1. « *Hippagogus* edd. ante Vascos. quod est ipsum gr. ἱππαγωγοὺς, ut in multis MSS et edd. *sarissophorus* XXXVI, 18; *apocletus* XXXVI, 28; *Gordiutichos* XXXVIII, 13; *Silenu come* XXXVIII, 15; *turris Eudieru* XLIV, 3; *Græca Menandru* et *Apollodoru* in didascaliis comœdiarum Terentii. Malo tamen pleraque horum, apud Liv. certe, errantibus librariis tribuere ». Drak. — *Phanas;* vid. XXXVI, 43, n. 6.

6. *Hostes appropinquare aperuissent* ex emend. Drak. pro *apparuisset.* (Hoc ante Drak. legi jusserat Crever. ex Turnebi conjectura, et ipse in textum receperat. Ed.) Alii edidere *aperuisset,* et *concitatione remorum directæque in se proræ* (ut *proræ* sit sec. casus), vel, quia plurium navium plures fuerunt proræ, *directis in se proris, a. apparuisset.* Sed *aperire* vix bene jungitur infinitivo, et verbum *appropinquare* modo præcessit. Forte leg. *hostes approperantes aperuissent;* vide ad XXII, 19, n. 5.

piores continenti litori[7] erant, in Erythræam enarunt: pars, velis datis, ad Chium naves[8] ejecere, relictisque equis effusa fuga urbem petebant. Sed propius urbem lembi accessuque commodiore quum exposuissent armatos, partim in via fugientes Gallos adepti Macedones ceciderunt, partim ante portam exclusos: clauserant enim Chii portam, ignari, qui fugerent, aut sequerentur. Octingenti ferme Gallorum occisi, ducenti vivi capti: equi, pars in mari, fractis navibus, absumpti; partim nervos succiderunt in litore Macedones. Viginti eximiæ equos formæ cum captivis eosdem decem lembos, quos ante miserat, Antenor devehere Thessalonicam jussit, et primo quoque tempore ad classem reverti: Phanis se eos exspectaturum. Triduum ferme classis ad urbem stetit. Phanas inde progressi sunt, et, spe celerius reversis decem lembis, evecti Ægæo mari[9] Delum trajecerunt.

XXIX. Dum hæc geruntur, legati romani, C. Popillius et C. Decimius et C. Hostilius, a Chalcide profecti, tribus quinqueremibus Delum quum venissent, lembos ibi Macedonum quadraginta et quinque regis Eumenis quinqueremes invenerunt. Sanctitas templi insulæque inviolatos præstabat omnes[1]. Itaque permixti Romanique et Macedones et Eumenis navales socii in templo, inducias religione loci præbente, ver-

7. *Propiores continenti litori*, ut fere *continens ripa* apud Horat. Od. II, 18, v. 22, h. e. litus continentis, inhærens continenti, ut contra litus insulæ. Ita Periz. ad Sanct. Min. IV, 4, pag. 599. Sed in prosa oratione potius *continentis litus* dicendum videtur. Conf. ad XXXIII, 18, n. 1, et Bauer. ad Sanct. Min. t. II, p. 108.

8. *Ad Chium naves ejecere*; vide ad XXI, 49, n. 3. — *Nervos succiderunt*, intellige cum Crev. nervos poplitum. Ed.

9. *Ægæo mari* scripsi pro *Ægeo*; gr. Αἰγαῖον.

Cap. XXIX. 1: *Sanctitas* (jus asyli) *templi* Ἀπόλλωνος Σωτῆρος *insulæque inviolatos præstabat omnes*, etc. unde et Delus urbs ἀτείχιστος fuit. Conf. ad I, 8, n. 6, et XLII, 12, n. 3; Pausan. III, 23, n. 2, et Spanhem. ad Callim. H. in Del. v. 24.

sabantur. Antenor, Persei præfectus, quum aliquas alto præferri onerarias naves[2] ex speculis significatum foret, parte lemborum ipse insequens, parte per Cycladas disposita, præterquam si quæ Macedoniam peterent, omnes aut supprimebat, aut spoliabat naves. Quibus poterat, Popillius aut Eumenis naves succurrebant[3]: sed vecti nocte binis aut ternis plerumque lembis Macedones fallebant. Per id fere tempus legati Macedones Illyriique simul[4] Rhodum venerunt, quibus auctoritatem addidit non lemborum modo adventus, passim per Cycladas atque Ægæum vagantium mare, sed etiam cunjunctio ipsa regum Persei Gentiique, et fama cum magno numero peditum equitumque venientium Gallorum. Et jam quum accessissent animi Dinoni ac Polyarato, qui Persei partium erant, non benigne modo responsum regibus est, sed palam pronuntiatum, *bello finem se auctoritate sua impositurus esse: itaque ipsi quoque reges æquos adhiberent animos ad pacem accipiendam.*

XXX. Jam veris principium erat[1], novique duces in provinciam venerant, consul Æmilius in Macedoniam, Octavius Oreum ad classem, Anicius in Illyri-

2. *Præferri onerarias naves*, forte *prætervehi;* Gron. Possis etiam *prævehi.* Sed conf. supra ad I, 45, n. 7, et II, 14, n. 3.

3. *Quibus poterat, Popillius, aut Eumenis naves succurrebant* reposui pro *succurrebat.* Forte et leg. *poterant* cum Gronov. Idem malebat *succurrebant, sed interdiu; nocte binis*, etc. At verba *sed vecti nocte* satis indicant, priora interdiu gesta esse: si quid vero mutandum, malim *evecti nocte*, sc. furtim e portu; Duker. — *Fallebant;* vide ad III, 8, n. 2.

4. *Legati Macedones Illyriique simul*, etc. confer. Polyb. XXIX, 5.

Cap. XXX. 1. *Jam veris principium erat;* sed L. Æmilius, cap. 19, promittit, mense Aprili se exiturum Urbe: ergo *veris principio* in provinciam venire non potuit, ac forte leg. *jam ver præceps erat*, et similiter cap. 34 extr. *vere præcipiti* pro *veris principio;* Gron. Vid. IV, 9, n. 6. Hoc non ad anni Juliani, sed veteris anni romani rationes exigendum putabat Dodwell. in Append. Præl. Camd. pag. 755, et de Cyclis, X, 12. — *Octavius Oreum ad classem;* vide ad cap. 13, n. 5.

cum, cui bellandum adversus Gentium. Patre Pleurato rege[2] Illyriorum et matre Eurydica genitus fratres duos, Platorem utroque parente, Caravantium matre eadem natum, habuit. Hoc propter ignobilitatem paternam minus suspecto, Platorem occidit et duos amicos ejus, Ettritum et Epicadum, impigros viros, quo tutius regnaret. Fama fuit, Honuni Dardanorum principis filiam Etutam pacto fratri eum invidisse, tanquam his nuptiis adjungenti sibi Dardanorum gentem. Et similius id vero fecit ducta ea virgo, Platore interfecto[3]. Gravis deinde, dempto fratris metu, popularibus esse cœpit; et violentiam insitam ingenio intemperantia vini accendebat[4]. Cæterum, sicut ante dictum est, ad romanum incitatus bellum, Lissum omnes copias contraxit: quindecim millia armatorum fuerunt. Inde, fratre in Caviorum gentem[5], vi aut terrore subigendam, cum mille peditibus et quinquaginta equitibus misso, ipse ad Bassaniam urbem quin-

2. *Patre Pleurato rege*, etc. vide ad XXII, 33, n. 3. — Malit Doering. *Hic, patre Pleurato, rege Illyriorum, matre Eurydica genitus*, etc. sed nihil necesse. Ed.

3. *Fama fuit, Honuni Dardanorum principis... Platore interfecto;* conf. fragm. Polyb. XXIX, 5, § 7, 8; ex Athenæo, X, 10, p. 440, vel in ed. Schweigh. X, 54, t. IV, p. 111, ubi pro Honuno est Μένουνιος, et pro Platore Πλεύρατος. — *Etutam*, uxorem Gentii, Livius, cap. 32 pr. *Etlevam* appellat. Itaque alterutrum nomen mendosum est, aut hæc altera regis uxor fuit. — *Pacto fratri*, scriptores latini plerumque puellam *viro pactam*, raro virum puellam *pactum* dicunt. Livius, I, 2, *cui pacta Lavinia ante adventum Æneæ fuerat;* Cic. ad Att. V, 9, *cujus filia pacta est Artavasdis filio;* Tacit. Ann. I, 55, *quod Arminius filiam ejus alii pactam rapuerat.* His adductus, primum Duker. hic quoque tentabat legere *pactam fratri;* sed deinde nihil mutandum credidit propter ipsius Livii auctoritatem. Vide nempe ad IV, 4, not. 7. Ed.

4. *Violentiam insitam ingenio intemperantia vini a.* conf. Polyb. l. l. intpp. Æliani Var. Hist. II, 41.—*Sicut ante dictum est*, sc. cap. 27.

5. *In Caviorum gentem*, e Steph. *Caulicorum*, aut e Plin. VI, 8, et Ptol. II, 17. *Ceraunios* conj. Turneb. Advers. XXX, 37. « Id verisimilius fiet, si mox cum Sigon. pro *Durnium* leg. *Burnium:* nam Burnum situm erat in regione vel finibus Ceraunionum; vid. Plin. III, 21, 22; Procop. Bell. Goth. I, 16, et Ptol. II, 17. At

que millia ab Lisso ducit. Socii erant[6] Romanorum. Itaque per missos nuntios prius tentati, obsidionem pati, quam dedere sese, maluerunt. Caravantium in Caviis Durnium oppidum[7] advenientem benigne accepit: Caravantis altera urbs exclusit; et, quum agros eorum effuse vastaret, aliquot palati milites agrestium concursu interfecti sunt. Jam et Ap. Claudius, assumptis ad eum exercitum, quem habebat, Bullinorum et Apolloniatium et Dyrrachinorum auxiliis, profectus ex hibernis, circa Genusuum amnem castra habebat; audito fœdere inter Persea et Gentium, et legatorum violatorum injuria[8] accensus, bellum haud dubie adversus eum gesturus. Anicius prætor, eo tempore Apolloniæ auditis, quæ in Illyrico gererentur, præmissisque ad Appium literis, ut se ad Genusuum opperiretur, triduo et ipse in castra venit; et ad ea, quæ habebat, auxilia Parthinorum junctis[9] duobus millibus peditum et equitibus ducentis (peditibus Epicadus, equitibus Algalsus præerat), parabat ducere in Illyricum, maxime ut Bassanitas solveret ob-

Ceraunii sedes habuerunt quidem in Illyrico, non vero in ea parte, quæ Dalmatia, sed quæ Liburnia vocatur; unde Caravantio, a fratre Gentio, qui in Dalmatia Labeatum rex erat, in Ceraunios misso, transeunda fuit tota Dalmatia cum magna Liburniæ parte. Diffiteri tamen nolo, Plinium, III, 22 seu 26, in Dalmatiæ descriptione Ceraunos et Burnum castellum memorasse, at cap. 21 seu 25, Burnistas in Liburnia ». Drak.

6. *Quinque millia ab Lisso ducit. Socii erant Romanorum;* vide supra ad I, 23, n. 4; III, 47, n. 1, et IX, 24, n. 2.

7. *In Caviis Durnium opp.* vid. n. 5. — Hanc urbem nunc vocant *Grachova.* Ed. — *Bullinorum;* vide ad XXXVI, 7, n. 9. — *Genusuum amnem* inter Apsum fl. et Apolloniam, non longe ab Asparagio. Forte leg. *Genusum*, ut apud Lucan. V, 462, et Cæs. Bell. Civ. III, 75, 76. Conf. Drak. — Nunc *Genusuus* amnis vocatur *Vaicessa.* Ed.

8. *Legatorum violatorum injuria;* conf. cap. 27.

9. *Et ad ea, quæ habebat, auxilia Parthinorum junctis* (ut XXIV, 34) *duobus*, etc. recepi ex emend. Gron. Vulgo legitur *juventutis* pro *junctis*, et post *auxilia* e conj. Sigon. insertum *assumptis.* Mox pro *Algalsus* alii *Agalsus* et *Agasus.* De *Epicado* vid. intpp. Suet. Aug. 19.

sidione. Tenuit impetum ejus fama lemborum vastantium maritimam oram. Octoginta erant lembi, auctore Pantaucho missi a Gentio ad Dyrrachinorum et Apolloniatium agros populandos. Tum classis ad[10] [oram haud procul Apollonia stabat. Huc recurrit Anicius, ac brevi assequutus Illyrios prædatores, congressusque cum eis, et perlevi negotio victor, aliquot naves hostium cepit, cæteras repetere Illyricum coegit. Inde in castra ad Genusuum regressus, ad Bassanitarum auxilium properavit. Non sustinuit famam adventantis prætoris Gentius, solutaque obsidione Scodram se contulit tam trepida fuga, ut ne totum quidem exercitum abduceret. Magna pars copiarum, quæ, si dux præsens confirmasset animos, morari Romanos poterat, amo-] to eo, tradiderunt se.

XXXI. Deinceps et urbes regionis ejus idem faciebant, adjuvante inclinationem animorum clementia in omnes et justitia prætoris romani. Ad Scodram inde[1] ventum est, id quod belli caput fuerat; non eo solum, quod Gentius eam sibi ceperat velut regni totius arcem, sed etiam quod Labeatium gentis munitissima longe est et difficilis aditu. Duo cingunt eam flumina, Clausala latere urbis, quod in orientem patet, præfluens, Barbana ab regione occidentis, ex Labeatide palude oriens. Hi duo amnes confluentes incidunt Oriundi flumini[2], quod, ortum ex monte Scodro, multis et aliis auctum aquis, mari Hadriatico

10. *Tum classis ad* ***. Supplementum quod inserimus, debetur Creverio. Ed.

Cap. XXXI. 1. *Ad Scodram inde*, etc. vide ad XLIII, 20, n. 1, et cf. Appian. Illyr. 9; Plut. Æmil. et Flor. II, 13. — *Caput fuerat*, forte *erat*; Drakenb. — *Præfluens*, pro *præterfluens*, ut sexcenties apud Nostrum. Sic et Horat. Od. IV, 3, v. 10, *Sed quæ Tibur aquæ fertile præfluunt*; et eodem libro, 14, v. 26, *Aufidus... Qui regna Dauni præfluit Appuli*. Ed. —*Barbana*, apud Vib. Sequ. de Flum. *Barbenna* seu *Barbena* et *Babenna Illyrico* (Hadriatico) *mari miscetur*.

2. *Oriundi flumini*: aliis *Drilonem*, et Scylaci Arionem dici putabant Ortel. et Vales. — *Ortum ex monte Scodro*, etc. vide ad XLIII, 20, n. 1.

infertur. Mons Scodrus, longe altissimus regionis ejus, ab oriente Dardaniam subjectam habet, a meridie Macedoniam, ab occasu Illyricum. Quanquam munitum situ naturali oppidum erat, gensque id tota Illyriorum et rex ipse tuebatur, tamen prætor romanus, quia prima successerant prospere, fortunam totius rei principia sequuturam esse ratus, et repentinum valiturum terrorem, instructo exercitu ad mœnia succedit. Quod si clausis portis muros portarumque turres, dispositis armatis, defendissent, vano cum incepto mœnibus pepulissent Romanos. Nunc, porta egressi, prælium loco æquo majore animo commiserunt, quam sustinuerunt. Pulsi enim et fuga conglobati, quum ducenti amplius in ipsis faucibus portæ cecidissent, tantum intulerunt terrorem, ut oratores extemplo ad prætorem mitteret Gentius Teuticum et Bellum, principes gentis, per quos inducias peteret, ut deliberare de statu rerum suarum posset. Triduo in hoc dato, quum castra romana quingentos ferme passus ab urbe abessent, navem conscendit, et flumine Barbana navigat in lacum Labeatum, velut secretum locum petens ad consultandum; sed, ut apparuit, falsa spe excitus, Caravantium fratrem, multis millibus armatorum actis[3] ex ea regione, in quam missus erat, adventare. Qui postquam evanuit rumor, tertio post die navem eamdem secundo amni Scodram demisit, præmissisque nuntiis, ut sibi appellandi prætoris potestas fieret, copia facta, in castra venit. Et principium ora-

3. *Multis millibus armatorum actis,* ut *agere agmen equitum:* nisi leg. *coactis;* Gron. —*Ex ea regione in quam missus erat;* bene monet Crever. hæc non de Caravantii in Cavios expeditione, in cap. præced. memorata, intelligenda esse, sed de alia regione Gentio addicta, in quam Caravantius, a Caviis reversus vel revocatus, ad copias ibi cogendas a fratre missus videtur. Agebat forte de hoc Liv. in iis quæ sub fine præc. cap. perierunt. Ed.

tionis ab accusatione stultitiæ orsus suæ, postremo ad preces lacrymasque effusus, genibus prætoris accidens, in potestatem sese dedit. Primo, bonum animum habere jussus, ad cœnam etiam invitatus, in urbem ad suos rediit, et cum prætore eo die honorifice est epulatus: deinde in custodiam C. Cassio tribuno militum traditus, vix gladiatorio accepto decem talentis ab rege[4] rex, ut in eam fortunam recideret.

XXXII. Anicius, Scodra recepta, nihil prius, quam requisitos Petillium Perpernamque legatos ad se duci, jussit: quibus splendore suo restituto, Perpernam extemplo mittit ad comprehendendos amicos cognatosque regis; qui, Medeonem, Labeatium[1] gentis urbem, profectus, Etlevam uxorem cum filiis duobus, Scerdilædo Pleuratoque, et Caravantium fratrem Scodram in castra adduxit. Anicius, bello Illyrio intra triginta dies perfecto[2], nuntium victoriæ Perpernam Romam misit, et post dies paucos Gentium regem ipsum cum parente, conjuge, ac liberis, ac fratre, aliisque principibus Illyriorum. Hoc unum bellum prius perpetratum, quam cœptum, Romæ auditum est. Quibus diebus hæc agebantur, Perseus quoque in magno terrore erat propter adventum simul Æmilii novi consulis, quem cum ingentibus minis adventare

4. *Vix gladiatorio accepto decem talentis ab rege* Perseo *rex* Gentius; venuste pro: post quam vix eo quasi auctoramento hic se operamque suam illi vendiderat, h. e. societatem cum eo inierat, *ut in eam fortunam*, captivitatem, *recideret*, caderet. Conf. cap. 27, et ad XXVIII, 21, n. 3. Turnebus, Adv. XXIX, 7, putabat, sensum h. l. esse: pluris conduci gladiatorem, quam quanti in bellum Gentius conjectus sit. — Cæterum decem talenta fiunt, ex Crever. computatione, marcæ argenti nostrates 937, et unciæ 4. Ed.

Cap. XXXII. 1. *Medeonem Labeatium*, etc. vid. XXXVI, 11, n. 6. — *Etlevam;* vide ad cap. 30, n. 3. — *Scerdilædo:* alii *Scerdilio* et *Scerdileto;* vide ad XXII, 33, n. 3. — *Scodram;* de qua urbe vide quæ dicta sunt ad XLIII, 20, n. 1.

2. *Bello Illyrio intra XXX dies perfecto*, forte *XX dies* ex Appiani Illyr. 9. — *Perpetratum;* vide ad XLII, 30, n. 6.

audiebat, simul Octavii prætoris. Nec minus terroris a classe romana[3] et periculo maritimæ oræ habebat. Thessalonicæ Eumenes et Athenagoras præerant cum parvo præsidio duorum millium cætratorum[4]. Eo et Androclem præfectum mittit, jussum sub ipsis navalibus castra habere. Æniam mille equites cum Antigono misit ad tutandam maritimam oram, ut, quocumque litore applicuisse naves hostium audissent, extemplo ferrent agrestibus opem. Quinque millia Macedonum missa ad præsidium Pythii et Petræ[5], quibus præpositi erant Histiæus, et Theogenes, et Medon. His profectis, ripam munire Enipei fluminis aggressus est, quia sicco alveo transiri poterat. Huic ut omnis multitudo vacaret, feminæ, ex propinquis urbibus[6] coactæ, cibaria in castra afferebant: miles jussus ex propinquis silvis [ligna petere. Inde structum vallum, propu-

3. *Nec minus terroris a classe rom.* etc. sed idem dicunt verba proxime præc.; nam huic classi præerat Octavius prætor. In edd. ante Frob. a. 1535 *habebat Thessalonica.* Sed cur hæc plus terroris habebat, quam alia oppida Macedoniæ maritima? Hinc *nec minus t. a. c. r. Thessalonica et maritima ora habebat* conj. Drakenb. monetque, in seqq. per partes narrari, qua ratione saluti Thessalonicæ et oræ maritimæ consulere Perseus conatus sit. Probabilior est emendatio Roellii *et periculi maritima ora habebat.*— Utriusque Doering. emendationem repudiat, et difficultati jure motæ leniore ratione succurri posse putat, si, pro *habebat* simpliciter legatur *habebant.* Ed.

4. *Duorum millium cætratorum;* vide ad XXI, 21, n. 6.

5. *Pythii et Petræ*, etc. conf. Plut. Æmil. pag. 262, unde Sigon. *Pythii* pro *Pythoi* substituit. Πύθιον apud Ptol. III, 13. — *Medon;* vide ad XLII, 58, n. 2. — *Huic*, scilic. rei, vel operi, vel negotio, so. munitionis; Drak. *Operi* excidisse putabant Mur., Crev. et Doujat.

6. *Ex propinquis urbibus coactæ;* vide ad XXXII, 2, n. 4. *Ex propinquis u. cocta cibaria*, etc. conj. Drakenb. — *Ex propinquis silvis* ***. Orsus erat Livius dicere, quæ Perseus rex ad famam adventus consulis Paulli parasset, cujus narrationis pars extrema intercidit, una cum initio expositionis ejus, qua, quæ Paullus moliri cœpit, ubi in Macedoniam pervenit, prodit: primis autem his verbis, *postremo sequi se utrarios ad mare*, quemadmodum inopiam aquarum levaverit in Olympo monte, tradit. Cæterum quod hic dedimus supplementum, a Creverio concinnatum est, et sic in sequentibus quoque supplemen-

gnacula excitata, adjectis turribus dispositisque ubique tormentis, ita ripam defendebant, ut penetrare hostis sine gravi certamine et periculo non posset. Sic tutum se adversus omnem Romanorum impetum fore confidebat, sedendoque et segni mora languescentes, tum sumptibus exhaustos hostes tandem tædium tam difficilis belli capturum. Paullus contra quo diligentius et cautius omnia apud Macedonas provisa et custodita cernebat, eo acrius curam intendere, in omnes partes versare animum, si quo consilio frustrari hostium spem haud de nihilo sane conceptam posset. Cæterum præsens tum malum angebat, aquarum penuria. Exaruerat pæne proximum flumen, nisi quod juxta ipsum mare exigua et corrupta manabat aquula.

XXXIII. Consul, quum missi circa propinqua loca nullam aquam inveniri renuntiarent, postremo sequi se[1] utrarios ad mare, quod minus trecentos passus aberat, jussit, et in litore alios alibi modicis intervallis fodere. Montes ingentis altitudinis spem faciebant, eo magis quia nullos apertos evergerent rivos, occultos continere latices, quorum venæ in mare permanantes undæ miscerentur. Vix deducta summa arena erat, quum scaturigines turbidæ primo et tenues emicare, dein liquidam multamque fundere aquam, velut deum dono[2], cœperunt. Aliquantum ea quoque res duci famæ et auctoritatis apud milites adjecit. Jussis deinde militibus expedire arma, ipse cum tribunis primisque ordinibus[3] vadit ad contemplandos transitus; qua descensus facilis ar-

ta, uti illa in edd. Crever. Drakenb. et Doering. leguntur, dabimus. Ed.

Cap. XXXIII. 1. *Postremo sequi se utrarios* (homines, aquam in utribus ad castra ferentes)... *jussit*, scilic. Æmilius Paullus consul, quem ita inopiæ aquarum in Olympo monte occurrisse tradit etiam Plutarch. Æmil. pag. 262, 263, sed etiam puteos fodi jussisse. — *Continere latices*, forte *contineri*, et mox pro *deducta summa arena* leg. *diducta*, scil. a loco suo dimota; Drakenb. — *Scaturigines emicare*, prosilire, cum vi erumpere. Conf. cap. 10, n. 4.

2. *Velut deum dono*, etc. cf. Cæs. Bell. Gall. II, 31.

3. *Cum tribunis primisque ordinibus*; vide ad XXX, 4, n. 1. — *Illa quoque primum*, etc. aut forte *illud*.

matis, qua in ulteriorem ripam minime iniquus ascensus esset. His satis exploratis, illa quoque primum, ut ordine ac sine tumultu omnia in agmine ad nutum imperiumque ducis fierent, providit. Ubi omnibus simul pronuntiaretur, quod fieret, neque omnes exaudirent; incerto imperio accepto, alios, ab se adjicientes[4], plus eo, quod imperatum sit, alios minus facere: clamores deinde dissonos oriri omnibus locis, et prius hostes, quam ipsos, quid paretur, scire. Placere igitur, tribunum[5] militum primo pilo legionis secretum edere imperium: illum et dein singulos proximo cuique in ordine centurioni dicere, quid opus facto sit; sive a primis signis ad novissimum agmen, sive ab extremis ad primos perferendum imperium sit. Vigiles etiam nòvo more scutum in vigiliam ferre vetuit[6]: non enim in pugnam vigilem ire, ut armis utatur, sed ad vigilandum, ut, quum senserit hostium adventum, recipiat se, excitetque ad arma alios. Scuto præ se erecto stare galeatos[7]; deinde ubi fessi sint, innisos pilo, capite super marginem scuti posito, sopitos stare, ut fulgentibus armis procul conspici ab hoste possint, ipsi nihil provideant. Stationum quoque mo-

4. *Alios, ab se* (ipsos per se) *adjicientes*, sc. præcepto, quod non exauditum erat, conjectando, vel suspicando; Ern.

5. *Placere igitur, tribunum*, etc. « Ex ipso h. l. patet, de imperiis, quæ ad iter et agmen pertinebant, agi, non de omnibus, etiam quæ militi in castris manenti dabantur, quod putabat Lips. de Mil. Rom. IV, 10. Quæ hic de scutis et pilis et stationibus dicuntur, illustrat idem II, 2, n. 4; V, 8, 9, et Schel. ad Polyb. cap. 2. » Duk.

6. *Vigiles scutum in vigiliam ferre vetuit;* hic iterum a Livio diversus Plutarch. hastam pro scuto memorat in Æmilio, loc. laud. τὰς δὲ νυκτερινὰς ἐκέλευσε φυλακὰς ἄνευ λόγχης φυλάττειν, etc.

7. *Scuto præ se e. stare gal.* scilic. jussit, e præc. *vetuit.* Conf. ad I, 33, n. 7. Alterum *stare* non opus erat addi; Duker. — Non vult Doer. ad *stare* suppleri *jussit*, sicut cl. Rup. exponit. « Immo, ait, Æmilius pergit agere de vitiis, quæ cum novo illo more conjuncta sint; milites dicit, nunc *scuto præ se erecto galeatos stare; deinde*, etc. Ed.

rem mutavit. Armati omnes et frenatis equis equites diem totum perstabant. Id quum æstivis diebus, urente assiduo sole, fieret, tot horarum æstu et languore ipsos equosque fessos integri sæpe adorti hostes, vel pauci plures vexabant. Itaque ex matutina statione ad meridiem decedi, et in postmeridianam succedere alios jussit: ita nunquam fatigatos recens hostis aggredi poterat.

XXXIV. Hæc quum ita fieri placere, concione advocata, pronuntiasset, adjecit urbanæ concioni convenientem orationem[1]. *Unum imperatorem in exercitu providere et consulere, quid agendum sit, debere, nunc per se, nunc cum iis, quos advocaverit in consilium: qui non sint advocati, eos nec palam, nec secreto jactare consilia sua. Militem hæc tria curare debere, corpus ut quam validissimum et pernicissimum habeat, arma apta, cibum paratum ad subita imperia: cætera scire de se diis immortalibus et imperatori suo curæ esse. In quo exercitu milites consulant, imperator rumoribus vulgi circumagatur*[2], *ibi*

Cap. XXXIV. 1. *Adjecit urb. conc. conven. orationem;* quemadmodum, enim, observat Doering., Æmilius supra caput 22, in oratione ad concionem in Urbe habita declaraverat, nihil magis rebus gerendis impedimento esse quam inepta studia hominum, qui rebus, quæ extra urbem gerantur, sese immisceant, vanosque de iis rumores in circulis et convivliis spargant, ita in hac oratione præcipit militibus, ut se totos uni imperatori regendos tradant, nec ab aliorum dictis vel rumoribus se circumagi patiantur. Ed. — *Jactare consilia sua*, scil. *debere*. Conf. ad III, 10, n. 2. — *Cibum paratum ad subita imperia:* sæpe militibus romanis imperatum, ut cibaria cocta in certum dierum numerum habeant; Crev. *Animum* pro *cibum* reposuit Sigon. Non nisi duo memorat Plutarchus, Æmil. p. 261 extr., corpus et arma.

2. *In quo exercitu milites consulant, imperator rumoribus vulgi* (militum) *circumagatur:* nam supra dixerat, *unum imperatorem in exercitu providere et consulere, quid agendum sit, debere*, etc. Hinc ita semper legendum esse putavi pro vulg. *in quo exercitu milites, consul et imperator r. v. c.* quod sic emendavi, postquam vidi, idem, vel *miles consulat*, conjecisse Jac. Periz. idque probasse Duk., Crev. et Drak. *In quo exercitu militum* (rumoribus) *consul, et imperator*, etc.

nihil salutare esse. Se, quod sit officium imperatoris, provisurum, ut bene gerendæ rei occasionem eis præbeat. Illos nihil, quod futurum sit, quærere: ubi datum signum sit, tum militarem operam navare[3]. Ab his præceptis concionem dimisit, vulgo etiam veteranis fatentibus, se illo primum die, tanquam tirones, quid agendum esset in re militari, didicisse. Non sermonibus tantum his, cum quanto assensu audissent verba consulis, ostenderunt; sed rerum præsens effectus erat. Neminem totis mox castris quietum videres: acuere alii gladios; alii galeas[4] bucculasque, scuta alii loricasque tergere: alii aptare corpori arma, experirique sub his membrorum agilitatem; quatere alii pila, alii micare gladiis, mucronemque[5] intueri: ut facile quis cerneret, ubi primum conserendi manum cum hoste data occasio esset, aut victoria egregia, aut morte memorabili inituros bellum. Perseus

suspicabatur Gron. putans simplicius quidem *militibus* opponi *imperatorem*, et *consulem vulgo*, sed elegantius illud esse et fere ut in procemio Institutt. *non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam.* Verum Duk. jam monuit, *consulem* ab *imperatore*, et *milites* a *vulgo* non differre, adeoque minime concinnum sermonem esse, *vulgum vulgi* vel *milites militum rumoribus circumagi.* Idem putabat, *circumagi* h. l. ut XXVI, 8, et XXXIX, 5, eos dici, qui ex sese non apti ipsi nullas certas consiliorum et actionum suarum rationes, sed ex aliorum consiliis et actionibus suspensas, habeant; idque non convenire in milites, quorum partes sint ducibus parere, non consilium dare. Enimvero *rumoribus circumagi* dicuntur homines vel res, quæ in ora hominum veniunt iisque sermonum judiciorumque ferendorum materiem præbent. Sic et *rumoribus* vel *sermonibus differri* et *circumferri*, *fabulam, sermonem et rumorem fieri*, germ. *ausgetragen, herumgetragen werden.* Conf. ad XXXIV, 49, n. 2; ad Juven. I, 145, X, 167, et ad Tacit. Ann. I, 4, n. 6, ubi similiter dicitur *imminentes dominos variis rumoribus differre.*

3. *Operam navare*, scil. *debere;* quod his præcessit. — *Ab his præceptis;* vide ad I, 1, n. 5.

4. *Galeas bucculasque;* vide ad Juvenal. X, 134, aut ad Sil. XIV, 158; Stewech. ad Veget. II, 13; Lips. Mil. Rom. III, 5.

5. *Mucronemque intueri*, forte *tentare*, ut apud Suet. Ner. 49, et ad Tacit. Hist. II, 49: explorabant autem milites aciem mucronis, quod Romani magis punctim, quam cæsim,

quoque quum, adventu consulis simul et veris principio, strepere omnia moverique apud hostes, velut novo bello, cerneret, mota a Phila castra in adversa ripa posita, nunc ad contemplanda opera sua circumire ducem, haud dubie transitus speculantem, [nunc ea omnia intentissima cura apparare, quæ ad vim faciendam oppugnandaque castra usui esse possent; nihil omittere, quod sive adversus hostem, sive ad suorum adjuvandas vires magno duci conandum faciendumque esset; et ipse, tanquam in summæ rei jam discrimen venturus, acuere militum animos, firmare opera magis ac magis, nunquam satis provisa omnia, tutam munitamque ripam credere. Tamen in acerrimo utrimque ardore quieta per aliquantum temporis stativa fuere: nec unquam tantos exercitus tam in propinquum collatis castris tam tranquillos consedisse memoriæ proditum est. Interim fama nuntiat, victum in Illyrio Gentium regem ab Anicio prætore, ipsumque cum domo tota et universa ditione in potestate Romanorum esse.]

XXXV. Quæ res Romanis auxit animos [1], Macedonibus regique eorum haud mediocrem attulit terrorem. Et primo supprimere in occulto famam ejus rei est conatus, missis, qui Pantauchum inde venientem appropinquare castris vetarent. Sed jam et pueri quidam visi ab suis erant inter obsides Illyrios ducti; et,

pugnabant; Duk. Conf. Lips. de Mil. Rom. III, 3. — *Inituros bellum;* vide ad XXI, 8, n. 1. *Finituros* conj. Mur. Sed neutrum verbum hic satis aptum esse, jam docuere Crever. et Drak. Forte leg. *insignituros bellum*, i. e. insigne, memorabile facturos. — Conjicit Jacobs. apud Goeller. pag. 392, *inclinaturos bellum*, sed non satis concinne, ut nobis videtur. Ed. — *Veris principio;* vid cap. 30, n. 1.

Cap. XXXV. 1. *Quæ res Romanis auxit animos*, scil. nuntius de Gentii captivitate et fine regni ejus. — *Sed jam et pueri quidam*, etc. nihil intricatum est in verbis: sed res ipsa, ut observat Crever., parum clara. Si *obsides Illyrios* intelligas obsides a Perseo regi Gentio datos, et a Pantaucho subductos ne in Romanorum manus inciderent, poteris sic exponere: Pueri quidam Macedones traditi inter cæteros obsides Gentio et reducti in Macedoniam a Pantaucho, visi a suis

quo quæque accuratius curantur[2], eo facilius loquacitate regiorum ministrorum emanant. Sub idem tempus Rhodii legati in castra venerunt cum iisdem de pace mandatis, quæ Romæ ingentem iram Patrum excitavere. Multo iniquioribus animis a castrensi consilio[3] auditi sunt. Itaque quum alii præcipites sine responso * agendos castris, pronuntiavit, post diem quintumdecimum se responsum daturum. Interim, ut appareret, quantum pacificantium Rhodiorum auctoritas valuisset, consultare de ratione belli gerendi cœpit. Placebat quibusdam et maxime majoribus natu[4], per Enipei ripam munitionesque vim facere, *confertis et vim facientibus resistere Macedonas non posse: ex tot castellis aliquanto altioribus ac munitioribus, quæ validis præsidiis insedissent, priore anno dejectos.* Aliis placebat, Octavium cum classe Thessalonicam petere, et populatione maritimæ oræ distringere copias regias, ut, altero ab tergo se ostendente bello, circumactus ad interiorem partem regni tuendam, nudare aliqua parte transitus Enipei cogeretur. Ipsi natura et operibus inexsuperabilis ripa videbatur, et, præterquam quod tormenta ubique disposita es-

erant, eosque edocuerant, quid in Illyrico gestum esset. Ed.

2. *Quo quæque accuratius curantur*, forte *celantur;* Gronov. probb. Crev. et Duker. qui id confirmat locis Liv. VIII, 3, et XXIX, 24.

3. *A castrensi consilio;* vide ad VIII, 6, n. 6. Mox post *responso* videtur deesse *censerent* aut intelligendum, nisi leg. *agerent castris*, h. e. agendos censerent (vide ad III, 21, n. 3); Gronov. *Alii* h. l. sunt omnes, quos Paullus in consilium advocarat, iisque opponitur ipse Paullus et quod ei placuit; Drak. — Doujatius cum Gron. *censerent* aut *agerent* legendum putat, et insuper accipit *præcipites* nominandi casu non de legatis Rhodiorum, sed de romanis ducibus. Ed.

4. *Et maxime majoribus natu*, forte *minoribus:* nam fervidum illud consilium magis sapit juvenilem ardorem, quam senilem prudentiam; Crev. — Vulgat. defendit Doering. nam, quis, ait, consilium rei convenientissimum, deroget prudentioribus, et experientia edoctis quid in tempore faciendum sit? Ed. — *Per Enipei ripam m. vim facere;* vide ad XXXII, 9, n. 4. — *Distringere copias regias;* vide supra ad librum XXXV, cap. 18, not. 5.

sent, missilibus etiam melius et certiore ictu hostes uti audierat. Alio spectabat mens tota ducis, dimissoque consilio Perrhæbos mercatores, Schœnum et Menophilum[5], notæ et fidei jam sibi et prudentiæ homines, arcessitos secreto percunctatur, quales ad Perrhæbiam transitus sint. Quum loca non iniqua esse dicerent, præsidiis autem regis obsideri, spem cepit, si nocte improviso valida manu aggressus necopinantes esset, dejici præsidia posse. *Jacula enim et sagittas et cætera missilia in tenebris, ubi, quid petatur, procul provideri nequeat, inutilia esse. Gladio cominus geri rem in permixta turba, quo miles romanus vincat.* His ducibus usurus, prætorem Octavium arcessitum, exposito, quid pararet, Heracleum cum classe petere jubet, et mille hominibus decem dierum cocta cibaria habere. Ipse P. Scipionem Nasicam, Q. Fabium Maximum filium suum cum quinque delectis millibus[6] Heracleum mittit, velut classem conscensuros ad maritimam oram interioris Macedoniæ, quod in consilio agitatum erat, vastandam. Secreto indicatum, cibaria his præparata[7] ad classem esse, ne quid eos moraretur. Inde jussi duces itineris ita dividere viam, ut quarta vigilia tertio die Pythium adoriri possent. Ipse postero die, ut distineret regem ab circumspectu rerum aliarum, prima luce medio in al-

5. *Schœnum et Menophilum*, forte *Cœnum*, quod Macedon nomen notum ex Justino et Curtio; Gron. et Drak. Conf. ad seqq. Plut. Æmil. pag. 262, 263, ubi alia tradit. — *Improviso v. m. aggressus nec opinantes;* vide ad XXIV, 27, n. 3.

6. *Cum quinque delectis millibus*, forte *delectorum;* vide ad III, 5, n. 3, et Plut. l. l. ubi majorem subtiliorem-que numerum ab ipso Nasica in epistolio quodam, quam a Polybio, tradi monet.

7. *Cibaria his præparata*, etc. « at supra prætor tantum mille hominibus ea parare jussus est, non quinque millibus: unde igitur reliqui cibaria habuerunt? » Drak.—*Pythium* templum Apollinis Pythii, et castellum in summo Olympi jugo positum; vid. Plut. in Æmilio. Ed. — *Ut distineret regem ab circumspectu*, respectu, cura, re-

veo cum stationibus hostium prælium commisit. Pugnatumque utrimque est levi armatura : nec gravioribus armis in tam inæquali alveo pugnari poterat. Descensus ripæ utriusque in alveum trecentorum ferme passuum erat : medium spatium torrentis, alibi aliter cavati, paulo plus quam mille passus patebat. Ibi in medio, spectantibus utrimque ex vallo castrorum hinc rege, hinc consule cum suis legionibus, pugnatum est. Missilibus procul regia auxilia melius pugnabant; cominus stabilior et tutior, aut parma, aut scuto ligustino[8], Romanus erat. Meridie fere receptui cani suis consul jussit. Ita eo die diremptum prælium est, haud paucis utrimque interfectis. Sole orto postero die, irritatis certamine animis, etiam acrius concursum est: sed Romani, non ab his tantum, cum quibus contractum certamen erat, sed multo magis ab ea multitudine, quæ disposita in turribus stabat, omni genere missilium telorum ac saxis maxime vulnerabantur. Ubi propius ripam hostium subissent, tormentis missa etiam ad ultimos perveniebant. Multo pluribus eo die amissis, consul paulo serius recepit suos. Tertio die prælio abstinuit, degressus ad imam partem castrorum[9], veluti per devexum in mare bra-

rum aliarum; vide ad III, 23, n. 1.

8. *Aut parma* Velitum (vide ad XXVI, 4, n. 3), *aut scuto ligustino :* nam multi etiam Ligures cum Romanis pugnabant, et hi quoque leviter armati erant. Cf. Plut. l. l. p. 264; Polyb. XXIX, 6, § 1; Diodor. Ecl. 3 ex lib. XXIII (ubi levis armatura scutumque ligurum, gallico simile, describitur), et Lips. Mil. Rom. III, 2, sub finem. — *Haud paucis;* suspectum habeo *haud :* nam in levis armaturæ velitationibus raro multum sanguinis fundebatur, et postero die multo plures amissi dicuntur; Duker.

9. *Degressus ad imam partem castrorum*, quæ videntur fuisse in collibus; paulatim versus mare descendentibus; Drak. — *Per devexum in mare brachium.* Quærit Crever. an fossam vallumque a Perseo ducta versus mare, ac proinde a cæteris munimentis longius remota? an brachium fluminis Enipei in mare devexo alveo fluens? Si hoc posteriore sensu capias, indicaverit Livius hic scindere se flumen, atque adeo, ut fere fit, minus altum et transitu facilius esse. Sed vide ad

chium transitum tentaturus. Perseus, quod in oculis erat, [id tantum cogitans, ad repellendum ea parte hostem omnem curam intendebat, nihil aliud sollicitus. Interim P. Nasica cum attributa sibi manu versus mare Heracleum profectus, postquam eo pervenit, jussis corpora curare militibus, noctem exspectavit. Tum vera consulis mandata præcipuis ducum exposuit, ac primis se intendentibus tenebris flexo ad montem itinere, ad Pythium, ut imperatum erat, copias silentio ducit. Ubi ventum ad summum cacumen est, quod decem amplius stadia in altitudinem assurgit, fatigatis militibus aliquid requietis datum. Hoc jugum, ut ante dictum est, Milo, et Histiæus, et Theogenes a Perseo missi cum quinque millibus Macedonum obtinebant: sed tanta negligentia regiis ducibus erat, ut nemo adventare Romanos senserit. Sopitos aggressus Nasica de jugo facile dejecit, si Polybio fides. Ipse enim Nasica in epistola ad quemdam regum longe aliter rem narrat. *Montem arduo ascensu fuisse, sed incustoditum, ita ut saltum occupare nullo negotio potuisset, nisi transfuga Cretensis ex iis, quos secum ducebat, ad Persea cucurrisset, eumque docuisset, quid ageretur. Regem ipsum quidem mansisse in castris, sed misisse duo Macedonum, decem auxiliarium millia, Milone duce, ad occupandum saltum. Cum his acerrima pugna in summo jugo concursum esse, atque inter alia sese a Thrace milite ferro appetitum, quem ipse adacta per pectus hasta transfixerit. Victos tandem Macedonas loco cessisse, Milonemque ipsum turpissima fuga abjectis armis saluti consuluisse.* Romanis fugientes persequentibus facilis et sine ullo periculo in plana descensus fuit. Hoc rerum statu Perseus ambigere, quid facto opus. Quum, aperta jam per saltum via, metueret, ne circumiretur a Romanis, omnino necesse erat,

XXXVII, 31, n. 5. Ed. — *Perseus, quod in oculis erat***; jam aggressurus erat dicere, quemadmodum Perseus Nasicæ atque Fabio, qui cum magna manu Macedonas ab alia parte ut adorirentur, missi erant, obstiterit: et hæc igitur desiderantur, et insuper quemadmodum Paullus post Nasicam sit consequutus; Sigon. Cf. Plutarch. l. l. pag. 263.

ut aut ad Pydnam recedens hostem ibi exspectaret, sub muris munitæ urbis minore periculo certaturus; aut copiis per urbes Macedoniæ dispersis, convectisque in loca munitiora frugibus atque pecoribus, populatos agros et nudum hosti relinqueret solum. Anceps fluctuabat inter hæc duo consilia regis animus. Amici tutius quoque id, quod honestius foret, rati, hortabantur, ut pugnæ casum experiretur. *Eum et numero præstare militum, et vero etiam virtuti credere debere, quam ingenitam animis accensura quoque essent illa validissima et sanctissima apud homines ad fortiter pugnandum incitamenta, iræ, foci, sacra, inter quæ et pro quibus dimicandum esset, et parentes ac conjuges; rex denique ipse inspectans, seseque in partem discriminis offerens.* His motus rex ad pugnam sese comparavit, et, quum retro cessisset ad Pydnam, simul castra locat, simul instruit aciem, suum cuique ductorum munus locumque assignat, tanquam statim ex itinere dimicaturus. Regio erat hujusmodi: campus explicandæ phalangi, cui aperta et æquabili planitie opus est, opportunus; non ita tamen, ut facile promoveri posset: perpetui deinde colles, qui levi armaturæ tum refugiendi, tum circumcursandi copiam præberent. Amnes duo, Æsonem alterum, alterum Leucum incolæ appellant, quamvis tenui tum fluerent aqua, aliquid tamen negotii facessere Romanis posse videbantur. Æmilius, junctis cum Nasica copiis, recta ad hostem ire pergit. Verum ad conspectum exercitus et numero et robore militum validissimi, et egregie instructi et parati ad pugnam, stupefactus substitit, multa secum reputans.

XXXVI. Tempus] anni post circumactum [1] solstitium erat: hora diei jam ad meridiem vergebat: iter multo pulvere et incalescente sole factum erat. Lassitudo et sitis jam sentiebatur, et, meridie instante, magis accessurum utrumque apparebat. Statuit sic affectos recenti

Suppl. Plutarch. in Æmilii vita.

Cap. XXXVI. 1. *Anni post circumactum solstitium*, etc. θέρους ἦν ὥρα φθίνοντος, etc. Plut. l. l. — *Magis accessurum*, auctum iri (vide ad XXIV, 27, n. 7), *utrumque*, sc. lassitudinem

atque integro hosti non objicere. Sed tantus ardor in animis ad dimicandum utrimque erat, ut consuli non minore arte ad suos eludendos, quam ad hostes, opus esset. Nondum omnibus instructis, instabat tribunis militum, ut maturarent instruere: circumibat ipse ordines, animos militum hortando in pugnam accendebat. Ibi primo alacres signum poscebant. Deinde, quantum incresceret æstus, et vultus minus vigentes et voces segniores erant, et quidam incumbentes scutis nisique pilis stabant. Tum jam aperte primis ordinibus imperat[2], metarentur frontem castrorum, et impedimenta constituerent. Quod ubi fieri milites sensere, alii gaudere palam, quod fessos viæ labore flagrantissimo æstu non coegisset pugnare: legati circa imperatorem ducesque externi erant, inter quos et Attalus, omnes approbantes, quum pugnaturum consulem credebant: neque enim ne his cunctationem aperuerat[3] suam. Tunc mutatione consilii subita quum alii silerent, Nasica unus ex omnibus ausus est monere consulem, *Ne hostem quidem ludificatos priores imperatores*[4] *fugiendo certamen manibus emittere. Vereri, ne nocte abeat, sequendus maximo labore*

et sitim: unde Gron. emend. *utramque*, aut subintell. *malum*. Sed neutrum nonnunquam duobus femininis subjungi, docent Drak. coll. XXX, 30, et ad II, 5, n. 4, XXXIV, 58, n. 4, et Burm. ad Suet. Claud. 38 pr.

2. *Primis ordinibus imperat;* vide ad XXX, 4, n. 1. — *Quod ubi fieri milites sensere, alii gaudere palam... Legati circa imperatorem ducesque externi erant*, etc. Oratio manifeste ἀνακόλουθος, ut observat Buttn. Obs. pag. 108. Ed.

3. *Neque enim ne his* quidem *cunctationem aperuerat;* vide ad II, 45, n. 7, et XXXIII, 49, n. 1. Τὸ *quidem* vel excidisse, vel ex proximis verbis *ne hostem quidem*, ubi alieno positum sit loco, huc revocandum esse, putabant Crever. et Drak. *Vel* pro *ne* conj. Roell. — *Nasica unus*, etc. inflatus re feliciter adversus Persen gesta ad Olympum; cf. Plut. Æmil. p. 263.

4. *Ne hostem quidem ludificatos priores imperatores*, etc. forte leg. *ne hostem pridem ludificatum priores i. f. c. manibus emitteret*, ni malis *qui sit ludificatus;* Gron. Conf. n. 3. *Ne hostem, qui quidem sit ludificatus... emitteret* conj. Jac. Periz. — Buttner.

ac periculo in intima Macedoniæ; exercitusque, sicut prioribus ducibus, per calles saltusque Macedonicorum montium vagando circumagatur. Se magnopere suadere, dum in campo patenti hostem habeat, aggrediatur, nec oblatam occasionem vincendi amittat. Consul, nihil offensus libera admonitione tam clari adolescentis, « Et ego, inquit, animum istum habui, « Nasica, quem tu nunc habes; et, quem ego nunc ha- « beo, tu habebis. Multis belli casibus didici, quando « pugnandum, quando abstinendum pugna sit. Non « operæ sit[5] stanti nunc in acie docere, quibus de « causis hodie quiesse melius sit. Rationes alias repo- « scito : nunc auctoritate veteris imperatoris conten- « tus eris ». Conticuit adolescens; haud dubie videre aliqua impedimenta pugnæ consulem, quæ sibi non apparerent.

XXXVII. Paullus, postquam metata castra impedimentaque collocata animadvertit, ex postrema acie triarios primos subducit : deinde principes, stantibus in prima acie hastatis, si quid hostis moveret : postremo hastatos, ab dextro primum cornu singulorum paulatim signorum milites[1] subtrahens. Ita pedites, equitibus cum levi armatura ante aciem hosti oppositis, sine tumultu abducti; nec ante, quam prima frons valli ac fossa perducta est, ex statione equites revocati sunt. Rex quoque, quum sine detrectatione paratus pugnare eo die fuisset, contentus, quod per hostem

Obss. pag. 109, suspicatur : « *Ne hostem, qui idem ludificatus priores imperatores*, etc. sensum nempe hujus loci unice talem videri : « Ne hostem, qui *jam* seu qui *etiam* (pro quo vulgare est *qui idem*) priores imperatores esset ludificatus, manibus emitteret declinando certamen ». Ed.

5. *Non operæ sit*, forte *est*; Gron. Conf. ad I, 24, n. 10, et Plut. l. l. pag. 264. — *Alias*, alio tempore. — *Haud dubie videre a. i. p. consulem :* leg. *dubius*, aut suppl. *ratus*; Drak. Conf. ad VI, 22, n. 5.

Cap. XXXVII. 1. *Signorum* milites ; vide ad XXV, 23, n. 9.

moram fuisse pugnæ scirent[2], et ipse in castra copias reduxit. Castris permunitis, C. Sulpicius Gallus tribunus militum secundæ legionis, qui prætor superiore anno fuerat, consulis permissu ad concionem militibus vocatis pronuntiavit, *nocte proxima, ne quis id pro portento acciperet, ab hora secunda usque ad quartam horam noctis lunam defecturam esse*[3]. *Id, quia naturali ordine statis temporibus fiat, et sciri ante et prædici posse. Itaque quemadmodum, quia certi solis lunæque et ortus et occasus sint, nunc pleno orbe, nunc senescente exiguo cornu*[4] *fulgere lunam non mirarentur; ita ne obscurari quidem, quum condatur umbra terræ, trahere in prodigium debere.* Nocte, quam pridie Nonas Septembres[5] insequuta est dies, edita hora luna quum defecisset, romanis militibus Galli sapientia prope divina videri: Macedonas, ut triste prodigium, occasum regni perniciemque gentis portendens, movit; nec aliter vates. Cla-

2. *Moram fuisse pugnæ scirent*, sc. copiæ suæ.

3. *Ab hora secunda usque ad quartam horam* (vide ad X, 34, n. 2) *lunam defecturam esse*, etc. conf. Plut. Æmil. pag. 264; Polyb. XXIX, 6, § 8 sq. Plin. II, 12 seu 9; Valer. Max. VIII, 11, n. 1; Cic. de Senf. 14; Frontini Strat. I, 12, n. 8, 9; Quintil. I, 10, et similia exempla effectus defectionum lunæ solisque, portentorum efficacissimorum ad movendos animos hominum, physicæ imperitorum imbutorumque superstitione, ad Juven. VI, 443; Polyb. V, 78, IX, 19; Curt. IV, 10; Justin. XXII, 6; Diodor. 20; Plut. Nicias, pag. 439. *C. Sulpicius Gallus*, solers orbium cælestium contemplator, primus Romanorum singulari libro exposuit causas eclipsium solis lunæque, quas primus omnium investigasse dicitur Thales Milesius; vid. Plin. et Valer. ll. ll. Cic. de Sen. 16; Pigh. Ann. ad a. 576. Eum non *tribunum militum*, sed legatum consulis fuisse, et post defectionem lunæ militibus causas ejus exposuisse, tradit Valer. Max.

4. *Nunc senescente* (forte *senescentem;* Gron.) *exiguo cornu;* vide ad I, 22, n. 3. — *Fulgere lunam;* ed. pr. *fugere.* Ed. — *Quum condatur umbra terræ*, tempore plenilunii nonnunquam intercedentis inter solem et lunam, quæ a sole lumen mutuatur.

5. *Pridie Nonas Sept.* apud Eutrop. IV, 7. *III Non. Sept.* sed *pridie Non. Sext.* (die *XXI* Junii Juliani proleptici) emend. Dodwell. in Append. ad Præl. Camd. p. 752, et de Cyclis, X, 18. — *Edita hora*, prædicta a Sulpicio; vid. I, 18, n. 2.

mor ululatusque in castris Macedonum fuit, donec luna in suam lucem emersit. Postero die tantus utrique ardor exercitui ad concurrendum fuerat, ut et regem et consulem suorum quidam, quod sine prælio discessum esset, accusarent. Regi prompta defensio erat[6], non eo solum, quod hostis prior, aperte pugnam detrectans, in castra copias reduxisset; sed etiam, quod eo loco signa constituisset, quo phalanx, quam inutilem vel mediocris iniquitas loci efficeret, promoveri non posset. Consul ad id, quod[7] pridie prætermisisse pugnandi occasionem videbatur, et locum dedisse hosti, si nocte abire vellet, tunc quoque per speciem immolandi terere videbatur tempus, quum luce prima signum propositum pugnæ ad exeundum in aciem fuisset. Tertia demum hora, sacrificio rite perpetrato, ad consilium vocavit[8]; atque ibi, quod rei gerendæ tempus esset, loquendo et intempestive consultando videbatur quibusdam extrahere. Post sermones tamen consul orationem habuit.

XXXVIII. « P. Nasica, egregius adolescens, ex omnibus unus, quibus hesterno die pugnari placuit, « denudavit mihi suum consilium[1]: idem postea, ita « ut transisse in sententiam meam videri posset, tacuit. Quibusdam aliis absentem carpere imperato-

6. *Postero die (tantus utrique ardor... accusarent) regi prompta defensio erat:* ita forte distinguendum; Drak. Aut leg. *fuit* pro *fuerat;* Duk. —*Non eo solum;* vide ad I, 11, n. 6.

7. *Consul ad id quod,* etc. vide ad II, 23, n. 3. Verba seqq. ita interpungenda putabat Drak. *terere videbatur tempus. Quum luce prima... fuisset, tertia demum,* etc.

8. *Sacrificio rite perpetrato* (conf. Plut. l. l.), *ad consilium vocavit;* vide ad I, 54, n. 1; II, 55, n. 6, et VIII, 6, n. 6. Mox forte leg. *atque ibi quoque, quod rei gerendæ tempus esset* vel *erat*, et deinde *tandem* pro *tamen,* nisi hoc ab omisso *quanquam* pendet; Drak. Conf. ad I, 12, n. 1. *Talem* pro *tamen* conj. Roell. *Atque ibi quoque rei gerendæ tempus loquendo et i. c. visus q. e., post sermones hanc consul o. h.* Gron.

Cap. XXXVIII. 1. *Denudavit mihi consilium;* vid. XXXIII, 21, n. 6.

« rem, quam præsentem monere, melius visum est. « Et tibi, P. Nasica, et quicumque idem, quod tu, « occultius senserunt, non gravabor reddere dilatæ pu- « gnæ rationem. Nam tantum abest, ut me hesternæ « quietis pœniteat, ut servatum a me exercitum eo « consilio credam. In qua me opinione esse ne quis « sine causa vestrum credat, recognoscat, agedum, « mecum, si videtur[2], quam multa pro hoste et ad- « versus nos fuerint. Jam omnium primum, quantum « numero nos præstent, neminem vestrum nec ante « ignorasse, et hesterno die implicatam intuentes aciem « animadvertisse, certum habeo. Ex hac nostra pau- « citate quarta pars militum præsidio impedimentis « relicta erat: nec ignavissimum quemque relinqui ad « custodiam sarcinarum scitis. Sed fuerimus omnes: « parvum hoc tandem esse credimus, quod ex his ca- « stris, in quibus hac nocte mansimus, exituri in « aciem hodierno aut summum crastino die, si ita vi- « debitur, diis bene juvantibus, sumus? Nihilne inter- « est, utrum militem, quem neque viæ labor hodie, « neque operis fatigaverit, requietum, integrum in « tentorio suo arma capere jubeas, atque in aciem « plenum virium, vigentem et corpore et animo edu- « cas? an longo itinere fatigatum et onere fessum, ma- « dentem sudore, ardentibus siti faucibus[3], ore atque

2. *Si videtur* ei, lubet, placet. — *Quantum numero nos præstent;* Perseus supra, XLII, cap. 51, dicitur habuisse undequadraginta peditum millia, quatuor equitum. Consuli ex legionibus romanis et exercitu sociali erant duodetriginta millia peditum, equitum duo, ut colligitur ex XLII, cap. 31, et hujus libri cap. 21. Huc adde non magna sane Attali et Misagenis auxilia. Ed. — *Implicatam intuentes aciem*, immo *explicatam;* Gron. — *Sed fuerimus omnes*, forte *sed f. una omnes*, sc. nulla parte militum ad custodiam sarcinarum detracta; Duk. An leg. *adfuerimus* aut *steterimus*, h. e. fac nos omnes in acie stetisse hesterno die?

3. *Ardentibus siti faucibus*, forte *arentibus*, ut Ovid. Met. VI, 355, *Et fauces arent:* sed et *ignea sitis, torrere guttur* et *urere* poetis dicitur; Gron.

« oculis repletis pulvere, torrentem meridiano[4] sole, « hosti objicias recenti, quieto[5], qui nulla re ante « consumptas vires ad prælium afferat? Quis, pro deum « fidem! ita comparatus, vel iners atque imbellis, for- « tissimum virum non vicerit? Quid? quod hostes per « summum otium instruxerant aciem, reparaverant « animos, stabant compositi suis quisque ordinibus: « nobis tunc repente trepidandum[6] in acie instruenda « erat, et incompositis concurrendum?

XXXIX. « At, Hercule, aciem quidem inconditam « inordinatamque habuissemus[1]: castra munita, pro- « visam aquationem, tutum ad eam iter præsidiis im- « positis, explorata circa omnia; an nihil nostri haben- « tes præter nudum campum, in quo pugnaremus? « Majores vestri castra munita portum ad omnes ca- « sus exercitus ducebant esse, unde ad pugnam exi- « rent, quo jactati tempestate pugnæ receptum habe- « rent[2]. Ideo, quum munimentis ea sepissent[3], præsidio « quoque valido firmabant, quod, qui castris exsutus « erat, etiamsi pugnando acie vicisset, pro victo ha- « beretur. Castra sunt victori receptaculum, victo per-

4. *Torrentem meridiano sole* intransit. pro *tostum* aut *qui torretur*, ut apud Colum. I, 4, IV, 19; Virgil. Æn. IX, 105. Sed malim cum Jac. Periz. legere *torrente* aut. *torpentem*.

5. *Hosti objicias recenti, quieto*, forte *requieto*, ut paulo ante; est enim aliud *quietus*, aliud *requietus*: ad illud sufficit præsens quies; hoc competit illis, qui aliquandiu quiete sunt usi; Gron.

6. *Nobis trepidandum*, etc. vide ad I, 14, n. 6; III, 49, n. 4.

Cap. XXXIX. 1. *Aciem quidem inconditam inordinatamque* (vide ad XXI, 57, n. 11) *habuissemus*, sed *castra munita*, etc. — *An nihil nostri* (vide ad I, 56, n. 10) *habentes*, forte *habemus*.—Sic hunc locum Crev. exponit: « Objicit sibi Æmilius: At, Hercule, aciem quidem inordinatam atque incompositam habuissemus, sed cætera egregie parata, id est, castra munita, provisam aquationem... Tum respondet: Itane parati concurrissemus, an potius nihil nostri habentes, præter nudum campum, in quo pugnaremus. » Ed.

2. *Quo... receptum haberent*; vide ad IV, 57, n. 2.

3. *Munimentis ea sepissent*, forte *sepsissent*; Gron. — Voss. Gramm. V,

« fugium. Quam multi exercitus, quibus minus pro-
« spera pugnæ fortuna fuit, intra vallum compulsi,
« tempore suo[4], interdum momento post, eruptione
« facta, victorem hostem pepulerunt? Patria altera est
« militaris hæc sedes, vallumque pro mœnibus, et ten-
« torium suum cuique militi domus ac penates sunt.
« Sine ulla sede vagi dimicassemus, ut quo victores
« nos reciperemus[5]? His difficultatibus et impedimen-
« tis pugnæ illud opponitur: Quid si hostis hac inter-
« posita nocte abisset, quantum rursus sequendo eo
« penitus in ultimam Macedoniam exhauriendum la-
« boris erat? Ego autem, neque mansurum eum, ne-
« que in aciem copias educturum fuisse, certum ha-
« beo, si cedere hinc statuisset. Quanto enim facilius
« abire fuit, quum procul abessemus, quam nunc,
« quum in cervicibus sumus[6]? Nec falleret nos, nec
« interdiu nec nocte abeundo. Quid autem est nobis
« optatius, quam ut, quorum castra, præalta fluminis
« ripa tuta, vallo insuper septa ac crebris turribus,
« oppugnare adorti sumus, eos, relictis munimentis,
« agmine effuso abeuntes, in patentibus campis ab
« tergo adoriamur? Hæ dilatæ pugnæ ex hesterno die
« in hodiernum causæ fuerunt. Pugnare enim et ipsi
« mihi placet; et ideo, quia per Enipeum amnem se-
« pta ad hostem via erat, alio saltu, dejectis hostium
« præsidiis, novum iter aperui; neque prius, quam
« debellavero, absistam. »

33, ex hoc loco laudat *sepiissent*. Ed.

4. *Tempore suo*; vid. I, 56, n. 10.

5. *Sine ulla sede* (castris) *vagi dimicassemus, ut quo victores nos reciperemus?* « pro: Dicite, quæso, quo nos victores recepissemus, si *sine ulla s. v. d.*, nisi leg. *ut, quo victores nos reciperemus, non haberemus?* » Ern. Lenior medicina est: *si sine ulla sede v. d., nunc quo victores nos reciperemus?* Ex *ne* (h. e. *nunc*) factum videtur *ut*. Sed nil forte mutandum; vide ad XL, 13, n. 6. — *Sequendo eo*, immo *s. eum*.

6. *In cervicibus sumus* hostis, seu hosti; vide ad III, 31, n. 1.

XL. Post hanc orationem silentium fuit, partim traductis in sententiam ejus, partim verentibus nequidquam offendere in eo, quod, utcumque prætermissum, revocari non posset. Ac ne illo ipso quidem die aut consule, aut rege (rege, quod nec fessos, ut pridie, ex via, neque trepidantes in acie instruenda et vixdum compositos aggressurus erat; consule, quod in novis castris non ligna, non pabulum convectum erat, ad quæ petenda ex propinquis agris magna pars militum e castris exierat), neutro imperatorum volente [1], Fortuna, quæ plus consiliis humanis pollet, contraxit certamen. Flumen erat haud magnum propius hostium castris, ex quo et Macedones et Romani aquabantur, præsidiis ex utrâque ripa positis, ut id facere tuto possent. Duæ cohortes a parte Romanorum erant, Marrucina [2] et Peligna; duæ turmæ Samnitium equitum, quibus præerat M. Sergius Silus legatus: et aliud pro castris stativum erat præsidium sub C. Cluvio legato, tres cohortes, Firmana, Vestina, Cremonensis; duæ turmæ equitum, Placentina et Æsernina. Quum otium ad flumen esset, neutris lacessentibus, hora circiter nona [3] jumentum, e mani-

Cap. XL. 1. *Ac ne illo ipso quidem die aut consule, aut rege... neutro imperatorum volente*, verba *neutro imperatorum* adjecta huic orationi divisæ propter longam parenthesin, ut subveniretur memoriæ lectoris vel auditoris, quod nihil est aliud quam *nec rege, inquam, nec consule*; Gronov. Conf. ad I, 19, n. 1. — *Trepidantes in acie instruenda*; vide ad cap. 38, n. 5. — *In novis castris erat* junge, aut leg. *in nova castra*. — *Flumen erat haud magnum propius hostium castris*; conj. *propius hostium castra* Gron. et certe Livius vocem *propius* sæpissime cum casu quarto construxit. Vid. Drak. ad II, 41, § 11. An tamen ita semper loqui voluerit, et omnia ubique ad hanc formulam exigenda sint, merito dubitari potest. Vide loca multa a Drakenb. ad h. l. allata, quibus alia constructio obtinere videtur. Ed.

2. *Duæ cohortes... Marrucina*, etc. vide ad X, 33, n. 1.

3. *Hora circiter nona*: ita leg. pro vulg. *quarta (IX* pro *IV)*: nam et ipse Livius sup. cap. 37 extr. testatur, diem extraxisse in consilio consulem (conf. cap. 42 extr.); Plut. Æmil. p. 264, D.

bus curantium elapsum, in ulteriorem ripam effugit. Quod quum per aquam, ferme genu tenus altam, tres milites sequerentur, Thraces duo id jumentum ex medio alveo in suam ripam traherent, altero eorum occiso, receptoque eo jumento, ad stationem suorum se recipiebant. Octingentorum Thracum præsidium in hostium ripa erat. Ex his pauci primo, ægre passi popularem in suo conspectu cæsum, ad persequendos interfectores fluvium transgressi sunt; dein plures, postremo omnes, et cum præsidio, [quod a parte Romanorum ripam defendebat, manum conserunt. Non desunt auctores, qui ipsius Paulli jussu equum detracto freno impulsum scribant in hostilem ripam, emissosque, qui retraherent, ut hostes pugnam priores lacesserent. Etenim quum viginti cæsis hostiis litatum non esset, tandem læta vigesimæ primæ exta haruspices renuntiaverant, ut, Romanis non lacessentibus, sed defendentibus sese, victoriam promitterent. Cæterum, sive consilio ducis, sive casu, ab hoc certe initio commissa pugna, aliis super alios ad ferendam suis opem utrimque advolantibus, brevi ita accensa est, ut duces cogerentur descendere in universum summæ rei discrimen. Æmilius enim, tumultu concurrentium audito, prætorio egressus, postquam cæcum ruentium ad arma impetum revocare aut sistere nec facile nec tutum videbatur, utendum ardore militum, et casum in occasionem vertendum putavit. Educit itaque copias castris, et ordines interequitans hortatur, ut expetitam tantopere pugnam pari ardore capesserent. Simul Nasica præmissus ad exploran-

αὐτὸς δὲ τὴν ἀπόκλισιν καὶ περιφοράν ἀναμένων τοῦ φωτὸς, ὅπως μὴ κατὰ πρόσωπον μαχομένοις αὐτοῖς ἕωθεν ὁ ἥλιος ἀντιλάμποι, παρῆγε τὸν χρόνον, et mox περὶ δὲ δείλην. Denique: ἐννάτης γὰρ ὥρας ἀρξάμενοι μάχεσθαι, πρὸ δεκάτης ἐνίκησαν, Gron. Idem mox *traherent* recte, opinor, reposuit pro *trahentes*, et verba *id jumentum* inducenda pro scholio censuit. — *E manibus curantium* Romanorum auxiliariumve. — *Tres milites* romani... *Thraces duo* macedonicorum auxiliorum *ex medio alveo in suam ripam traherent, altero eorum* Thracum... *ad stationem suorum se recipiebant* tres illi milites romani. Quæ omnia jam monuit Gron.

dum, quo in statu res essent inter primam cientes pugnam, adventare instructo exercitu Perseum nuntiavit. Primi Thraces incedebant, truci vultu, corpore procero, splendentibus miro candore clypeis lævam protecti. Humerum utrumque nigra vestiebat chlamys: ab dextero immanem pondere frameam identidem coruscabant. Juxta Thracas constitere mercede conducta auxilia, diverso inter se pro diversis nationibus armatu habituque: in his et Pæones fuere. Subibat agmen Macedonum ipsorum, quam leucaspidem phalangem appellabant; delecti quotquot robore ac virtute præstabant, fulgentes auratis armis sagisque puniceis. Ea media acies fuit. Hos sequebantur, quos ab æreis lucidisque clypeis chalcaspidas dicebant, aut aglaspidas. Hæc phalanx juxta alteram in dextro cornu locata est. Præter hanc utramque phalangem, quod præcipuum robur erat Macedonici exercitus, cætrati Macedones et ipsi, sarissas gerentes, quemadmodum phalangitæ, cætera levius armati, in cornua divisi erant, ante reliquam aciem projecti et eminentes. Fulgebat campus armorum splendore: clamoribus cohortantium sese invicem vicini colles personabant. Harum omnium copiarum prodeuntium in pugnam ea fuit celeritas et audacia, ut, qui primi interfecti sunt, ad ducentos et quinquaginta passus a romanis castris caderent. Progrediebatur interim Æmilius: utque adspexit quum reliquos Macedonas, tum eos, qui in phalangem contributi erant, partim clypeis, partim cætris ex humero detractis, inclinatisque uno signo sarissis, excipientes Romanorum impetum, admiratus et illam densatorum agminum firmitatem, et vallum protentis sarissis horrens, stupore simul ac terrore perculsus est, tamquam non aliud unquam tam terribile spectaculum conspicatus: ac postea id sæpius commemorare et præ se ferre solitus est. Tum vero sedulo dissimulans perturbati animi motum, vultu sereno ac secura fronte, et capite et corpore intecto aciem instruebat. Jam pugnabant Peligni adversus oppositos sibi cætratos, quumque diu multumque connisi perrumpere confertum agmen non possent, Salius, qui Pe-

lignos ducebat, arreptum signum in hostes misit. Hic ingens accensum certamen est, dum hinc Peligni ad recipiendum signum, hinc Macedones ad retinendum, summa ope nituntur. Illi prælongas Macedonum hastas aut ferro incidere, aut umbone impellere, aut nudis etiam interdum manibus avertere. Hi ambabus firmiter comprehensas tanta vi adigere in temere ac furore cæco ruentes, ut, transfossis scutis loricisque, transfixos etiam homines super capita projicerent. Sic profligatis Pelignorum primis ordinibus, cæduntur quoque, qui post illos steterant: atque, etsi nondum confessa fuga, pedem referebant tamen montem versus; Olocrum indigenæ vocant. Hic vero exarsit Æmilio dolor, ut etiam ex indignatione paludamentum scinderet. Nam et in cæteris locis videbat cunctari suos, timideque accedere ad illam velut ferream sepem, qua undique acies Macedonica inhorrebat. Sed animadvertit peritus dux, non stare ubique confertam illam hostium velut compagem, eamque dehiscere identidem quibusdam intervallis, sive ob inæqualitatem soli, sive ob ipsam porrectæ in immensum frontis longitudinem, dum qui superiora occupare conantur ab inferiora tenentibus, vel tardiores a citatioribus, et progredientes a subsistentibus, instantes denique hosti ab impulsis, inviti licet, necessario divelluntur. Ergo ut omnino rumperet ordinem hostium, et inexpugnabilem illam universæ phalangis vim in multa minutatim prælia carperet, imperat suis, ut intenti quacumque rimas agere hostilem aciem viderint, illuc quisque impetu inferantur, seque cuneatim in hiantia vel tantillum spatia insinuantes strenue rem agant. Hoc edito imperio, et per totum exercitum circumlato, ipse alteram e legionibus in] prælium ducit[4].

XLI. Movebat imperii majestas, gloria viri, ante omnia ætas, quod major sexaginta annis juvenum munia in parte præcipua laboris periculique capessebat.

Suppl. Plutarch. in Æmilio, l. l.

4. *In prælium ducit*, scil. legiones consul, qui in tentorio suo spectator fuerat certaminis in fluvio orti.

Intervallum, quod inter cætratos et phalanges[1] erat, implevit legio, atque aciem hostium interrupit. A tergo cætratis erat, frontem adversus clypeatos habebat: aglaspides appellabantur[2]. Secundam legionem L. Albinus consularis ducere adversus leucaspidem phalangem jussus: ea media acies hostium fuit. In dextrum cornu, unde circa fluvium commissum prælium erat, elephantes inducti et ala sociorum: et hinc primum fuga Macedonum est orta[3]. Nam sicut pleraque nova commenta mortalium in verbis vim habent, expe-

Cap. XLI. 1. *Inter cætratos* (vide ad XXI, 21, n. 6) *et phalanges*, forte *phalangem;* nam in acie Macedonum una tantum phalanx erat, in varia militum genera divisa; nisi Livius ratione partium dixit *phalanges*, ut Plut. Æmil. pag. 265, αἱ τῶν χαλκασπίδων φάλαγγες, aut scripsit *phalangitas;* Drak.

2. *Adversus clypeatos*, qui *aglaspides appellabantur*, ab ἀγλαὸς splendidus et ἀσπὶς clypeus; nisi cum Gron. leg. *chalcaspides* ex Plut. l. l. qui etiam memorantur Polyb. II, 65, 66; IV, 67, 69; V, 91, et aliis. Conf. ad XXI, 21, n. 6. *Argyraspides* conj. Ursin. « Modo dixerat, legionem implevisse *intervallum inter cætratos et phalangem:* nunc addit, legionem ita perrupisse, ut a tergo haberet *cætratos*, a fronte *clypeatos*. Patet ergo, clypeatos esse phalangitas: hi autem erant chalcaspides, seu æreis clypeis utebantur ». Drak. — *Leucaspidem phalangem*, cujus clypei erant λευκοὶ, albi. — *In dextrum cornu elephantes inducti et ala sociorum;* intelligo, Romanos in dextrum cornu exercitus sui, sive in primam istius cornu aciem, induxisse elephantos, quos habebant, et alam sociorum, ut lævum cornu hostium invaderent. Romanos habuisse eo tempore elephantos in exercitu colligo ex cap. 5. Cæterum quum in exercitu romano duæ fuerint alæ sociorum, *dextra* aut *sinistra* excidisse videtur; Drak.

3. *Hinc primum fuga Macedonum est orta*, « impetu alæ sociorum: *nam* id inducti elephanti efficere non potuerunt, sed in hostem acti *nomen tantum sine usu fuerunt*, et vanus eorum impetus. Elephantorum usus in prælio *novum commentum* vocatur, vel ei comparatur respectu Romanorum, qui iis haud temere ante hæc tempora in præliis usi sunt. In prælio cum Antiocho tantum post triarios in subsidio locati sunt, non, ut nunc, in hostem acti; vide ad XXXVII, 39 ». Drak. — *Pleraque nova commenta;* vide ad X, 13, n. 12. — Ea est ad h. l. Creverii nota: « Tota hæc periodus quid sibi velit hoc loco, parum videmus. Nam neque elephantorum usus in præliis novum tum commentum mortalium haberi poterat: nec videntur nomen sine usu fuisse in hac pugna; immo contrarium satis indicatur proxime sequentibus verbis: *Elephantorum impetum subsequuti sunt socii nominis latini.* Non ægre nobis persuaderi pateremur illam periodum ex alio aliquo loco huc temere

riendo, quum agi, non, quemadmodum agantur, edisseri, oportet, sine ullo effectu evanescunt; ita tum elephanti in acie nomen tantum sine usu fuerunt. Elephantorum impetum subsequuti sunt socii nominis latini, pepuleruntque lævum cornu. In medio secunda legio immissa dissipavit phalangem [4]: neque ulla evidentior causa victoriæ fuit, quam quod multa passim prælia erant, quæ fluctuantem turbarunt primo, deinde disjecerunt phalangem, cujus confertæ et intentis horrentis hastis intolerabiles vires sunt [5]. Si carptim aggrediendo circumagere immobilem longitudine et gravitate hastam cogas, confusa strue implicantur: si vero aut ab latere, aut ab tergo aliquid tumultus increpuit, ruinæ modo turbantur. Sicut tum adversus catervatim incurrentes Romanos, et interrupta multifariam acie, obviam ire cogebantur; et Romani, quacumque data intervalla essent, insinuabant ordines suos. Qui, si universa acie in frontem adversus instructam phalangem concurrissent, quod Pelignis, principio pugnæ incaute congressis adversus cætratos, evenit, induissent se hastis [6], nec confertam aciem sustinuissent.

XLII. Cæterum sicut peditum passim cædes fiebant, nisi qui abjectis armis fugerunt; sic equitatus prope

immigrasse: certe si eam tollas, nihil desiderabis. » Ed. — *Experiendo*, in experientia, usu, ut XLV, 32, al. — *Quemadmodum agantur*, forte *agatur*. — *Nomen tantum sine usu*; vide ad III, 65, n. 6.

4. *Secunda legio immissa* in hostem *dissipavit phalangem in medio*, in media parte aciei; Drak. — *Fluctuantem turbarunt primo*; vide ad III, 60, n. 8.

5. *Cujus confertæ* phalangis *et intentis horrentis hastis* (vide ad VIII, 8, n. 8) *intolerabiles vires sunt*, etc. Vide ad IX, 19, n. 3. Ipse Æmilius dixisse dicitur, nihil se terribilius tali phalange vidisse; vid. Polyb. XXIX, 6, § 11 sq. et Plut. Æmil. pag. 264. — *Carptim aggrediendo*; vide ad III, 5, n. 1. — *Immobilem longitudine et gravitate hastam*; vid. IX, 19, n. 2.

6. *Induissent se hastis*, implicuissent; Ern. Copiosius hæc narrat Plut. et *Pelignis* addit Marrucinos, qui et

integer pugna excessit. Princeps fugæ rex ipse[1] erat. Jam a Pydna cum sacris alis equitum Pellam petebat: confestim eos Cotys sequebatur Odrysarumque equitatus. Cæteræ quoque Macedonum alæ integris abibant ordinibus; quia interjecta peditum acies, cujus cædes victores tenebant, immemores fecerat sequendi equites. Diu phalanx a fronte, a lateribus, ab tergo cæsa est: postremo, qui ex hostium manibus elapsi erant, inermes ad mare fugientes, quidam aquam etiam ingressi, manus ad eos, qui in classe erant, tendentes, suppliciter vitam orabant; et quum scaphas concurrere undique ab navibus cernerent, ad excipiendos sese venire rati, ut caperent potius, quam occiderent, longius in aquam, quidam etiam natantes, progressi sunt. Sed quum hostiliter e scaphis cæderentur, retro, qui poterant, nando repetentes terram, in aliam fœdiorem pestem[2] incidebant: elephanti enim, ab rectoribus ad litus acti, exeuntes obterebant elidebantque. Facile conveniebat, Romanis nunquam una acie tantum Macedonum interfectum[3]. Cæsa enim ad viginti millia hominum sunt: ad sex millia, qui Pydnam ex acie perfugerant, vivi in potestatem pervenerunt; et vagi e fuga quinque millia hominum capta.

sup. cap. 40 simul memorantur; Drak.

Cap. XLII. 1. *Princeps fugæ rex ipse erat*, etc. conf. Polyb. XXIX, 6, § 13 sq. — *Sacris alis equitum;* vide ad XXXVII, 40, n. 6. — *Confestim eos Cotys* (ex emend. Jac. Gron. recepi pro *confestim Costocus*) *sequebatur Odrysarumque e.* quorum rex fuit Cotys; vide ad XLII, 29 et 51. — *Cujus cædes victores tenebant*, multæ edd. præferunt *tenebat*, invitis codd. Vox *cædes* in plurali non semel apud Nostrum apparet. Paulo ante hoc capite: *peditum partim cædes fiebant;* II, 64, *Sabini quum cædes et incendia circa Anienem flumen fecissent.* Vid. Drak. ad XXVII, 18, § 19. Ed.

2. *In aliam fœdiorem pestem;* vide ad II, 44, n. 5.

3. *Facile conveniebat*, a *Romanis... interfectum:* male vulgo distinguitur: *f. conveniebat Romanis, nunquam*, etc. Drak. Conf. ad I, 3, n. 4, et V, 12, n. 5. Forte leg. *facile conveniat.* — *Cæsa enim*, etc. numerum auget Plut. Æmil. pag. 266.

Ex victoribus ceciderunt non plus centum, et eorum multo major pars Peligni. Vulnerati aliquanto plures sunt. Quod si maturius pugnari[4] cœptum esset, ut satis diei victoribus ad persequendum superesset, deletæ omnes copiæ forent: nunc imminens nox et fugientes texit, et Romanis pigritiem ad sequendum locis ignotis fecit.

XLIII. Perseus ad Pieriam silvam via militari[1], frequenti agmine equitum et regio comitatu, fugit. Simul in silvam ventum est, ubi plures diversæ semitæ erant, et nox appropinquabat, cum perpaucis maxime fidis via devertit[2]. Equites, sine duce relicti, alii alia in civitates suas dilapsi sunt: perpauci inde Pellam celerius, quam ipse Perseus, quia recta expedita via erant, pervenerunt. Rex ad mediam ferme noctem terrore et variis difficultatibus viæ vexatus est. In regia Perseo, qui Pellæ præerat, Euctus[3] regiique pueri præsto erant. Contra ea amicorum, qui, alii alio casu servati, ex prælio Pellam venerant, quum sæpe arcessiti essent, nemo ad eum venit. Tres erant tantum

4. *Quod si maturius pugnari*, etc. conf. ad cap. 40, n. 3.

Cap. XLIII. 1. *Ad Pieriam silvam via militari;* vid. XXXII, 15, n. 2, et XXXVI, 15, n. 4. — *Simul;* vid. III, 62, n. 4.

2. *Via devertit,* alii *divertit,* prob. Drak. cujus nota est: « *Devertit,* qui de via deflectens hospitium subit; unde *deversorium* et *deverticulum* pro hospitio. At *divertit,* qui a via regia discedens semitam inde in diversa tendentem incedit; et hinc *diverticulum* est locus, ubi duæ viæ a se invicem recedunt. Hinc XXXVIII, 15, et XXXIX, 53 pr. lego *divertere*, ut *diverticulum* apud Suet. Ner. 48, et Terent. Eun. IV, 2, 7 ». Conf. supra ad I, 51, n. 2, ubi Drak. non ita judicaverat. — *Alii alia* via. — *Recta expedita via*, forte *expediti*, vel *recta et exp. via*, non arboribus et fruticetis impedita; Gronov. Conf. tamen ad XLIII, 1, n. 6. — Malit Doering. *recta eaque expedita via.* Ed.

3. *Qui Pellæ præerat, Euctus*, etc. νυκτὸς Πέλλαν εἰσελθῶν, Εὔκτον καὶ Εὔδαιον, τοὺς ἐπὶ τοῦ νομίσματος, ἀπαντήσαντας αὐτῷ, καὶ τὰ μὲν ἐγκαλοῦντας περὶ τῶν γεγονότων, τὰ δὲ παῤῥησιαζομένους ἀκαίρως καὶ συμβουλεύοντας, ὀργισθεὶς ἀπέκτεινεν αὐτὸς τῷ ξιφιδίῳ παίων ἀμφοτέρους· οὐδεὶς παρέμεινεν αὐτῷ παρὲξ Εὐάνδρου τε τοῦ Κρητὸς καὶ Ἀρχεδάμου τοῦ Αἰτωλοῦ καὶ τοῦ Βοιωτοῦ Νέω-

cum eo fugæ comites, Evander Cretensis, Neo Bœotius et Archidamus Ætolus. Cum iis, jam metuens, ne, qui venire ad se abnuerent, majus aliquid mox auderent, quarta vigilia profugit. Sequuti eum sunt admodum quingenti Cretenses[4]. Petebat Amphipolim : sed nocte a Pella exierat, properans ante lucem Axium amnem trajicere, eum finem sequendi, propter difficultatem transitus, fore ratus Romanis.

XLIV. Consulem, quum se in castra victor recepisset, ne sincero gaudio frueretur, cura de minore filio stimulabat. P. Scipio is erat, Africanus et ipse postea, deleta Carthagine, appellatus, naturalis consulis Paulli, adoptione Africani nepos[1]. Is, septimumdecimum tunc annum agens, quod ipsum curam augebat, dum effuse sequitur hostes, in partem aliam turba ablatus erat; et, serius quum redisset, tunc demum, recepto sospite filio, victoriæ tantæ gaudium consul sensit. Amphipolim quum jam fama pugnæ pervenisset, concursusque matronarum in templum Dianæ, quam Tauropolon vocant[2], ad opem exposcendam fieret; Diodorus, qui præerat urbi, metuens, ne Thraces, quorum duo millia in præsidio erant, ur-

νος, Plut. Æmil. pag. 267. De *Neone Bœotio* conf. Polyb. XXVII, 1, § 2, et inf. XLV, 31 extr. ubi idem patriæ proditor memorari videtur.

4. *Admodum quingenti C.* vide ad XXI, 36, n. 3.

Cap. XLIV. 1. *P. Scipio is erat..... nepos;* vide ad XXXVII, 34, n. 2. De *cura* illa vide plura apud Plut. Æmil. pag. 266. Mox *Paulli F.* seu *filius* conj. Duk.

2. *Dianæ, quam Tauropolon vocant;* conf. fragm. Apollodori (apud Suid. et Etymol. M. voc. Ταυροπόλον) t. III, pag. 1070, aut ed. alt. t. I, pag. 402 (ubi Heyn. præter alia monet, miram esse ejus etymologiam, ὅτι ὡς ταῦρος περίεισι πάντα, quum Diana inter Tauros cultu divino habita facile animo occurrat), Eustath. ad Hom. Il. 2, pag. 259, et ad Dionys. Perieg. 306, 610; Strab. XII, p. 535, et XIV, p. 639; Dio, XXXV, p. 83; Diodor. II, 46; Spanhem. ad Callim. H. in Dian. v. 113, 174 et 187; Schol. ad Sophocl. Ajac. 172; Gal. et Munker. ad Anton. Liber. cap. 27; Burm. ad Ovid. Met. XV 511; Gyrald. Hist. Deor. Synt. XII. — *Diodorus*, etc. hoc e Livio de-

bem in tumultu diriperent, ab subornato ab se per fallaciam in tabellarii speciem literas in foro medio accepit. Scriptum in iis erat, *ad Emathiam classem romanam appulsam esse, agrosque circa*[3] *vexari. Orare præfectos Emathiæ, ut præsidium adversus populatores mittat.* His lectis, hortatur Thracas, *ut ad tuendam Emathiæ oram proficiscantur. Magnam eos cædem prædamque, palatis passim per agros Romanis, facturos. Simul elevat famam adversæ pugnæ: quæ si vera foret, alium super alium recentes ex fuga venturos fuisse.* Per hanc causam Thracibus ablegatis, simul transgressos eos Strymonem vidit, portas clausit.

XLV. Tertio die Perseus, quam pugnatum erat, Amphipolim venit; inde oratores cum caduceo[1] ad Paullum misit. Interim Hippias, et Medon, et Pantauchus, principes amicorum regis, Berœam, quo ex acie confugerant, ipsi ad consulem profecti, Romanis dedunt: hoc idem et aliæ deinceps metu[2] perculsæ parabant facere. Consul, nuntiis victoriæ Q. Fabio filio et L. Lentulo et Q. Metello cum literis Romam missis, spolia jacentis hostium exercitus peditibus concessit; equitibus prædam circumjecti agri, dum ne amplius duabus noctibus a castris abessent. Ipse propius mare ad Pydnam castra movit. Berœa primum, deinde Thessalonica et Pella, et deinceps omnis ferme Macedonia intra biduum dedita. Pydnæi,

scripsit Frontin. Strat. III, 16, § 5.

3. *Agrosque circa vexari;* vide ad VII, 10, n. 8. *Strymonem*, Thraciæ flumen, hodie *Marmari*, seu *Rendina*. Ed.

Cap. XLV. 1. *Oratores cum caduceo;* vide ad VIII, 20, n. 8.

2. *Aliæ deinceps metu perculsæ*, excidit vox *civitates* vel *urbes*, aut leg. *alii perculsi;* Gron. — *Spolia jacentis hostium exercitus*, cæsi, ut *jacentem* pro occisum, mortuum VII, 26, n. 4, et *jacere* ac gr. κεῖσθαι passim de mortuis; vide ad Sil. II, 574; XVI, 311. — *Berœa*, hodie *Cara Veria; Thessalonica*, hod. *Saloniki*. Ed.

qui proximi erant, nondum miserant legatos : multitudo incondita plurium simul gentium, turbaque, quæ ex acie fuga in unum compulsa erat, consilium et consensum civitatis impediebat; nec clausæ modo portæ, sed etiam inædificatæ erant. Missi Medon et Pantauchus sub muros[3] ad colloquium Solonis, qui præsidio erat : per eum emittitur militaris turba. Oppidum deditum militibus datur diripiendum. Perseus, una tantum spe Bisaltarum auxilii tentata, ad quos nequidquam miserat legatos, in concionem processit, Philippum secum filium habens; ut et ipsos Amphipolitanos, et equitum peditumque, qui aut semper sequuti, aut fuga eodem delati erant, adhortando animos confirmaret. Sed aliquoties dicere incipientem quum lacrymæ præpedissent, quia ipse dicere nequiit, Evandro Cretensi editis[4], quæ agi cum multitudine vellet, de templo descendit[5]. Multitudo, sicut ad conspectum regis fletumque tam miserabilem et ipsa ingemuerat lacrymaveratque, ita Evandri orationem adspernabatur; et quidam ausi sunt media ex concione subclamare : « Abite hinc, ne, qui pauci supersumus, « propter vos pereamus ». Horum ferocia vocem Evandri clausit. Rex in domum se recepit[6], pecuniaque et auro argentoque in lembos, qui in Strymone stabant, delatis, et ipse ad flumen descendit. Thraces, navibus se committere non ausi, domos dilapsi, et aliæ

3. *Missi Medon et P. sub muros;* vide ad XXVI, 9, n. 1, et XLII, 58, n. 2. — *Qui præsidio erat*, forte *præerat;* Gron. Milites præsidiarii dicuntur *præsidio* aut *in præsidio esse*, dux vero *præsidio præesse*, Drakenb. coll. V, 6; IX, 15; XXVII, 42; XXXIV, 11; XLIV, 44. Doujatius vulgatam tuetur lectionem. — *Una tantum spe B. auxilii tentata;* vide ad IV, 10, n. 2, et IX, 35, n. 1.

4. *Evandro Cretensi editis;* vide ad I, 18, n. 2.

5. *De templo descendit*, de loco unde populum alloqui mos erat. Loquitur more romano Livius. Notum est Rostra *templum* fuisse, i. e. locum auguriis consecratum. Vide ad I, 6, n. 6, et ad VIII, 14, n. 12. Ed.

6. *Rex in domum se recepit*, lege

militaris generis turbæ : Cretenses spem pecuniæ sequuti. Et, quoniam in dividendo, plus offensionum, quam gratiæ, erat, quinquaginta talenta iis posita sunt in ripa diripienda. Ab hac direptione quum per tumultum naves conscenderent, lembum unum in ostio amnis multitudine gravatum merserunt. Galepsum eo die, postero Samothracam, quam petebant, perveniunt : ad duo millia talentum pervecta eo dicuntur.

XLVI. Paullus, per omnes deditas civitates dimissis, qui præessent, ne qua injuria in nova pace victis fieret, retentisque apud se caduceatoribus regis, P. Nasicam, ignarus fugæ regis, Amphipolim misit cum modica peditum equitumque manu ; simul ut Sinticen evastaret, et ad omnes conatus regis impedimento esset [1]. Inter hæc Melibœa a Cn. Octavio capitur diripiturque : ad Æginium, ad quod oppugnandum Cn. Anicius legatus missus erat, ducenti, eruptione ex oppido facta, amissi sunt, ignaris Æginiensibus debellatum esse. Consul, a Pydna profectus, cum toto exercitu die altero Pellam pervenit, et, quum castra mille passus inde posuisset, per aliquot dies ibi stativa habuit, situm urbis undique adspiciens; quam non sine causa delectam esse regiam advertit. Sita est

inde domum; Gron.—*Cretenses spem pecuniæ*, etc. cf. Plut. Æmil. p. 267. — *Quinquaginta talenta*, fieri ait Crev. marcas argenti nostrates 4687, cum unciis 4. Ed. — *Ab hac direptione ;* vide ad I, 1, n. 5. — *Multitudine* hominum temere irruentium *gravatum merserunt lembum ;* i. e. ille mersus est. — *Galepsum*, Γάληψον, cujus nominis duplicem fuisse urbem, alteram in Macedonia, alteram in Thracia, et hanc memorari h. l. Scyl. in Periplo, pag. 64, Thucyd. IV, 107 (ubi vid. Duk.) et Plut. l. l. ; illam Herodot. VII, 122, utramque Steph., monet Drak. — *II millia talentum:* ita forte pro *X m. t.* leg. apud Justin. XXXIII, 2, n. 5. — *Duo millia talentum* Crever. æstimat marcis argenti nostratibus 187,500. Ed.

Cap. XLVI. 1. *Ad omnes conatus regis impedimento esset ;* Gron. edit. anni 1665 exhibet *regi ;* neque ulli ea lectio displiceret, si codd. auctoritate niteretur. Livium enim ita loquutus est ad XXXV, 38. Similiter Cic. pro Rosc. Am. 4 ; Cæs. Bell. Gall. I, 26 ; Hirtius, B. Afr. 58. Sed nostram le-

in tumulo, vergente in occidentem hibernum. Cingunt paludes inexsuperabilis altitudinis æstate et hieme, quas restagnantes faciunt lacus. In ipsa palude, qua proxima urbi est, velut insula eminet, aggeri[2] operis ingentis imposita, qui et murum sustineat, et humore circumfusæ paludis nihil lædatur. Muro urbis conjuncta procul videtur: divisa est intermurali amni, et eadem ponte juncta; ut nec, oppugnante externo, aditum ab ulla parte habeat, nec, si quem ibi rex includat, ullum nisi per facillimæ custodiæ pontem effugium. Et gaza regia in eo loco erat: sed tum nihil præter trecenta talenta, quæ missa Gentio regi, deinde retenta fuerant, inventum est. Per quos dies ad Pellam stativa fuerunt, legationes frequentes, quæ ad gratulandum convenerant, maxime ex Thessalia, auditæ sunt. Nuntio deinde accepto, Persea Samothracam trajecisse, profectus a Pella consul

ctionem constanter servant edd. priores. Ed. — *Delectam esse regiam advertit* (vide ad XXIV, 48, n. 2, et XXXV, 13, n. 4), quia amœnitas certaret cum munitione; Grut.—*Sita est in tumulo*, etc. vid. Spanhem. ad Juliani Cæs. in Probat. pag. 400. — *Paludes inexsuperabilis altitudinis;* vult Livius, paludes has propterea, quod lacus restagnantes in eas semper aquam infundunt, nunquam ac ne æstate quidem ita exsiccari, ut pedibus superari possint: nam ne profundissimi quidem maris tanta est altitudo, ut navibus superari non possit; Duk.

2. *In ipsa palude, qua* parte *proxima urbi est, velut insula, eminet arx, aggeri*, etc. ita legendum videtur cum Gron. Creverius, inserta voce *arx*, hoc clarius esse fatetur; dubitat tamen, an ita dederit Livius, et potius hic eo sensu *insulam* usurpari existimat, quo per eam vocem interdum intelligitur corpus quoddam ædificiorum inter se cohærentium, a reliquis ædificiis divisum per vicos, quibus undique cingitur, præsertim quum Livius doceat, se de ædificio loqui, non de nudo solo, adjiciens, insulam aggeri impositam esse: sed Gronovii conjecturam præfero; Drak.—*Qui et murum sustineat*, etc. indicat, solum, cui tanquam aggeri ingentis operis arx imposita est, adeo firmum esse, ut murum sustinere possit, et tamen humore paludis undique cingentis lædi nequeat; Drakenb. — *Intermurali amni*, Lydia seu Ludia, qui ex lacu, quem Axii ἀπόσπασμα auget, et *CXX* stadia a Pelia in mare labitur. Ita Strab. sub finem lib. VII, in Exc. — *Trecenta talenta*, h. e. ex Crever. marcas argenti 28,125. Ed.

quartis castris Amphipolim pervenit. Effusa omnis[3] obvia turba cuivis indicio erat, non bono ac justo rege orba [tos, sed impotenti domino liberatos sibi Amphipolitanos videri. Ingressus urbem Paullus quum divinis rebus operaretur, sacrificiumque solenne faceret de cælo tacta subito ara arsit: sic interpretantibus omnibus, acceptissima diis dona consulis esse, quæ etiam cælesti flamma consecrarentur. Non diu moratus Amphipoli consul, simul ad persequendum Persea, simul ut per omnes gentes, quæ ditionis ejus erant, victricia arma circumferret, Odomanticen, regionem ultra Strymonem amnem, petiit, et ad Siras castra posuit.]

3. *Effusa omnis obvia*, forte *obviam* ex ed. Frob. 1535.

SUPPLEM. Plutarchus in Æmilii vita.

T. LIVII PATAVINI
HISTORIARUM
AB URBE CONDITA
LIBER XLV.

BREVIARIUM.

Cap. I; Victoriæ de Perseo reportatæ nuntii primum incerti, — II; mox veri Romam perlati. Ingens populi lætitia et supplicationes. Senatusconsultum de militibus dimittendis. — III; Literæ laureatæ ex Illyrico allatæ, et novæ supplicationes. Rhodiorum gratulatio responsumque senatus. — IV; Literæ a Perseo ad Æmilium cos. cum titulo primum regii, deinde privati nominis scriptæ, et legatio frustra ad eum missa. — V; Classis Cn. Octavii ad Samothracen appellitur, insulam sacram. Ea tum violata credebatur recepto Evandro Cretensi, qui cædis Eumenis prope perpetratæ arguebatur. Amicum in jus vocatum interfici jubet Perseus, et vulgari, eum sibi ipsum mortem conscivisse. — VI; Quo facinore abalienati ab eo amici, pueri regii, Macedonesque alii transeunt ad Romanos, iisque liberos quoque parvos regis tradunt. Ipse frustra tum fugam molitur, tum in latere templi delitescit, et tandem solus prope relictus sese Philippumque, maximum natu e filiis, Octavio in potestatem dedit. — VII; Adducitur deinde ad consulem, et benigne ab eo excipitur. — VIII; Verba ab Æmilio primum regi, deinde suis dicta. — IX; Regni Macedonici origo, incrementa, violenta divisio et finis. — X; Legati Romanorum, Alexandriam petentes, enixis Rhodiorum precibus Rhodum et ibi in concionem pertrahuntur. Acerba C. Popillii oratio, moderatior C. Decimii; et judicia coram his in factionem Persei exercita. — XI; Reconciliatio inter Ptolemæos fratres, et bellum ab Antiocho utrique illatum. — XII; Hujus reditus in regnum, effectus auctori-

tate romani senatus et legati, C. Popillii, qui virga regem circumscripserat, et responsum postulaverat, prius quam hoc circulo excederet. Obscura fama consulatus C. Licinii, deficiente materia rerum in Gallia gerendarum. — XIII; Antiochi, Ptolemæorum et Eumenis legationes. Controversiæ Pisanorum Lunensiumque de finibus agrorum, a quinqueviris rom. compositæ. Oratio Masgabæ filii Masinissæ in senatu rom. — XIV; Hujus responsio et munera. Infaustus Misagenis, alterius Masinissæ filii, reditus in Africam. — XV; Libertini in Esquilinam tribum conjecti. Severa et concors censura C. Claudii Pulchri et Ti. Sempronii Gracchi. — XVI; Sortitio provinciarum. Pisæ et Gallia decretæ consulibus Q. Ælio Pæto et M. Junio Penno. Prodigia procurata; et dona ob devictos Persea Gentiumque data diis ad omnia pulvinaria. — XVII; Legati decem in Macedoniam et quinque in Illyricum missi, de quorum sententia imperatores L. Paullus et L. Anicius res ibi componerent. — XVIII; Senatusconsultum de Macedonia et Illyrico. — XIX; Attali adventus, gratulatio, querimonia Gallici tumultus, secreta et impia spes regni ab senatu impetrandi vivo fratre, quæ prudenti monitione Stratii amici medicique coercetur. — XX; Moderata ejus postulata; honores et munera illi data. Rhodiorum legati non auditi. — XXI; Rogatio de bello Rhodiis indicendo a M'. Juventio Thalna prætore, non consulto ante senatu, non consulibus certioribus factis, promulgata, cui interceduut M. Antonius et M. Pomponius tribuni plebis. Nova Rhodiorum legatio, cujus principes sunt Astymedes et Philocrates. — XXII-XXIV; Astymedis oratio in senatu. — XXV; Oratio a M. Porcio Catone pro Rhodiis habita. Anceps responsum iis redditum. Alia eorum legatio, et bella cum Cauniis, qui defecerant, finitimisque ab illis gesta. — XXVI; Epirus ab L. Anicio pacata. Libertas Illyriorum pronuntiata. Divisio Illyrici in tres partes. — XXVII; Direptio Æginii, Agassarum et Æni. — XXVII, XXVIII; Iter ab Æmilio Paullo per Græciam factum. Ætolorum querelæ. Perseus ejusque liberi Amphipolim acciti. — XXIX, XXX; Libertas et divisio Macedoniæ. — XXXI; Judicium de Ætolis, et quæstiones in Græciæ Asiæque civitatibus de Persei fautoribus habitæ. — XXXII; Macedonum res publica consilio senatorum, quos Synedros vocant, administranda. Regum amici ministrique ex Macedonia in Italiam translati. Leges Macedoniæ a Paullo datæ. Ludi et epulæ ab

eodem Amphipoli paratæ. — XXXIII; Acervus armorum omnis generis ibidem succensus. Paulli munificentia et profectio. Præda Macedonica in classem imposita.—XXXIV; Epiri præda exercitui data, et muri LXX urbium direptarum diruti. Indignatio exercitus Macedonici, expertis regiæ prædæ. Paulli et Anicii trajectio in Italiam. Irrita legatio Romanorum in Asiam missa ad finiendum bellum inter Eumenem et Gallos.—XXXV; Adventus Persei, Gentii aliorumque captivorum principumque Macedoniæ et Græciæ. Mox Paullus regia nave ingentis magnitudinis, paucosque post dies Anicius et Octavius classe sua ad Urbem advehuntur, et tribus iis omnibus decernitur ab senatu triumphus. Paulli triumpho refragatur exercitus Macedonicus. — XXXVI; In comitiis ferendæ legis eam dissuadet Ser. Sulpicius Galba tribunus militum, — XXXVII - XXXIX; et suadet M. Servilius.—XL; Triumphus Paulli, et summa omnis captivi auri argentique. Mors duorum Paulli filiorum, quos, duobus datis in adoptionem, solos nominis et sacrorum familiæque heredes retinuerat domi. — XLI; Oratio ejus de fortuna sua. — XLII; Triumphus navalis Cn. Octavii; Perseus cum Alexandro filio Albam in custodiam ducitur. Bitis, Cotyis filius, cum obsidibus, Perseo olim datis, regi Thracum petenti remittitur. Regum Macedoniæ naves inusitatæ ante magnitudinis subducuntur in campo Martio. — XLIII; L. Anicii triumphus. Rex Gentius cum liberis et conjuge et Caravantio fratre ante currum ejus, et deinde Iguvium in custodiam ducitur. — XLIV; Comitia consularia et prætoria. Prusias cum filio Nicomede magnoque comitatu Romam venit, ut gratuletur victoriam, et senatum salutet, eique commendet filium. Preces et humilitas regis, muneraque ei data.

I. VICTORIÆ nuntii, Q. Fabius et L. Lentulus et Q. Metellus, quanta potuit adhiberi festinatio, celeriter[1] Romam quum venissent, præcerptam tamen ejus rei lætitiam invenerunt. Quarto post die, quam cum rege est pugnatum, quum in Circo ludi fierent, mur-

CAP. I. 1. *Quanta p. ad. festinatio, cel.*, etc. Tollius Fort. cap. 10, apud Hearn. *festinationis celerit. R.*, etc. sed nihil opus. ED. — *Præc. rei lætitiam;* suspicari possis *præceptam :* sed illud venustius, metaphora a floribus petita.

mur repente populi tota spectacula pervasit[2], *pugnatum in Macedonia, et devictum regem esse.* Dein fremitus increbruit; postremo clamor plaususque, velut certo nuntio victoriæ allato, est exortus. Mirari magistratus, et quærere auctorem repentinæ lætitiæ. Qui postquam nullus erat, evanuit quidem tamquam incertæ rei gaudium[3]; omen tamen lætum insidebat animis. Quod postquam veris nuntiis Fabii Lentulique et Metelli adventu firmatum est, quum victoria ipsa, tum augurio animorum suorum, lætabantur. Et aliter traditur circensis turbæ non minus similis veri lætitia. Ante diem decimum Calendas Octobres[4], ludorum Romanorum secundo die, C. Licinio consuli, ad quadrigas mittendas escendenti, tabellarius, qui se ex Macedonia venire diceret, * laureatas literas dicitur. Quadrigis missis, consul currum conscendit, et, quum

2. *Tota spectacula pervasit;* vide ad I, 35, n. 6.

3. *Evanuit quidem tanquam incertæ rei gaudium,* « pro vet. lectione *certæ* ex emend. Sigonii, contra quem pugnat Turnebus, XI, 18, infeliciter. Populus, ait, romanus lætitiam conceperat velut e re certa et indubitata: res enim incerta gaudium non faceret, sed spem quamdam metu suspensam et anxiam. At Livius non loquitur hic de re, qualis fuerat, ante quam inquireretur, sed qualis post inquisitionem inventa est. Igitur ait *evanuit gaudium.* Quomodo? Tanquam rei parum certæ, eoque inane et caducum ». Gron. — *Aliter traditur,* forte *alia.*

4. *Ante diem X Cal. Oct.,* ex vet. calendario *a. d. XV* emend. Manut. quod firmari putabat Drak. ultimis verbis hujus cap., si conferantur cum XLIV, 37. At *Sept.* pro *Oct.* (*VII br.* pro *VIII br.*) legendum esse h. l. et his cap. 2 probare conatur Dodwell. Append. ad Præl. Camd. pag. 752 sq. Ibid. pag. 756 sq. *pridie Idus Oct.* emend. inf. cap. 3 pr. Sed conf. Drakenb. — *Ad quadrigas mittendas escendenti;* vide ad II, 7, n. 7, et VIII, 40, n. 2. — *Laureatas literas dicitur;* ante *laureatas* Sigonius et alii inserunt *reddidisse.* At Gron. pro *dicitur* conj. *reddidit.* — Cur Gron. *dicitur* in *reddidit* mutarit potius, quam Sigonii conjecturam probarit, illa causa fuisse videtur, ne post *diceret* paucissimis interjectis inferatur *dicitur.* Sed vid. Drak. ad I, 3, § 9. De literis laureatis, h. e. rerum lætarum nuntiis (nam, victoria de hoste reportata, tum literæ per tabellarios ad senatum missæ, tum militum lanceæ et pila lauri ramis involvebantur), vid. Lindembr. ad Amm. Marc. XVI, 12, circa finem; Gevart. Lect. Papin. V, 1, et Salmas. ad Lamprid. Alex. Sev. 58. Ed. — *Quadrigis missis;* vide ad VIII, 40, n. 2.

per circum reveheretur ad foros publicos [5], laureatas tabellas populo ostendit. Quibus conspectis, repente immemor spectaculi populus in medium decurrit. Eo senatum consul vocavit, recitatisque tabellis, et auctoritate Patrum pro foris publicis denuntiavit populo: *L. Æmilium collegam signis collatis cum rege Perseo pugnasse. Macedonum exercitum cæsum fusumque. Regem cum paucis fugisse. Civitates omnes Macedoniæ in ditionem populi romani venisse.* His auditis, clamor cum ingenti plausu ortus : ludis relictis, domus magna pars hominum ad conjuges liberosque lætum nuntium portabant. Tertius decimus dies erat ab eo, quo in Macedonia pugnatum est.

II. Postero die senatus in curia habitus, supplicationesque decretæ, et senatusconsultum factum est, ut consul, quos, præter milites sociosque navales, conjuratos haberet [1], dimitteret: de militibus sociisque navalibus dimittendis referretur, quum legati ab

5. *Per circum r. ad foros publicos;* de foris publicis quæ dicta sunt vide ad XXIX, 37, n. 2.

Cap. II. 1. *Quos, præter milites sociosque navales, conjuratos haberet:* difficile dictu, qui *conjurati* fuerint præter *milites sociosque navales.* Legionarii esse non potuerunt: nam hi nomine *militum* continentur, et omnes sacramento dicebant. An voluntarii et evocati? Mihi non liquet. Hi enim, uti voluntate ducem sequebantur, ita inviti non potuisse retineri videntur, atque adeo neque SCto, quo dimitti juberentur, opus fuisse». Duk. *Conjuratos* fuisse, qui non singuli, ut *milites,* sed simul sacramento dixerint, neque hos justos fuisse milites, quia justum illis sacramentum defuerit, existimabat Turneb. Adv. XI, 18. Ex Liv. XXII, 38, Crev. conjiciebat, *conjuratos* dici, qui post solenne sacramentum militiæ, quum decuriati ac centuriati fuissent, sua voluntate jurassent. Sed conjurationem illam spontaneam tempore belli Punici II in solenne jusjurandum, quo milites a tribunis adigerentur, mutatam esse, adeoque, qui illud dedissent, non amplius *conjuratos* dici potuisse, monet Drak. Idem tamen non meliora se scire profitetur; neque satisfaciunt, quæ disputat Sigon. de Jur. Civ. Rom. I, 15. Mea qualicumque sententia vox *navales* etiam ad *milites* referenda, ita ut *milites navales* sint, qui armati in navibus operam militarem præstent, *socii* vero *navales* nautæ seu remiges, et *conjurati* omnes, qui in consulis verba juraverint. Conf. ad IX, 38, n. 1, et extrema hujus cap. verba, in

L. Æmilio consule, a quibus præmissus tabellarius esset, *. Ante diem sextum Calendas Octobres, hora fere secunda, legati Urbem ingressi sunt, ingentem secum occurrentium, quacumque ibant, prosequentiumque trahentes turbam, in forum ad tribunal perrexerunt. Senatus forte in curia erat: eo legatos consul introduxit. Ibi tantum temporis retenti, dum exponerent, *quantæ regiæ copiæ peditum equitumque fuissent, quot millia ex his cæsa, quot capta forent; quam paucorum militum jactura tanta hostium strages facta; quam cum paucis rex fugisset: existimari Samothraciam petiturum, paratam classem ad persequendum esse: neque terra, neque mari elabi posse;* eadem hæc paulo post in concionem traducti [2] exposuerunt: renovataque lætitia, quum consul edixisset, *ut omnes ædes sacræ aperirentur,* pro se quisque ex concione ad gratias agendas ire diis; ingentique turba, non virorum modo, sed etiam feminarum, conferta tota urbe [3] deorum immortalium templa. Senatus, revocatus in curiam, supplicationes, ob rem egregie gestam ab L. Æmilio consule, in quinque dies circa omnia pulvinaria decrevit, hostiisque majoribus sacrificari jussit. Naves, quæ in Tiberi paratæ instructæque stabant, ut, si rex posset resistere, in Mace-

quibus pro *militibus sociisque navalibus* soli memorantur *socii navales*, quia horum nomine etiam illud militum genus comprehenditur (vide ad IX, 38, n. 1); nisi ex iisdem colligere malis, bis tria militum genera recenseri, *milites*, h. e. omnes, *qui in consulis verba juraverint, socios navales* et *conjuratos* alios, i. e. exercitus, jam prius conscriptos et *Corcyræ, Brundisii, ad mare superum et in agro Larinati dispositos*. Mox Gron. conj. *a quibus præmissus tabellarius, adessent*. Sigonius et alii post *esset* inserunt *venissent*. Deinde post *ingressi sunt* excidisse videtur *et*, aut del. τὸ *sunt*.

2. *In concionem traducti;* Latini *producere* de hac re dicunt; sed vid. III, 64, n. 2, et Walch. Emend. Liv. pag. 181. Ed.

3. *Conferta tota urbe* sc. sunt; nec opus cum Sigon. subaudire *adierunt*. — *Circa omnia pulvinaria;* vid. V,

doniam mitterentur, subduci, et in navalibus collocari; socios navales, dato annuo stipendio, dimitti, et cum his omnes, qui in consulis verba juraverant; et quod militum Corcyræ, Brundisii, ad mare superum, aut in agro Larinati esset (omnibus his locis dispositus exercitus fuerat, cum quo, si res posceret, C. Licinius collegæ ferret opem), hos omnes milites dimitti placuit. Supplicatio pro concione populi indicta est ex ante diem quintum Idus Octobres[4] cum eo die in quinque dies.

III. Ex Illyrico duo legati[1], C. Licinius Nerva et P. Decius, nuntiarunt, *exercitum Illyriorum cæsum, Gentium regem captum, in ditione populi romani et Illyricum esse.* Ob eas res, gestas ductu auspicioque L. Anicii prætoris, senatus in triduum supplicationes decrevit, ut Latinæ edictæ a consule sunt in ante quartum[2] et tertium et pridie Idus Novembres. Tradidere

13, n. 5. — *Subduci naves et in navalibus collocari;* vid. III, 26, n. 6, et VIII, 26, n. 1. — *Socios navales*, etc. conf. n. 1. — *Dimitti* forte delendum, aut majoris perspicuitatis causa mox repetitum.

4. *Supplicatio pro concione populi indicta est ex ante diem quintum Id. Oct.* vide ad VI, 1, n. 9, et supra ad cap. 1, n. 4. Sed scribe *populo indicta est:* nam simpl. *pro concione* dici solet; Gron. Conf. XXVI, 27, n. 4.

Cap. III. 1. *Ex Illyrico duo legati*, forte non militares... *et*, etiam, *Illyricum esse*, nisi *et* ponendum post *captum:* saltem post hanc vocem distinguendum est; Duk. Perperam nuntium victoriæ Romam missum tradit Livius, XLIV, 32, de cujus adventu hoc libro silet; Drak.

2. *Ut Latinæ edictæ a consule sunt in ante quartum*, etc. Vide ad VI, 1, n. 9, et XXXI, 49, n. 5. Sensus est: supplicationes edictæ sunt in certos dies, perinde atque Latinæ indici solent: Sigon. Sed bene jam Gron. notavit hæc: « Mihi non modo hæc comparatio, sed omnis omnino mentio *Latinarum* h. l. incommoda videtur (nam eas jam hoc anno fuisse, patet ex XLIV, 19, 21, 22), et leg. sive *decrevit, quæ edictæ a consule sunt*, sive *et feriæ edictæ*, sc. illarum supplicationum ergo. Voci *feriæ* adscripsit ineptus interpres *Latinæ*, et explicatio pro illa, quam putaverant, glossa invasit ». Minus probabiles sunt emendationes ejus in prima edit. notarum et in Obss. IV, 25. Malim tamen cum Jac. Gron. legere *et statim edictæ*. Cæterum ad senatum pertinebat primo censere, utrum res gestæ supplicationibus dignæ essent; deinde definire, quot dies supplicaretur: at

quidam, legatos Rhodios[3], nondum missos, post victoriam nuntiatam, velut ad ludibrium stolidæ superbiæ, in senatum vocatos esse. Ibi Agepolim principem eorum ita loquutum : *Missos esse legatos ab Rhodiis ad pacem inter Romanos et Persea faciendam, quod id bellum grave atque incommodum Græciæ omni, sumptuosum ac damnosum ipsis Romanis esset. Fortunam perbene fecisse, quando, finito aliter bello, gratulandi sibi de victoria egregia Romanis opportunitatem dedisset.* Hæc ab Rhodio dicta. Responsum ab senatu esse, *Rhodios nec utilitatium Græciæ, neque cura impensarum populi romani*[4], *sed pro Perseo legationem eam misisse. Nam si ea fuisset cura, quæ simularetur, tum mittendos legatos fuisse, quum Perseus, in Thessaliam exercitu inducto, per biennium Græcas urbes, alias obsideret, alias denuntiatione armorum*[5] *terreret. Tum nullam pacis ab Rhodiis mentionem factam. Postquam superatos saltus*

in potestate consulum erat, eligere et edicere dies, quibus supplicatio esset : unde locus Cic. ad Div. VIII, 11, exponendus est ; Drak. Cf. XXXIX, 46. n. 4. — *Pridie Idus Nov.* vide ad cap. 1, n. 4.

3. *Tradidere quidam, legatos Rhodios,* etc. conf. Polyb. XXIX, 7, qui idem tradit. — *Nondum missos,* immo *admissos ;* Gronov. Id ex Polyb. non colligi posse, neque ex Epit. hujus libri (ubi vid. not. 1), et vel vulgatum servari posse, vel potius legendum esse *nondum dimissos,* monet Drakenb. Legatos jam admissos fuisse, refert Livius, XLIV, 14, n. 15. — *Ad ludibrium stolidæ superbiæ ;* conf. XLIV, 14, 15, 35. — *Agepolim* edd. ante Gronov. et Drak. qui substituere *Agesipolim,* decepti fraude editorum Polybii, qui invitis libris scriptis Ἀγεσίπολιν nobis obtrusere pro Ἀγέπολιν· vid. Schweigh. ad Polyb. XXVIII, 14, § 6; XXVIII, 15, § 1; XXIX, 4, § 3, et XXX, 4, § 2.

4. *Nec utilitatium Græciæ, neque cura impensarum populi rom.* vox *cura* alio loco ponenda; Duk. et Creverius. *Utilitatium,* ut *civitatium, voluptatium, necessitatium, difficultatium, simultatium, tempestatium, hereditatium, propinquitatium.* Conf. Drak. ad h. l. et VII, 38, n. 5. Intpp. Suet. Aug. 66, et Oth. 1.

5. *Denuntiatione armorum,* comminatione belli. Sic apud Cic. ad Div. X, 8, *denuntiatione periculi terrere.* Cæterum, de verbo *arma* quod sæpissime pro *bellum* usurpatur, vide ad I, 30, n. 8. Ed.

transgressosque in Macedoniam Romanos[6] *audirent, et inclusum teneri Persea, tunc Rhodios legationem misisse, non ad ullam aliam rem, quam ad Persea ex imminenti periculo eripiendum.* Cum hoc responso legatos dimissos.

IV. Per eosdem dies et M. Marcellus, ex provincia Hispania decedens, Marcolica nobili urbe capta[1], decem pondo auri et argenti ad summam sestertii decies in ærarium retulit. Paullus Æmilius consul, quum castra, ut supra dictum est, ad Siras terræ Odomanticæ[2] haberet, quum literas ab rege Perseo per ignobiles tres legatos[3] cerneret, et ipse illacrymasse dicitur sorti humanæ; quod, qui paulo ante, non contentus regno Macedoniæ, Dardanos Illyriosque oppugnasset, Bastarnarum civisset auxilia, is tum, amisso

6. *Romanos audirent*, lege *audierint;* Gron.

Cap. IV. 1. *Marcolica nobili urbe capta;* observat Doering. nisi vitium lateret in hujus urbis nomine, eam, quia *nobilis* vocatur, haud silentio prætermissam fuisse a geographiæ scriptoribus. Ed. — *Decem pondo auri, et argenti ad summam sestertii decies:* « non valde apertum est, quid supplendum sit, unde genitivus *argenti* regatur. A præcc. *decem pondo* regi non potest: nam decem pondo auri et totidem argenti longe absunt a summa decies sestertii. Sed sensus verborum est, decem illa pondo auri et id argenti, quod in ærarium intulit Marcellus, effecisse summam hanc. » Duk. Aut solum id argenti eam effecisse; Drak. *Sestertium decies* edd. ante Gron. quem vide de Pec. Vet. I, 11. — *Decem pondo auri* æstimat Crev., marcis nostratibus 15, unciis 5. Idem ait *ad summam sestertii decies* esse ad mille sestertia, seu quod idem est, sestertios decies centies millenos: id est, marcas nostrates argenti 3,906, uncias 2. Ed. — *In ærarium retulit;* vide ad XXVI, 2, n. 3.

2. *Ad Siras terræ Odomanticæ,* « forte Sirrha, vel *Sirrham*, vel *Sirrhas.* Σιῤῥὰ πόλις Θρᾴκης apud Steph., cujus Σίρες, ἔθνος Θρᾴκης ὑπὲρ τοὺς Βυζαντίους longe ab Odomantica remoti sunt. Nam Odomantæ seu Odomantes habitarunt in Macedonia, adjecta vel ea parte Thraciæ, quæ est inter fluvios Strymonem et Nestum. » Drakenb.

3. *Quum literas ab rege Perseo per ignobiles tres legatos* scil. *missas* vel *allatas.* Alterutrum alii excidisse putant, alii subaudiri posse. Forte et leg. *quum castra... haberet, atque literas*, etc. — *Et ipse*, ut Perseus, *illacrymasse d.* conf. XXV, 24, n. 6. — *Bastarnarum civisset auxilia* ex edd. primis revocavi; *scivisset* substituit ed. Bas. a. 1554, et *excivisset* Gron. qui hoc Livio censebat frequentius.

exercitu, extorris regno, in parvam insulam compulsus, supplex, fani religione, non viribus suis, tutus esset. Sed postquam, *Regem Persea consuli Paullo salutem*[4], legit, miserationem omnem stultitia ignorantis fortunam suam exemit. Itaque quanquam in reliqua parte literarum minime regiæ preces erant, tamen sine responso ac sine literis ea legatio dimisas est. Sensit Perseus, cujus nominis obliviscendum victo esset: itaque alteræ literæ, cum privati nominis titulo[5] missæ, et petiere, et impetravere, ut aliqui ad eum mitterentur, cum quibus loqui de statu et conditione suæ fortunæ posset. Missi sunt tres legati, P. Lentulus, A. Postumius Albinus, A. Antonius. Nihil ea legatione perfectum est, Perseo regium nomen omni vi amplectente, Paullo, ut se suaque omnia in fidem et clementiam populi romani permitteret, contendente.

V. Dum hæc aguntur, classis Cn. Octavii Samothracam est appulsa. Is quoque, præsenti admoto terrore, modo minis, modo spe pellicere, ut se traderet, quum conaretur, adjuvit in hoc eum res, seu casu contracta[1], seu consilio. L. Atilius illustris adolescens, quum in concione esse populum Samothracum animum advertisset, a magistratibus petiit, ut sibi paucis alloquendi populi potestatem facerent. Permisso, *Utrum nos, hospites Samothraces, vere accepimus, an falso, sacram hanc insulam, et au-*

Vide quæ exempla vocis hujus Drak. affert ad h. l. Ed.

— *In parvam insulam* Samothraciam *c. fani religione*, etc. conf. cap. 5.

4. *Regem Persea consuli Paullo salutem* scil. *dicere*, quod in tam nota formula commode satis intelligi, monent Duk. et Drak. — *Stultitia ignorantis fortunam suam*; stulte enim Perseus titulo *regis* in sorte miserrima usus erat. Ed.

5. *Privati nominis titulo*, non regii inscriptione.

Cap. V. 1. *Casu contracta*, effecta, *veranlasst*. — *Animum advertisset*; vide ad XXIV, 48, n. 2.

gusti totam atque inviolati soli[2] *esse?* Quum creditæ sanctitati assentirentur omnes; *Cur igitur*, inquit, *pollutam homicida sanguine regis Eumenis*[3] *violavit? et, quum omnis præfatio sacrorum eos, quibus non sint puræ manus, sacris arceat, vos penetralia vestra contaminari cruento latronis corpore sinetis?* Nobilis fama erat, apud omnes Græciæ civitates, Eumenis regis per Evandrum Delphis prope perpetrata[4] cædes. Itaque, præterquam quod in potestate Romanorum sese insulamque totam et templum cernebant esse, ne immerito quidem ea sibi exprobrari rati, Theondam, qui summus magistratus apud eos erat (regem ipsi appellant), ad Persea mittunt, qui nuntiaret, *argui cædis Evandrum Cretensem: esse autem judicia apud sese more majorum comparata de iis, qui incestas manus intulisse intra terminos sacratos tem-*

2. *Sacram hanc insulam* Samothracen, ἱερὰν καὶ ἄσυλον (vide ad I, 8, n. 6), *et augusti totam atque inviolati soli*, de cujus religionibus et mysteriis vid. Macrob. Sat. III, 4; Strab. X, pag. 470 sq. al. 723 sq. Dionys. Hal. I, 67, sq. Diodor. V, 47 sq. Varr. Ling. Lat. IV, 10; Heyn. ad Virg. Æn. II, Exc. IX; ad Apollodor. III, 12, not. 1; Hermanni Mythol. t. III, pag. 159-177. Ibidem *sanctissimum templum* cum asylo, quod mox memoratur. Conf. ad I, 8, n. 6. Id Dioscurorum (Cabirorum) fuisse dicit Plut. Æmil. pag. 267 F. eoque Persea confugisse.

3. *Pollutam homicida* Perseus *sanguine regis Eumenis*, etc. conf. XLII, 15, 16. Pro *pollutam* cum Gron. leg. *pollutus:* nam Perseus non in ipsa Samothrace Eumenem insidiis aggressus est; Drak. — *Quum omnis præfatio sacrorum* (vir doctus ad marginem edit. Curionis conj. *profanatio sacrorum;* sed conf. ad XXXIX, 15; Plin. XXV, 2, et Suet. Claud. 25; Drak.) *eos, quibus non sint puræ manus*, profanos et impios, *sacris* et mysteriis *arceat*, sc. vox præconis aut sacerdotis: Ἐκὰς, ἐκὰς, ὅστις ἀλιτρὸς, vel Ἐκὰς ἐστὲ βέβηλοι, *Procul, o procul este profani!* Cf. ad Juven. Sat. II, 89. — *Penetralia vestra*, templa, propr. eorum pars interior sanctiorque.

4. *Nobilis fama erat... perpetrata cædes*, forte *perpetratæ cædis* vel *perpetratam cædem:* sed *fama* est sextus casus, et *perpetrata cædes* pro *perpetratio cædis;* Bauer. Et *nobilis* est nota; vide ad XXVII, 35, n. 5. — *Insulam totam et templum;* cf. n. 2. — *Judicia comparata*, instituta. — *Qui incestas manus intulisse*, scil. alicui. — *Incestas*, non castas, impuras, impias. Conf. ad I, 45, n. 7, et Drak.

pli dicantur. Si confideret Evander, innoxium se rei capitalis argui, veniret ad causam dicendam : si committere se judicio non auderet, liberaret religione templum, ac sibimet ipse consuleret. Perseus, evocato Evandro[5], judicium subeundi nullo pacto auctor esse: *nec causa, nec gratia parem fore* (suberat et ille metus, ne damnatus auctorem se nefandi facinoris protraheret); *reliqui quid esset, nisi ut fortiter moriatur?* Nihil palam abnuere Evander : sed quum, veneno se malle mori, quam ferro, dixisset, occulte fugam parabat. Quod quum renuntiatum regi esset, metuens, ne, tanquam a se subtracto pœnæ reo, iram Samothracum in se converteret, interfici Evandrum jussit. Qua perpetrata temere cæde, subiit extemplo animum, in se nimirum receptam labem[6], quæ Evandri fuisset : ab illo Delphis vulneratum Eumenem, ab se Samothracæ Evandrum occisum; ita duo sanctissima in terris templa[7], se uno auctore, sanguine humano violata. Hujus rei crimen, corrupto pecunia Theonda, avertitur, ut renuntiaret populo, Evandrum sibi ipsum mortem conscisse.

VI. Cæterum tanto facinore in unicum relictum

5. *Perseus evocato Evandro*, etc. forte *sevocato*, i. e. seorsum vocato, ut cum solo, non audiente Theonda vel alio arbitro, colloqueretur; Drakenb. *Sevocatum ab amicis, velut ad secretum sermonem, interficit;* Justin. XXXVIII, 1, ubi vid. Gron. et Græv. Conferatur quoque Cicero de Div. I, 30, et Curt. X, 7, n. 18. — *Reliqui quid esset*, immo *esse*, ut præc. *fore;* nam hæc quoque verba Persei ad Evandrum, et hinc illa *suberat..... protraheret* parentheseos notis includenda sunt; Gron., Drak. et Bauer. De v. *protraheret* vid. XLIV, 26, n. 1.

6. *In se nimirum receptam labem;* vide ad II, 44, n. 5.

7. *Duo sanctissima in terris templa;* conf. n. 2. — *Sibi ipsum mortem conscisse;* multæ recentiores editiones præferunt *conscivisse;* veteres autem pæne omnes *conscisse*, quod fatendum est potius a manu Livii profectum, qui contractis illis *scisse*, *conscisse* uti amavit. Sup. III, 19, *si Capitolium ab exsulibus obsessum scissent;* XXXIII, 29, *Zeuxippum principem gentis id facinus conscisse;* 48, *alii fugam conscisse ferebant.* Conf. Drakenb. ad h. l. et ad VI, 18, § 10. Ed.

amicum [1], ab ipso per tot casus expertum, proditumque quia non prodiderat, omnium ab se abalienavit animos. Pro se quisque transire ad Romanos; fugæque consilium capere solum prope relictum coegerunt : Oroandemque Cretensem [2], cui nota Thraciæ ora erat, quia mercaturas in ea regione fecerat, appellat, ut se sublatum in lembum ad Cotym deveheret. Demetrium est portus in promontorio quodam Samothracæ : ibi lembus stabat. Sub occasum solis deferuntur, quæ ad usum necessaria erant : defertur et pecunia, quanta clam deferri poterat. Rex ipse nocte media, cum tribus consciis fugæ, per posticum ædium [3] in propinquum cubiculo hortum, atque inde, maceriam ægre transgressus, ad mare pervenit. Oroandes jam tum, dum pecunia deferretur, primis tenebris solverat navem, ac per altum Cretam petebat. Postquam in portu navis non inventa est, vagatus Perseus aliquandiu in litore, postremo timens lucem jam appropinquantem, in hospitium redire non ausus, in latere templi prope angulum obscurum delituit. Pueri regii apud Macedonas [4] vocabantur principum liberi,

Cap. VI. 1. *Unicum relictum amicum ;* vide ad I, 21, n. 3.

2. *Oroandemque Cretensem :* τὸ *que* est pro *itaque* (conf. ad I, 39, n. 7), durius hic, quia Perseus nominatus non erat casu primo; Bauer. Aut leg. mox *appellare*, aut potius del. *que*, puncto posito post *coegerunt;* Gron. An *quare* scribendum pro *que ?* aut *quemdam ?* Sic Ὀροάνδην τινὰ Κρῆτα apud Plut. Æmil. pag. 268, 269, qui cf. ad sqq. — *Ut se sublatum in lembum;* τὸ *tollere*, vel *tollere in lembum, in navem*, propria in hac re locutio. Silius Italicus, VI, v. 500: » Tollite me, Libyes, comitem pœnæque necisque ». Ovid. Metam. XI, 441 : « Me quoque tolle simul; certe jactabimur una ». Ita in dicto Juliæ apud Macrobium, Sat. II, 5 : « nunquam enim, nisi navi plena, tollo vectorem ». Vid. Lambin. ad Horat. Epist. I, vs. 61. Ed.

3. *Per posticum ædium;* vide ad XXIII, 8, n. 8. — *Jam tum, dum pecunia deferretur;* locus videtur mendosus : vel enim dicendum fuisset *dum defertur*, vel *quum deferretur*, vel potius, ut Crever. monuit, *postquam delata est;* Drak.

4. *Pueri regii apud Macedonas*, etc. vide ad VIII, 24, n. 6. — *Perse-*

ad ministerium electi regis. Ea cohors, persequuta regem fugientem, ne tum quidem abscedebat, donec jussu Cn. Octavii pronuntiatum est per præconem, *Regios pueros Macedonasque alios, qui Samothracæ essent, si transirent ad Romanos, incolumitatem libertatemque et sua omnia servaturos, quæ aut secum haberent, aut in Macedonia reliquissent.* Ad hanc vocem transitio omnium facta est, nominaque dabant ad C. Postumium [5] tribunum militum. Liberos quoque parvos regios [6] Ion Thessalonicensis Octavio tradidit; nec quisquam, præter Philippum, maximum natu e filiis, cum rege relictus. Tum sese filiumque Octavio tradidit, fortunam deosque, quorum in templo erant, nulla ope supplicem juvantes, accusans. In prætoriam navem imponi jussus: eodem et pecunia, quæ superfuit, delata est; extemploque classis Amphipolim repetit. Inde Octavius regem in castra ad consulem misit, præmissis literis, ut in potestate eum esse et adduci sciret.

VII. Secundam eam Paullus, sicut erat, victoriam ratus, victimas cecidit eo nuntio [1], et, consilio advocato, literas prætoris quum recitasset, Q. Ælium Tuberonem obviam regi misit; cæteros manere in prætorio frequentes jussit. Non alias ad ullum spectaculum tanta multitudo occurrit. Patrum ætate Syphax

quuta, sequuta, vel prosequuta; vid. Drak. ad V, 40, § 4. *Prosequuta* edidit Gron., nulla mutatæ lectionis ratione in notis reddita.

5. *Nominaque dabant ad C. Postumium;* vide ad I, 11, n. 3.

6. *Liberos quoque parvos regios*, etc. vide ad XLII, 52, n. 3. — *Deosque, quorum in templo erant:* τὸ *in* abest ab edd. vett. ante Vascos. et leg. *quorum templum erat;* Gronov. Saltem *erat* ob seq. *supplicem*, sed et *q. templum erat:* nam Perseus eo tempore non erat in templo, sed eum *in latere templi prope angulum obscurum delituisse*, Livius modo retulit; Drakenb. Διαφεύγων ἐπὶ τοὺς Διοσκούρους ἱκέτευεν Plutarch. in Æmilio, p. 267.

Cap. VII. 1. *Victimas cecidit eo nuntio*, ob, sive ad eum nuntium.— *Consilio advocato;* vid. VIII, 6, n. 6.

rex captus in castra romana adductus erat; præterquam quod nec sua, nec gentis fama comparandus, tunc quoque accessio Punici belli fuerat[2], sicut Gentius Macedonici. Perseus caput belli erat; nec ipsius tantum, patris avique, quos sanguine ac genere contingebat, fama conspectum eum efficiebat[3]: sed effulgebant Philippus ac Magnus Alexander, qui summum imperium in orbe terrarum Macedonum fecerant. Pullo amictus ille Perseus ingressus est castra, nullo suorum aliove comite[4], qui socius calamitatis miserabiliorem eum faceret. Progredi præ turba oc-

2. *Tunc quoque accessio Punici belli fuerat;* vide ad VII, 30, n. 3. « Verbum *fuerat* del. videtur Gronov. (et Crever.) et mihi: sed et *quoque* minus apte dictum; quid enim alio tempore fuerat? Vel *quoque* pro *tantum* valet, vel certe post *accessio* ponendum, certe intelligendum. » Bauer. Leviora et varia adhiberi posse remedia, verbum tamen *fuerat* non ejiciendum videri, putabat Duker.—Ut in posterum quiescat vocula *fuerat*, ait Büttn. Obss. pag. 110, faciendum arbitror, ut post *adductus erat* distinguamus puncto. Sic enim concipienda sententia: « Patrum ætate Syphax rex captus in castra romana adductus erat. Is præterquam nec sua nec gentis fama contendendus, etiam accessio tantum Punici belli tum fuerat: Perseus nunc caput belli erat ». Ed.

3. *Nec ipsius tantum*, sed etiam *patris avique... fama conspectum eum efficiebat;* vide ad II, 5, n. 8, et III, 71, n. 4. Ante *quos* excidit *et cæterorum regum*, Crever. Forte solum *et;* Jac. Periz.

4. *Pullo amictus illo Perseus..... nullo suorum alio comite*, etc. ita edd. vett. ante Lugdun. a. 1553, quæ pro *illo* reposuit *pallio*, quod reliqui editores usque ad postumam ed. Grut. servarunt. Neutra lectio probanda. *Pulla a. abolla* vel *pullo a. ille* conj. Sigon. *Pullo a. villo* vel *filo* vel *pullo amiculo* Turneb. Adv. XI, 18, et XVI, 20. *Pullo a. solus* Ursin. *Pullo a. simul filio* Lips. Epist. Quæst. V, 13. *Pullo a. Perseus i. est castra, filio, nullo suorum alio comite* Gron. quia in unico MS verba non semel fuere transposita. *Pullo a. pallio*, vel potius, quia *nullo suorum alio* sequitur, *Pullo a. cum filio*, Bauer. Posterius etiam tentavit Græv. ad Flor. IV, 2, § 45, probavitque Drak. modo mox pro *faceret* legatur *faciebat:* illud enim indicare monet, ideo nullum alium, præter filium, comitem ipsi additum esse, ut hic calamitatis socius eum miserabiliorem faceret; quod Romanos quæsisse verisimile non esse: at si legas *faciebat*, Livium narrare tantum, quid inde evenerit, quod solo filio comitante castra ingressus sit, nempe inde omnibus eum miserabiliorem visum esse. Hac ratione admissa, *filius* intell. maximus natu Philippus, quem Perseus secum Octavio tradiderat. Cf. cap. 6 extr. Sed cur

currentium ad spectaculum[5] non poterat, donec consul lictores misisset, qui submovendo iter ad prætorium facerent. Consurrexit consul, et, jussis sedere aliis, progressusque paulum, introeunti regi dextram porrexit; submittentemque se ad pedes sustulit, nec attingere genua passus, introductum in tabernaculum adversus advocatos in consilium considere jussit.

VIII. Prima percontatio fuit[1], *qua subactus injuria contra populum romanum bellum tam infesto animo suscepisset, quo se regnumque suum ad ultimum discrimen adduceret?* Quum, responsum exspectantibus cunctis, terram intuens, diu tacitus fleret, rursum consul : « Si juvenis regnum accepisses, minus equi-« dem mirarer, ignorasse te, quam gravis aut amicus,

hic tantum est comes, nec reliqui etiam liberi Octavio traditi? (vide ad cap. 6 sub fin.) et cur hujus nulla deinde mentio fit, neque apud Plut. Æmil. pag. 269, qui potius patrem solum, eoque demum amoto, filios, generos et primores adductos tradit? Hæ et aliæ difficultates evanescent, si mecum legeris: *Pullo amictu* vel *Pullo amictus* (vide ad II, 54, n. 5) *ille Perseus* (magnus ille rex et caput belli, non ejus accessio, ut Syphax) *ingressus est castra, nullo suorum* (liberorum) *aliove comite, qui socius calamitatis miserabiliorem eum faceret*, ut Syphacem olim grex nobilium Numidarum, qui, quum in castra Scipionis perduceretur, eum præcedentem sequebatur; vid. XXX, 13 pr. Ita hæc optime cohærent cum præcedd., quibus comparatio Syphacis et Persei continetur; et intelligitur, quo ultima spectent verba: lenior quoque est medicina nostra, quam aliorum. Itaque non dubitavi eam adhibere. — Pro *Pullo amictus illo*, Frid. Jacobs. apud Goeller. pag. 387, conjicit *Pullo amictus cucullo*, quod vestimenti genus minime regium. Pænulati enim et cucullati incedebant plerumque servi et ultimi loci homines; alii tum, quum latere vellent. Obscurioris coloris fuisse cucullum satis constat. Conf. Mart. X, epigr. 76, v. 8; Juven. Sat. III, v. 170, VI, v. 118, VIII, v. 145; Ferrar. de Re Vest. part. II, lib. I, cap. 20, pag. 41 seqq. Ed.

5. *Ad spectaculum*, ut spectaretur. Conf. ad XXXV, 51, n. 2. — *Donec consul lictores misisset*, leg. *misit;* Gron. aut *mitteret;* Bauer. — *Adversus advocatos in consilium considere jussit*, lateri suo proximum apud Valer. Max. V, 1, § 8, et juxta se in sella apud Eutrop. IV, 7.

Cap. VIII. 1. *Prima percontatio fuit*, etc. conf. Valer. Max. l. l. et Plut. Æmil. p. 269, ubi alia et prorsus acerba consulis oratio est. Dissensum scriptorum jam notavit Zonar. Ann. IX, 23. — *Quam gravis aut am. aut inim. ess. p. r.;* quanti momenti esset

« aut inimicus esset populus romanus. Nunc vero, « quum et bello patris tui, quod nobiscum gessit, in- « terfuisses, et pacis postea, quam cum summa fide « adversus eum coluimus[2], meminisses, quod consi- « lium, quorum et vim bello, et fidem in pace ex- « pertus esses, cum iis tibi bellum esse, quam pacem, « malle? » Nec interrogatus, nec accusatus quum responderet; « Utcumque tamen hæc, sive errore hu- « mano, seu casu, seu necessitate inciderunt, bonum « animum habe: multorum regum, populorum casi- « bus cognita populi romani clementia non modo « spem tibi, sed prope certam fiduciam salutis, præ- « bet ». Hæc græco sermone Perseo: latine deinde suis[3], « Exemplum insigne cernitis, inquit, mutatio- « nis rerum humanarum. Vobis hoc præcipue dico, « juvenes. Ideo in secundis rebus nihil in quemquam « superbe ac violenter consulere decet, nec præsenti « credere fortunæ; quum, quid vesper ferat, incer- « tum sit. Is demum vir erit, cujus animum nec pro- « spera flatu suo efferet[4], nec adversa infringet ». Consilio dimisso, tuendi cura regis Q. Ælio mandatur. Eo die et invitatus ad consulem Perseus, et alius omnis ei honos habitus est, qui haberi in tali fortuna poterat.

pop. rom. aut amicus, aut inimicus, h. e. amicitia pop. rom. quam salutaris esset, inimicitia autem populi ejusdem quam funesta. Ed.

2. *Adversus eum coluimus* pacem; vide ad V, 35, n. 5.

3. *Latine deinde suis*, etc. conf. Plut. et sup. XXX, 30. — *Violenter consulere in quemquam;* vid. XXVI, 33, n. 2. — *Quum quid vesper ferat, incertum sit;* proverbium est, quo Varro Satyram inscripsit: *Nescis, quid vesper serus vehat;* Drakenb. Conf. Popmæ Conject. ad Varr. Sat. p. 661, et Erasmi Adag. tit. *Incertus eventus*, pag. 867.

4. *Is demum vir erit, cujus animum nec prospera* fortuna *flatu suo* (vide ad III, 33, n. 2) *efferet*, etc. Conf. Mitscherl. ad Horat. Od. II, 3, v. 1 sq. et II, 10, v. 21 sq. — Aurea illa præcepta, quæ nunc dictavit Æmilii sapientia, quam parum et ipse et Romani sequuti fuerint, satis docuit sors, quam Perseus apud Romanos expertus fuit, tristissima. Ed.

IX. Exercitus deinde in hiberna dimissus est. Maximam partem copiarum Amphipolis, reliquas propinquæ urbes acceperunt. Hic finis belli, quum quadriennium continuum bellatum esset, inter Romanos ac Persea fuit; idemque finis inclyti per Europæ plerumque[1] atque Asiam omnem regni. Vicesimum ab Carano[2], qui primus regnavit, Persea numerabant. Perseus, Q. Fulvio, L. Manlio consulibus, regnum accepit: a senatu rex est appellatus, M. Junio, A. Manlio consulibus: regnavit undecim annos. Macedonum obscura admodum fama usque ad Philippum Amyntæ filium fuit: inde ac per eum crescere quum cœpisset, Europæ se tamen finibus continuit, Græciam omnem et partem Thraciæ atque Illyrici amplexa. Superfudit deinde se in Asiam; et tredecim annis, quibus Alexander regnavit, primum omnia, qua Persarum prope immenso spatio imperium fuerat, suæ ditionis fecit. Arabas hinc Indiamque, qua terrarum ultimus finis Rubrum mare amplectitur[3], peragravit. Tum maxi-

Cap. IX. 1. *Per Europæ plerumque;* vide ad XLIII, 10, n. 1.

2. *Vicesimum ab Carano*, Heraclida, *qui primus regnavit*, secundum fabulosas Græcorum narrationes. Macedoniæ *XXX* reges fuisse dicit Justin. lib. XXXIII, 2; et *XXXIX* Eusebius. Hi regnarunt 646 annos. Conf. Reineri Reineccii familiæ regum Maced. Lips. 1571; Spanhem. de Pr. et V. N. I, 371 seq. Crophi Antiq. Maced. in Thes. Gronov. t. VI, pag. 2855 sq. et Lud. Nonnius, Comm. ad Goltzii Græc. p. 208.—*Regnavit XI annos*, *X* apud Euseb. Secundum Livium regnavit ab anno Urbis 574-585; sed hic alterutrum tantum annum, quo vel regnum adeptus est, vel eo excidit, computasse, et Eusebius neutrius rationem habuisse videtur; Drak. — *Partem Thraciæ atque Illyrici amplexa;* cum τὸ *amplexa* ex usu loquendi vix referri queat ad præcedens nomen *fama*, Sigonius vocem *potentia* excidisse suspicatus est; immo hæc ipsa vox recepta deinde est in edit. tert. Sigonii. Existimat vero Doer. Livium in animo habuisse *Macedoniam* de qua verba fecit, et eorum quæ modo scripserat, immemorem, tam *cœpisset*, quam *amplexa* ad *Macedoniam* retulisse. Ed.

3. *Qua terrarum ultimus finis Rubrum mare amplectitur;* cf. XXXVI, 17, et XLII, 52. Sed omnino cum Gron. et Duker. leg. *ultimos fines:* namque ex opinione Veterum Oceanus terram, non hæc illum, amplecti-

mum in terris Macedonum regnum nomenque; inde morte Alexandri distractum in multa regna, dum ad se quisque opes rapiunt, lacerantes viribus: a summo culmine fortunæ ad ultimum finem centum quinquaginta annos stetit [4].

X. Victoriæ romanæ fama quum pervasisset in Asiam, Antenor, qui cum classe lemborum ad Phanas stabat, Cassandriam inde trajecit. C. Popillius, qui ad Delum præsidio navibus Macedoniam petentibus erat, postquam debellatum in Macedonia, et statione submotos hostium lembos audivit, dimissis et ipse Atticis navibus, ad susceptam legationem [1] peragendam navigare Ægyptum pergit; ut prius occurrere Antiocho posset, quam ad Alexandriæ mœnia accederet. Quum præterveherentur Asiam legati [2], et Loryma venissent, qui portus viginti paulo amplius millia ab Rhodo abest, ex adverso urbi ipsi positus, principes

tur. *Mare Rubrum* autem sive Erythræum iisdem Veteribus dicebatur Oceanus Indicus; Drak. — *Lacerantes viribus*, distrahentes regnum; conf. Lucan. X, 44. *Laceratis urbibus* conj. Triller. Obss. Crit. III, 8. Sed potius leg. cum Gron. *laceratis viribus*, aut cum Bauero *lacerantes viritim*, aut potius cum Burm. ad Ovid. Met. I, 626, *lacerantes vicibus*, i. e. per vices (vid. Drak.); ut designentur quatuor vel quinque bella inter successores Alexandri M. gesta, quibus quasi vicibus imperium lacerarint. — Hunc locum Doering. explicat ita: Distrahentes opes et sibi vindicantes pro suis quisque viribus, prout pollebat quisque viribus; ut infra dictum, cap. 11, *cui regnum quæri suis viribus simulabat*. Ed.

4. *CL annos stetit*: « Plerique libri Justini, XXXIII, 2, habent *CXCII*, nonnulli, quos inter codex Academ. Duisburg. *CLII*, quidam *CL*. Si initium annorum *CXCII* ab anno primo Olympiadis *CV*, quo Philippus Amyntæ filius, Alexandri M. pater, regnare cœpit, ducatur, ab eo usque ad annum primum Olymp. *CLIII* et captum Persea sunt integræ Olympiades *XLVII*, cum tribus annis Philippi et uno Persei, quæ annorum *CXCII* summa est. Livius initium *CL* annorum videtur duxisse a morte Alexandri M., quæ in annum primum Olymp. *CXIV* incidit, a quo usque ad finem regni Maced. sunt anni *CLVI*, quos rotundo numero *CL* dixisse potuit ». Duker.

Cap. X. 1. *Ad susceptam legationem*; vide ad XLIV, 19. — *Navigare Ægyptum*; vide ad X, 37, n. 1. — *Occurrere A.* vide ad XXI, 61, n. 1.

2. *Quum præterveherentur Asiam legati*, Popillius et duo alii, qui no-

Rhodiorum occurrunt (jam enim eo quoque victoriæ fama perlata erat), orantes, *ut Rhodum deveherentur. Pertinere id ad famam salutemque civitatis, noscere ipsos omnia, quæ acta essent agerenturque Rhodi, et comperta per se, non vulgata fama, Romam referre.* Diu negantes perpulerunt, ut moram navigationis brevem pro salute sociæ urbis paterentur. Postquam Rhodum ventum est, in concionem quoque eos iidem precibus pertraxerunt. Adventus legatorum auxit potius timorem civitati, quam minuit: omnia enim Popillius, quæ singuli universique[3] eo bello hostiliter dixerant fecerantque, retulit: et vir asper ingenio augebat atrocitatem eorum, quæ dicerentur, vultu truci et accusatoria voce; ut, quum propriæ simultatis nulla causa cum civitate esset, ex unius senatoris romani acerbitate, qualis in se universi senatus animus esset, conjectarent. C. Decimii moderatior oratio fuit, qui, *in plerisque eorum, quæ commemorata a Popillio essent, culpam non penes populum, sed penes paucos concitores vulgi*[4] *esse*, dixit. *Eos, venalem linguam habentes, decreta plena regiæ assentationis fecisse, et eas legationes misisse, quarum Rhodios semper non minus puderet, quam pœniteret. Quæ omnia, si tamen populo foret, in capita noxio-*

minantur XLIV, 19 extr. — *Ut Rhodum deveherentur*, forte *deverterentur*; Duker. — *Iidem*, scil. principes Rhodiorum; Drak.

3. *Quæ singuli universique*, etc. conf. XLII, 26; XLIV, 14, 15, 23. — *Ut, quum propriæ*, etc. hæc multo forent clariora, si sic scriberentur: *ut ex unius senatoris romani, cui propriæ simultatis n. c. c. c. esset, acerbitate, qualis*, etc. Gron. — Doering. vero, clara omnia esse putat, si post *propriæ* vox *ei*, absorpta fortasse a præcedente *æ*, inseratur. Ed.—*C. Decimii*; conf. XLIV, 19 extr.

4. *Penes paucos concitores vulgi*, etc. legebatur *concitatores* ante Gronovium, qui vett. libb. lectionem *concitores* recte revocavit. Cæterum conferatur Polybius, XXVII, 6, et XXVIII, 2. — *Si tamen populo foret*, male Sigon. *potestas* reposuit pro *tamen*: scribe *si is animus populo foret*, scil. qualem descripserat, dum

rum versura. Cum magno assensu auditus est, non magis eo, quod multitudinis noxam elevabat, quam quod culpam in auctores verterat. Itaque quum principes eorum Romanis responderent, nequaquam tamen tam grata oratio eorum fuit, qui, quæ Popillius objecerat, diluere utcumque conati sunt, quam eorum, qui Decimio in auctoribus ad piaculum noxæ objiciendis assensi sunt. Decretum igitur extemplo, ut, qui pro Perseo adversus Romanos dixisse quid aut fecisse convincerentur, capitis condemnarentur. Excesserunt urbe sub adventu [5] Romanorum quidam, alii mortem sibi consciverunt. Legati, non ultra quam quinque dies Rhodi morati, Alexandriam proficiscuntur. Nec eo segnius judicia ex decreto coram his facto Rhodi exercebantur: quam perseverantiam in exsequenda re Decimii lenitas *.

XI. Quum hæc gererentur, Antiochus frustra tentatis mœnibus Alexandriæ [1] abscesserat; cæteraque Ægypto potitus, relicto Memphi majore Ptolemæo, cui regnum quæri suis viribus simulabat, ut victorem mox aggrederetur, in Syriam exercitum abduxit. Nec hujus voluntatis ejus ignarus Ptolemæus, dum conterritum obsidionis metu minorem fratrem haberet, posse se recipi Alexandriæ, et sorore adjuvante, et non repugnantibus fratris amicis, ratus; primum ad sororem, deinde ad fratrem amicosque ejus, non prius

ipsos excusat; Gronov. Immo *si ea mens p. f.*, Jac. Gron. et Jac. Periz. probb. Crev. et Drak. — *Nequaquam tamen*, etc. particulam *tamen*, quæ jam nullam vim habet, immo orationis nexum turbat, omnino ejiciendam cum Doering. existimamus. Ed.

5. *Excesserunt urbe sub adventu*, etc. immo *excesserant urbe sub adventum*; vide ad I, 35, n. 1, et II, 55, n. 1. Mox post *Decimii lenitas* Sigon. supplet *afferebat*, Doujāt. *efficiebat*, Crever. *ultro accenderat.*

Cap. XI. 1. *Frustra tentatis mœnibus A.* vide ad IX, 35, n. 1. — *Majore Ptolemæo... minorem fratrem... sorore* Cleopatra *adjuvante*, etc. vide ad XLII, 29, n. 4. Pro *dum haberet* leg. *quum h.*, vel *dum habet*; Drak. — Vulgatam Doering. defendit, et

destitit mittere, quam pacem cum iis confirmaret. Suspectum Antiochum effecerat, quod, cætera Ægypto sibi tradita, Pelusii validum relictum erat[2] præsidium. Apparebat, claustra Ægypti teneri, ut, quum vellet, rursus exercitum induceret : bello intestino cum fratre eum exitum fore, ut victor, fessus certamine, nequaquam par Antiocho futurus esset. Hæc, prudenter animadversa a majore, cum assensu minor frater quique cum eo erant acceperunt : soror plurimum adjuvit, non consilio modo, sed etiam precibus. Itaque, consentientibus cunctis pace facta, Alexandriam recipitur, ne multitudine quidem adversante, quæ in bello non per obsidionem modo, sed etiam postquam a mœnibus abscessum est, quia nihil ex Ægypto subvehebatur, omnium rerum attenuata inopia erat. His quum lætari Antiochum conveniens esset, si reducendi ejus causa[3] exercitum Ægyptum induxisset, quo specioso titulo ad omnes Asiæ et Græciæ civitates, legationibus recipiendis literisque dimittendis, usus erat, adeo est offensus, ut multo acrius infestiusque adversus duos, quam ante adversus unum, pararet bellum. Cyprum extemplo classem misit: ipse, primo vere cum exercitu Ægyptum petens, in Cœlen

recte τῷ *dum* in oratione obliqua conjunctivum subjungi asseverat. Ed. — *Mittere*, scil. literas vel legatos, qui de se Alexandriæ recipiendo cum sorore, fratre et ejus amicis agerent; sic passim simpliciter *mittere;* vide ad XXXIV, 29, n. 5. Ed.

2. *Validum relictum erat præsidium*, commodius *reliquerat;* Gron. — *Claustra Ægypti* (vide ad IX, 32, n. 1), *teneri, ut, quum vellet, rursus exercitum induceret:* nam *Pelusium* opp. Ægypti, *ad Pelusiacum ostium Nili* situm, recte ita dicitur, quoniam terra exercitus ab hac tantum parte ex Judæa et Arabia in Ægyptum induci potest, et reliqua ejus pars inter mare et septemtrionales sinus Arabici oras invia est propter deserta arenosa et aquæ inopiam. Conf. Strab. XVI, pag. 760, et XVII, pag. 803; Michaelis Spicileg. Geogr. Hebr. p. II, p. 32-42; Supplem. ad Lex. Hebr. p. 1741; Plut. Anton. pr. et fin.

3. *Reducendi ejus causa*, sc. Ptolemæi majoris.

Syriam[4] processit. Circa Rhinocolura Ptolemæi legatis agentibus gratias, quod per eum regnum patrium recepisset, petentibusque, ut suum munus tueretur, et diceret potius, quid fieri vellet, quam, hostis ex socio factus, vi atque armis ageret, respondit, *Non aliter neque classem revocaturum, neque exercitum reducturum, nisi sibi et tota Cypro, et Pelusio, agroque qui circa Pelusiacum ostium Nili esset, cederet:* diemque præstituit[5], intra quam de conditionibus peractis responsum acciperet.

XII. Postquam dies data induciis præteriit, * navigantibus ostio Nili[1] ad Pelusium per deserta Arabiæ * ad Memphim incolebant, et ab cæteris Ægyptiis, partim voluntate, partim metu, ad Alexandriam modicis itineribus descendit. Ad Leusinem[2] transgresso flumen, qui locus quatuor millia ab Alexandria abest, legati romani occurrerunt. Quos quum advenientes salutasset, dextramque Popillio porrigeret; tabellas ei Popillius scriptum habentes tradit[3], atque omnium

4. *In Cœlen Syriam;* vid. XXXI, 47, n. 1, et XLII, 29, n. 4.—*Circa Rhinocolura;* vid. XXXV, 13, n. 2.

5. *Diemque præstituit;* vide ad VI, 4, n. 3.—*De conditionibus peractis*, perfectis; Drak. Cf. Burm. ad Ovid. Her. V, 41. *Delatis* conj. Crev.

Cap. XII. 1. *Navigantibus ostio Nili*, etc. scribe *navigans ab ostio N.... Arabiæ ad Memphim, receptusque et ab cæteris*, etc. Gronov. Asteriscos apposuit Sigonius legitque: *navigantibus ostio Nili, quod est ad Pelusium per deserta Arabiæ, populi se dediderunt. Deinde receptus ab iis, qui ad Memphim incolebant*, etc. at Crev. et Doujat. *præteriit, præfectis maritimarum virium, quæ terrestrem exercitum comitabantur, navigantibus ostio Nilo ad Pelusium, ipse per deserta Arabiæ ingressus Ægyptum receptusque ab iis, qui ad Memphim incolebant*, etc. ut ita Antiochus terra, et maritimæ copiæ, quas præter classem syriacam (vid. cap. 11 et 12) apud se retinuerit, mari petierint Ægyptum.

2. *Ad Leusinem*, etc. cum Vales. et Turnebo leg. *Eleusinem*, opp. seu vicum Ægypti. Cf. Strab. XVII, p. 800; Suid. in vita Callim. et Athenæus, XIII, 37.

3. *Tabellas ei Popillius scriptum habentes tradit... virga circumscripsit regem... circulo*, etc. conf. Polyb. XXIX, 11; Appian. Syr. 66; Valer. Max. VI, 4, § 3; Vell. I, 10; Plinius, Hist. Nat. XXXIV, 6; Plut.

primum id legere jubet. Quibus perlectis, quum se consideraturum, adhibitis amicis, quid faciendum sibi esset, dixisset; Popillius, pro cætera asperitate animi, virga, quam in manu gerebat, circumscripsit regem; ac, « Prius quam hoc circulo excedas, inquit, redde « responsum, senatui quod referam ». Obstupefactus tam violento imperio parumper quum hæsitasset, « Faciam, inquit, quod censet senatus ». Tum demum Popillius dextram regi, tanquam socio atque amico, porrexit. Die deinde finita quum excessisset Ægypto Antiochus, legati, concordia etiam auctoritate sua inter fratres firmata, inter quos vixdum convenerat pax, Cyprum navigant[4], et inde, quæ jam vicerat prælio Ægyptias naves, classem Antiocho dimittunt. Clara ea per gentes legatio fuit, quod haud dubie adempta Antiocho Ægyptus habenti jam, redditumque patrium regnum stirpi Ptolemæi fuerat. Consulum ejus anni, sicut alterius clarus consulatus insigni victoria, ita alterius obscura fama, quia materiam res gerendi non habuit. Jam primum quum legionibus ad conveniendum diem dixit[5], non auspicato templum

Apophth. pag. 202; Justin. XXXIV, 3, n. 3. Pro *scriptum* ex Polyb., Valer. et Justini ll. ll. legendum esse *SCtum* aut potius *SC. scriptum*, jam conjecere Ursin. et Schweigh. ad Polyb. l. l. hisque suffragari malim, quam Ernestio, qui putabat, verbum *circumscripsit* tueri vulg. lect., et manifeste eleganterque hæc duo ad se invicem referri. *Cn. Octavium* pro *Popillio* nominat Plin. l. c. ubi eum diversas narrationes Cic. Phil. VIII, 8, et IX, 2, confudisse jam monuit Drakenb.

4. *Legati* (vide ad cap. 10, n. 2) *concordia etiam... inter quos vixdum convenerat pax* (vide ad I, 3, n. 4), *Cyprum navigant*, etc. conf. Polyb. XXIX, 11. Pro vulg. *convenerat, pars Cyprum navigant*, recepi emend. Jac. Periz. qui jam monuit, in MSS, lapidibus ac nummis *PAXS* scribi, nec quidquam a Livio aut Polyb. memorari de altera parte legationis; eam quoque trium tantum fuisse hominum, et cætera omnia communiter egisse. Conf. Gron. Diatr. Stat. cap. 46.

5. *Legionibus ad conveniendum diem dixit;* vide ad XXXV, 3, n. 2. — *Non auspicato templum intravit*, Capitolium, vota nuncupaturus ante

intravit. Vitio diem dictam esse augures, quum ad eos relatum est, decreverunt. Profectus in Galliam circa Macros Campos ad montes Siciminam et Papinum stativa habuit: deinde circa eadem loca cum sociis nominis latini hibernabat: legiones romanæ, quod vitio dies exercitui ad conveniendum dicta erat, Romæ manserant. Et prætores, præter C. Papirium Carbonem, cui Sardinia evenerat[6], in provincias iere. Eum jus dicere Romæ (nam eam quoque sortem habebat) inter cives et peregrinos Patres censuerant.

XIII. Et Popillius, et ea legatio[1], quæ missa ad Antiochum erat, Romam rediit; retulit, controversias inter reges sublatas esse, exercitumque ex Ægypto in Syriam reductum. Post ipsorum regum legati ve-

quam Urbe proficisceretur; vide ad I, 6, n. 6, et XXI, 63, n. 10. — Sunt tamen, qui hic per *templum* cum Creverio intelligant locum auguriis consecratum, unde, ut initia rei gerendæ sub deorum numine caperentur, diem dici ad conveniendum exercitui mos esset. Ed. — *Vitio diem dictam esse;* vide ad V, 17, n. 4. — *Profectus in Galliam circa Macros Campos;* vide ad XLI, 18, n. 3, et XLIV, 17, n. 3.

6. *Cui Sardinia evenerat;* vide ad XLIV, 17. — *Eum jus dicere Romæ,* etc. peregrina jurisdictio sorte obvenerat L. Anicio (vide ad XLIV, 17), qui deinde in Illyricum missus est XLIV, 21. Cur vero hæc jurisdictio tum Papirio mandata est, nec potius Cn. Bæbio, prætori urbano? vide ad XXVIII, 10; XLIV, 17. « Suspicor, Bæbium fato functum, et tum Papirio utramque jurisdictionem decretam fuisse, ut XXXIX, 39. Sardiniæ autem et hoc et seq. anno P. Fonteium Capitonem imperio prorogato præfuisse; conf. XLII, 15, et XLV, 16. Hanc tamen suspicionem evertere videntur verba seqq. *nam eam quoque sortem* (vide ad XXII, 35, n. 5) *habebat.* Fateor me ignorare, quid hoc sit. Nusquam enim alibi apud Livium legas, cum provinciis, quæ extra Italiam a senatu decernebantur, ita conjunctam fuisse jurisdictionem, ut provincia et jurisdictio tantum una sors esset ». Duker. — *Nam eam quoque sortem habebat;* hæc sors, ut putant Crever. et Doering., tum demum ab Anicio ad Papirium videtur translata, postquam ille contra Gentium missus fuerat. Ed.

Cap. XIII. 1. *Et Popillius et ea legatio,* h. e. et cæteri duo legati, qui cum eo *missi ad Antiochum erant;* vid. XLIV, 19 extr. Solus nominatur Popillius, quia princeps eorum erat; vide ad III, 25, n. 4. *Ut Popillius* forte leg. cum Gron. At Crev. copula *et* periodum hanc cum præc. connecti putabat (ut *Et prætores* cap. 12 extr.), et mox leg. *Romam retulit* deleto verbo *rediit.*

nerunt: Antiochi legati, referentes, *Omni victoria potiorem pacem regi, quæ senatui placuisset, visam; eumque haud secus, quam deorum imperio, legatorum romanorum jussis paruisse.* Gratulati deinde victoriam sunt, *ad quam summa ope, si quid imperatum foret, affuturum regem fuisse.* Ptolemæi legati communi nomine regis et Cleopatræ [2] gratias egerunt, *Plus eos senatui populoque romano, quam parentibus suis, plus, quam diis immortalibus, debere; per quos obsidione miserrima liberati essent, regnum patrium prope amissum recepissent.* Responsum ab senatu est: *Antiochum recte atque ordine fecisse* [3], *quod legatis paruisset, gratumque id esse senatui populoque romano.* Regibus Ægypti, Ptolemæo Cleopatræque: *si quid per se boni commodique evenisset, id magnopere senatum lætari, daturumque operam, ut regni sui maximum semper præsidium positum esse in fide populi romani ducant.* Munera legatis ut ex instituto mittenda curaret, C. Papirio prætori mandatum. Literæ deinde Macedonia allatæ [4], quæ victoriæ lætitiam geminarent: *Persea regem in potestatem consulis venisse.* Dimissis legatis, disceptatum inter Pisanos Lunensesque legatos, Pisanis que-

2. *Ptolemæi legati communi nomine regis et Cleopatræ*, forte leg. *Ptolemæorum* et *regum*, et mox *regibus Ægypti, Ptolemæis Cleopatræque*; nam uterque fratrum regnabat: sed tamen etiam eleganter *reges Ægypti, Ptolemæus et Cleopatra*; Gron. Conf. ad I, 39, n. 2; XLII, 29, n. 4, et XLIV, 19, n. 3. Ptolemæum regem h. l. esse juniorem, qui solus auxilium imploraverit Romanorum, et propter quem missa legatio a Romanis fuerit, suspicabatur Crev.

3. *Recte atque ordine fecisse*; vide quæ jam notata ad XXIV, 31, n. 3.

4. *Literæ deinde Macedonia allatæ*, forte *e Macedonia*; Crev. et Drakenb. — Gron. firmare nititur vulgatam scripturam exemplo consimili e Justin. lib. XII, cap. 1, *epistolæ Antipatri Macedonia ei redduntur.* Sed in illo Justini loco, ut jam monuit Crev., variant et scripti et editi: nec ullum proinde ex eo argumentum peti potest. Ed. — *Geminarent*, forte *geminarunt*; Jac. Periz. — *Inter Pisanos Lunensesque*; de quibus vide ad XLI, 13, n. 2.

rentibus, agro se a colonis romanis pelli, Lunensibus affirmantibus, eum, de quo agatur, a triumviris agrum sibi assignatum esse. Senatus, qui de finibus cognoscerent statuerentque, quinqueviros misit, Q. Fabium Buteonem, P. Cornelium Blasionem, Ti. Sempronium Muscam, L. Nævium Balbum, C. Appuleium Saturninum. Et ab Eumene et ab Attalo et ab Athenæo fratribus[5], communis legatio de victoria gratulatum venit. Et Masgabæ, regis Masinissæ filio, Puteolis navem egresso, præsto fuit, obviam missus cum pecunia, L. Manlius quæstor, qui Romam eum publico sumptu perduceret. Advenienti extemplo senatus datus est. Is adolescens ita loquutus est, ut quæ rebus grata erant, gratiora verbis faceret. Commemoravit, *quot pedites equitesque, quot elephantos, quantum frumenti eo quadriennio pater suus in Macedoniam misisset. Sed duas res ei rubori fuisse*[6]*: unam, quod rogasset eum per legatos senatus, quæ ad bellum opus essent, et non imperasset: alteram, quod pecuniam ei pro frumento misisset. Masinissam meminisse, regnum a populo romano partum auctumque et multiplicatum habere: usu regni contentum scire, dominium et jus eorum, qui dederint, esse. Sumere itaque eosdem, non se rogare, æquum esse, neque emere ea ex fructibus agri ab se dati, quæ ibi*[7] *proveniant.*

5. *Ab Eumene, Attalo et Athenæo f.* vide ad XLII, 5, n. 3. — *Masgabæ, regis Masinissæ f.* vide ad XXI, 29, n. 6; ad Epit. Liv. L, n. 7; Casaub. ad Suet. Aug. 98, et Spon. Misc. pag. 147.

6. *Duas res ei rubori fuisse;* supra ad IV, 37, *minorem quippe ruborem fore in juris iniquitate.* Cf. et ad Tac. Ann. XI, 17, princ. Ed.—*Quæ opus essent*, male edd. ante Grut. *esset;* Drak. Idem suspicabatur, mox post *meminisse* excidisse *se.*

7. *Non se rogare æquum esse, neque emere ea, ex fructibus agri ab se dati quæ ibi proveniant*: alia post *dati*, non post *ea* comma ponunt, offensi forsan eo, quod τὸ *quæ* tot vocibus postponitur. At de eo vid. Periz. ad XXVIII, 12, n. 3. Idem ad Sanct. Min. II, 12, monet, h. l. prius *se* ad Masinissam, alterum ad Roma-

Id Masinissæ satis esse, et fore, quod populo romano superesset. Cum iis mandatis a patre profectum postea consequutos equites, qui devictam Macedoniam nuntiarent, gratulatumque senatui juberent indicare, tantæ eam rem lætitiæ patri suo esse, ut Romam venire velit, Jovique Optimo Maximo in Capitolio sacrificare et grates agere: id, nisi molestum sit, ut ei permittatur, ab senatu petere.

XIV. Responsum regulo est[1] : *Facere patrem ejus Masinissam, quod virum gratum bonumque facere deceat, ut pretium honoremque debito beneficio addat*[2]. *Et populum romanum ab eo, bello punico, forte fidelique opera adjutum; et illum, favente populo romano, regnum adeptum; æquitate sua postea*

nos referri, et in nota ad h. l. conj. *quæ sibi proveniant.* Id probabat Drakenb. sed pronomen reciprocum non, ut ille, ad Masinissam, sed ad Romanos, ut posterius *se*, referendum putabat. At Crever. emend. *nec quidquam emere ex fructibus agri ab se dati*, et *ea quæ ibi proveniant* interpretamentum esse existimabat *fructuum agri*, et inficetam verbositatem. — Unam vocem *ibi* delendam putat Doering., et sic verba, *neque emere ea, ex fructibus agri ab se dati quæ proveniant*, paulo copiosius dicta arbitratur pro, neque emere frumentum, in agro ab se dato proveniens. Ed. — *Quod populo romano superesset;* vide ad Tac. Ann. XV, 43, n. 1. — *Gratulatumque senatui*, et postquam senatui gratulatus esset; Drakenb.

Cap. XIV. 1. *Responsum regulo est;* vide ad I, 39, n. 2.

2. *Ut pretium honoremque debito* ei *beneficio addat*, justo et merito ob *fortem fidelemque operam, bello Punico* Romanis præstitam. *Honoremque verborum b. a.* conj. Gron. Conf. ad XXV, 17, n. 5. Sed vulgata lectio firmatur verbis seqq. et semper mihi mirifice placuit tum urbanitate, tum æquo judicio animique non minus grati sensu: hæc pæne languet, et ab illa nimis longe abit. Nunc video, hanc etiam displicuisse Crev. qui docet, eum *beneficio addere honorem verborum*, qui beneficio a se collato verba addat honorifica; hic vero non agi de beneficio Masinissæ in Romanos, sed Romanorum in Masinissam, quod huic deberetur ob constantem fidem; adeoque comiter senatum elevare beneficium suum fatendo, debitum fuisse Masinissæ; quidquid illi præstitum fuerit a populo romano; præterea *grati* viri esse, extollere beneficium acceptum, non a se datum. Idem recte monet, totam hanc orationem in eo esse, ut senatus comitate et laudibus certet cum Masinissæ gratulatione et modestia. Hinc et bene mox conj. *et illum favente populo ro-*

trium regum[3] *bellis deinceps omnibus functum officiis. Victoria vero populi romani lætari eum regem mirum non esse, qui sortem omnem fortunæ regnique sui cum rebus romanis immiscuisset. Grates diis pro populi romani victoria apud suos penates ageret; Romæ filium pro eo acturum. Gratulatum quoque satis suo ac patris nomine esse. Ipsum relinquere regnum, et Africa excedere, præterquam quod illi inutile esset, non esse e republica populi romani, senatum censere.* Petenti Masgabæ, ut Hanno Hamilcaris filius obses[4] in locum * exigeret. Munera ex senatusconsulto emere regulo quæstor jussus ex centum pondo argenti, et prosequi eum Puteolos, omnemque sumptum, quoad in Italia esset, præbere, et duas naves conducere, quibus ipse comitesque regis[5] in Africam deveherentur: et comitibus omnibus, liberis servisque, vestimenta data. Haud ita multo post de altero Masinissæ filio Misagene literæ allatæ sunt, *missum eum ab L. Paullo post devictum Persea in Africam cum equitibus suis; navigantem, dispersa classe in Hadriatico mari, Brundisium tribus navibus ægrum delatum.* Ad eum cum iisdem muneribus, quæ data Romæ fratri ejus erant, L. Stertinius quæstor Brundisium missus; jussusque curare, ut ædes

mano regnum acceptum ac virtute sua. Postea trium regum, etc.

3. *Postea trium regum*, Philippi, Antiochi et Persei, h. e. cum iis, *bellis deinceps* (vide ad I, 21, n. 8) *omnibus f. o.* vid. XXXI, 19; XXXVI, 4; XLII, 29. — *Apud suos penates*, domi; non Romæ. — *Esse e rep. populi romani;* vid. XXXIV, 34, n. 3.

4. *Hanno Hamilcaris filius obses* pro *hospes* ex emend. Sigon. qui lacunam h. l. ita explet: *obses in locum* (cujusdam alius obsidis Carthaginiensis, cujus nomen interiit) *Romam a Pœnis mitteretur, respondit senatus, haud æquum videri, ut obsides a Pœnis arbitrio Masinissæ exigeret.* — *Centum pondo argenti*, h. e. ex Crev. marcis nostratibus 156, unciis 2. Vid. Tabulas Numer. Vol. XII. Ed.

5. *Ipse comitesque regis*, forte *regii*, aut *reguli*, aut, quod malim, *ejus;* Gron. Cf. supra n. 1. — *Vestimenta data*, forte leg. *dari.*

hospi [tio reguli, simul omnia, quæ ad valetudinem opus essent, præberentur; impensæque liberaliter quum ipsi, tum toti comitatui præstarentur; naves etiam ut prospicerentur, quibus se bene ac tuto in Africam trajiceret. Equitibus singulæ libræ argenti, et quingeni sestertii dari jussi. Comitia creandis in insequentem annum consulibus habita sunt a C. Licinio consule. Creati Q. Ælius Pætus, M. Junius Pennus. Inde prætores facti Q. Cassius Longinus, M'. Juventius Thalna, Ti. Claudius Nero, A. Manlius Torquatus, Cn. Fulvius Gillo, C. Licinius Nerva. Eodem anno censores Ti. Sempronius Gracchus et C. Claudius Pulcher rem diu inter se variis altercationibus agitatam tandem concordi animo decreverunt. Gracchus, quum libertini iterum iterumque in quatuor tribus urbanas redacti sese rursus per omnes effudissent, repullulans semper malum radicitus exstirpare voluerat, omnesque, qui servitutem servissent, censu excludere. Nitebatur contra Claudius, et majorum instituta commemorabat, qui libertinos coercere sæpius, nunquam prohibere omnino civitate tentassent. Quin etiam ab censoribus C. Flaminio, L. Æmilio aliquid ex pristina severitate laxatum esse referebat. Sane quum tunc quoque fæx illa populi per omnes tribus sese divisisset, eamque redigere rursus in antiquam sedem velut necessarium videretur, nonnullis tamen ejus ordinis aliquid præcipuum concessum erat.

XV. Nam ab illis censoribus] in quatuor urbanas[1] tribus descripti erant libertini, præter eos, quibus filius quin-

Supplem. Valer. Maxim. V, 1. — Liv. IX, 46; Epit. lib. XX, XLV, 15 seqq. — Cicero, de Oratore, lib. I, cap. 9.

Cap. XV. 1. *In quatuor urbanas tribus*, etc. in iis, quæ h. l. desiderantur, Livius memoraverat comitia consulum prætorumque (quorum nomina vid. cap. 16), et initium contentionis C. Claudii Pulchri et Ti. Sempronii Gracchi censorum (vid. XLIII, 14 sq. et XLIV, 16) de libertinis. Nota Dukeri est: «Ex eo, quod Livius, tria de libertinis, quæ ante Claudium et Gracchum censores obtinuerant, referens, de primo præteriti temporis verbo dicit *descripti erant*, probabile fit, eum etiam scripsisse *jusserant* et *factum erat*. Ex eo autem, quod paulo post dicit *hoc quum ita servatum esset*, evidens est, hæc omnia ante Claudium et Gracchum censo-

quenni major ex SCto esset[2]. Eos, ubi proximo lustro censi essent, censeri jusserunt; et eos, qui prædium

res ita servata fuisse. De primo satis constat ex nota 6 ad Epit. lib. XX. De duobus aliis unum superest testimonium hujus loci, qui ob brevitatem obscurissimus est. Ex eo ne quidem liquet, utrum hæc eodem tempore, quo libertini postremo in tribus urbanas redacti sunt, quod a. Urb. 532, a L. Æmilio et C. Flaminio censoribus factum est, an ante, an denique post eorum censuram constituta fuerint. Sigonius, de Ant. Jur. Civ. Rom. II, 14, scribit, ea post hos censores ita immutata fuisse. Sed hoc nullo certo argumento probari potest. Nam quod libertini ab his in quatuor tribus urbanas redacti dicuntur, id non necesse est de omnibus sine exceptione accipi; quum nihil obstet, quominus et in eorum censura et ante eam libertinis nonnullis aliquid beneficii a republica tribui potuerit. Præterea si, quod Livius dicit, *libertinos in quatuor tribus urbanas descriptos* fuisse, id a L. Æmilio et C. Flaminio censoribus factum est, ut recte putat Sigonius, exceptio addita aperte demonstrat, libertinos, *quibus filius quinquenni major erat*, ab his in tribus urbanas non descriptos fuisse. Quod si quis quærat, in quibus ergo tribubus ab iis censi fuerint? respondebit ipse Livius, jussos fuisse censeri, *ubi proximo lustro censi essent*, i. e. in aliqua e tribubus rusticis: nam præter urbanas et rusticas aliæ non erant. E quibus verbis simul patet, id jam ante hos censores aliis datum fuisse. Nam quum ea, si ad horum censuram non referuntur, nullam certi temporis notam contineant, nemo divinando assequi potest, quodnam sit *proximum* illud *lustrum*. Quod ad libertinos, qui *prædia rustica pluris sestertium triginta millium* haberent, attinet, quia de his non idem, quod de libertinis, quibus filius quinquenni major esset, dicitur, incertius est, quando hos censendi jus factum fuerit. Nam quod Periz. in Diss. de lege Voconia, pag. 169, id Claudio et Graccho censoribus factum scribit, parum probabile est. Primum enim verba Livii *hoc quum ita servatum esset* nihil eorum, quæ ante de libertinis dixerat, ad horum censuram referri patiuntur. Deinde non valde verisimile est, Gracchum, qui primum omnes libertinos omnibus tribubus pellere decreverat, quum obtinuisset, ut omnes in unam tribum urbanam conjicerentur, in eorum numerum eos recipere voluisse, qui ante id tempus nunquam censi fuerant. » Conf. ad I, 43; XXII, 9; XLVI, 14 et 18; ad Epit. XX, 6, et LXXVII, 1; Intpp. Val. Max. VI, 5, § 3; Sigon. de Ant. Jur. Civ. Rom. I, 3, II, 14; Pigh. in Ann. ad a. 584 et 585.

2. *Præter eos, quibus filius quinquenni major ex SCto esset:* « Hinc Manut. de Civ. Rom. p. 19, et Gruch. de Com. Rom. II, 4, p. 682, recte conjiciunt, hos in tribubus rusticis, non in urbanis, censos fuisse. Credi potest, quum ante, ut alii libertini, in una e quatuor tribubus urbanis censerentur, deinde iis beneficio filii quinquennis datum fuisse, ut ex tribubus urbanis ignobilioribus in rusticas honoratiores transferrentur. Ita Cujac. ad l. 194, D. de U. S. Cæterum Manutius et Sigon. hæc ita citant: *quibus filius quinquenni major esset. Ex SCto eos, ubi*, etc. Hoc considerandum arbitror. Inepte saltem aliquis *ex SCto* filium habere dicitur ». Duk.

prædiave rustica pluris sestertium triginta millium haberent, censendi jus factum est[3]. Hoc quum ita servatum esset, negabat Claudius, *suffragii lationem injussu populi censorem cuiquam homini, nedum ordini universo, adimere posse. Neque enim, si tribu movere*[4] *posset, quod sit nihil aliud, quam mutare jubere tribum, ideo omnibus quinque et triginta tri-*

Verba *ex SCto* inepte h. l. inseri, et vel leg. esse *ex SCto descripti erant libertini*, vel *censeri ex SCto jusserunt*, putabat Crev.

3. *Censendi jus factum est*, « h. e. iis datum erat, ut in tribu censeri possent, quum ante censi non fuissent. Unde consequens est, eos, qui prædia rustica minoris *sestertium* 30,000 haberent, tribum non habuisse, et a suffragii latione exclusos fuisse. Nam eos, quos propter prædia rustica, quæ pluris sestertium 30,000 erant, censendi jus factum erat, in una e quatuor tribubus urbanis, non in tribubus rusticis, ut eos, quibus filius quinquenni major erat, censos fuisse, vere, ut puto, tradunt Manutius et Sigonius. Sed quid, si nulla quidem prædia rustica, sed urbana, verum longe pluris sestertium 30,000 possiderent? si majorem summam apud argentarios aut in fenore positam haberent? an tamen tribum non habebant, et censu ac suffragii latione excludebantur? » Duker. Ante verba *censendi jus factum est* excidisse *in tribubus rusticis*, existimabat Crever. nam L. Æmilio et C. Flaminio censoribus non actum fuisse, utrum censerentur libertini, sed ubi censerentur: bene autem eos in tribus rusticas admitti, qui prædia rustica haberent; et hanc fuisse censorum mentem, ut in eas non admitterentur, nisi ditissimi quique ex libertinis. — *Hoc quum ita servatum esset;* hæc, ut paulo ante *factum est*, non, ut monet Crev. de decreto, quod nunc latum esset, sed de more, jam per aliquod tempus servato, accipi posse existimat Doeringius. Ed.

4. *Negabat Claudius, suffragii lationem injussu populi... tribu movere*, etc. vid. IV, 24, n. 5; XXXVIII, 36, n. 4; XXXIX, 55, n. 1. « Ex hac disceptatione Claudii cum Gracho consilium Gracchi intelligitur, quod Livius in iis, quæ hic interciderunt, exposuerat. Habebat nimirum in animo, omnes libertinos non modo rusticis, verum etiam urbanis tribubus pellere, et universo ordini libertinorum suffragii lationem adimere. Id quum, contra tendente collega, consequi non posset, hoc tamen obtinuit, ut omnes libertini, et qui ante in rusticis tribubus, et qui in quatuor urbanis censebantur, in unam urbanam, in qua censerentur et suffragium ferrent, conjicerentur. Ita hoc rectius explicant Manut. et Sigon., quam Pighius, qui l. l. scribit, Gracchum decrevisse, quatuor urbanis tribubus omnes emovere, qui servitutem servissent, et quibus quinquenni major filius prædiave rustica pluris sestertium 30,000 non essent; et tum primum in Esquilinam solam conjecisse, qui servitutem servissent, et quibus talis filius taliave prædia non essent. Hæc aliena sunt a consilio

bubus emovere posse, id est, civitatem libertatemque eripere[5]; *non, ubi censeatur, finire, sed censu excludere*. Hæc inter ipsos disceptata: postremo eo descensum est, ut[6] ex quatuor urbanis tribubus unam palam in atrio Libertatis sortirentur, in quam omnes, qui servitutem servissent, conjicerent. Esquilinæ sors exiit[7]: in ea Ti. Gracchus pronuntiavit, libertinos omnes censeri placere. Magno ea res honori censoribus apud senatum fuit. Gratiæ actæ et Sempronio, qui in bene cœpto perseverasset, et Claudio, qui non impedisset. Plures, quam a superioribus[8], et senatu

Gracchi, et ab eo, quod, quum id perficere non potuisset, collega concedente obtinuit. » Duk. — *Si tribu movere posset*, forte *possit*, id est, etsi possit; Drak.

5. *Civitatem libertatemque* (juris Quiritium) *eripere* eodem sensu dicitur: nam cui civitas adimebatur, retinebat libertatem juris gentium, non libertatem juris Quiritium; Duk. *Libertas* plerumque opponitur servituti, et est libertinorum atque ingenuorum; sed quando de libertate civis rom. sermo est, significat jus Quiritium, vel omnia jura, quæ cives rom. habent. Conf. Ernesti Clav. Cic.; *Noodt*, Obss. II, 21; Heinecc. in Append. lib. I; Antiq. Rom. ad Institut. Jur. Civ. § 25; Sigon. de Ant. Jur. Civ. Rom. I, 6, et II, 14. — *Finire*; vide ad X, 13, n. 13. — *Inter ipsos* Claudium et Gracchum censores.

6. *Postremo eo descensum est, ut*, etc. vide ad XXIII, 14, n. 5. — *Palam in atrio Libertatis*; vid. XLIII, 16, n. 10.

7. *Esquilinæ sors exiit*; vide ad I, 43, n. 22, et XXI, 42, n. 2. — *In ea Ti. Gracchus*, etc. Non audiendus Aur. Vict. de Viris ill. cap. 57, neque patrocinatur ei Cic. de Or. I, 9, quem locum Manut. et Sigon. ll. ll. dudum aliter exposuerant; Duk.

8. *Plures, quam a superioribus* censoribus, *et senatu emoti, et equos vendere jussi: omnes iidem ab utroque* censore *et tribu remoti* (Gronov. malebat *moti*, et Ant. Periz. *emoti*) *et ærarii facti; neque ullius, quem alter notaret* (forte *notarat*; Drakenb.), *ab altero levata ignominia*; vide ad IV, 24, n. 5, et XL, 51, n. 2. « Livius quædam de his rebus jam XLIII, 15, 16, et XLIV, 16, dixerat; unde Sigon. admodum mirabatur, ipsum quasi sui oblitum eadem nunc iterasse. Quæ autem lib. XLIII narrarat, postea lib. XLIV repetiit, quia censores, postquam perduellionis causam dixerant, censum vel instauraverunt, vel ante accusationem nondum absolverant: unde ibi prioribus addit, tribu eos movisse, et ærarium reliquisse ipsum illum tribunum plebis P. Rutilium, a quo sibi perduellionis dies dictus erat. Hic vero repetendi causam habere potuit, ut adderet, omnes eosdem ab utroque et tribu motos, et ærarios factos, *neque ullius*, etc. quod antea omiserat. Id autem ut commode

emoti sunt, et equos vendere jussi. Omnes iidem ab utroque et tribu remoti, et ærarii facti : neque ullius, quem alter notaret, ab altero levata ignominia. Petentibus, ut ex instituto ad sarta tecta exigenda, et ad opera quæ locassent probanda[9], anni et bimensis tempus prorogaretur, Cn. Tremellius tribunus, quia lectus non erat in senatum[10], intercessit. Eodem anno C. Cicereius ædem[11] in monte Albano dedicavit quinquennio postquam vovit. Flamen Martialis inauguratus est eo anno L. Postumius Albinus.

faceret, breviter repetiit, quæ supra distinctius et per partes proposuerat. Si quis tamen id Livium memoriæ culpa fecisse malit, per me licet. Sic nomina triumvirorum, qui coloniam Aquileiam deduxerunt, memoravit lib. XXXIX, 55, et XL, 34 ». Drakenb. Conf. ad XXXV, 22, n. 2.

9. *Petentibus, ut ex instituto ad sarta tecta exigenda, et ad opera, quæ locassent, probanda* (vid. IV, 22, n. 5; V, 23, n. 6; VI, 4, n. 4), per *anni et bimensis tempus* censura sibi *prorogaretur;* vid. X, 47, n. 3, et XXIX, 37, n. 4. Verba *ex instituto* ante *exigenda* videntur ponenda, certe referenda sunt ad propiora *ad sarta tecta exigenda,* non ad remotiora, *anni et bimensis tempus prorogaretur:* multa vero in unico MS, e quo hic liber publicatus est, transposita esse, annotat Gronovius ad cap. 7; Dukerus. Verba autem hæc, *anni et bimensis tempus prorogaretur,* haud dubie corrupta sunt, et neque ea interpretandi ratio, quam modo dedi, neque Drakenborchiana, de qua vide ad X, 47, n. 3, satis probanda. *Anni et VI mensium tempus* (hoc est, justum censuræ tempus, nunc jam præteritum) *prorogaretur* recte, opinor, emend. Crev. qui putabat, vocem *bimensis* haud probam esse, et spatium illud anni et duorum mensium non cum legitimo censuræ spatio congruere, nec apparere ad quid referri possit. Nimium quoque illud videri monet Drakenb. et verisimile esse, censores hoc prætextu prorogationem postulasse, ut compensarent tempus inutiliter et sine negotio publico elapsum, quum in comitiis accusarentur perduellionis; vide ad XLIII, 16.

10. *Quia lectus non erat in senatum :* « hoc loco sententiam suam confirmant, qui putant, tribunos plebis tum nondum jure magistratus senatores fuisse sine lectione censorum, idque iis demum a. Urb. 623 plebiscito Atinio concessum. Sed de sententia hujus plebisciti, quod Gell. XIV, 8 memorat, parum convenit inter doctos; vid. Manut. de Leg. cap. 5; Sigon. de Ant. Jur. Civ. Rom. II, 2; Zamosc. de Sen. Rom. I, 9; Lips. Elect. II, 13; Torrent. ad Suet. Aug. 10; Ant. Augustin. de legibus. » Duk.

11. *Q. Cicereius ædem,* etc. conf. XLII, 7; unde Drak. suspicabatur, post *ædem* excidisse *Monetæ.* — *Flamen Martialis inauguratus,* etc. in locum P. Quintilii Vari, quem anno priore mortuum XLIV, 18 scripsit; Duker.

XVI. Q. Ælio, M. Junio consulibus de provinciis referentibus, censuere Patres, duas provincias Hispaniam rursus fieri, quæ una per bellum[1] Macedonicum fuerat; et Macedoniam Illyricumque eosdem, L. Paullum et L. Anicium, obtinere, donec de sententia legatorum[2] et res bello turbatas, et statum alium ejus regni formando composuissent. Consulibus Pisæ et Gallia decretæ cum binis legionibus peditum, et equitum quadringentenis[3]. Prætorum sortes fuere, Q. Cassii urbana[4], M'. Juventii Thalnæ inter peregrinos, T. Claudii Neronis Sicilia, Cn. Fulvii Hispania citerior, C. Licinii Nervæ ulterior. A. Manlio Torquato Sardinia obvenerat: nequiit ire in provinciam, ad res capitales quærendas ex senatusconsulto retentus. De prodigiis deinde nuntiatis senatus est consultus. Ædes deorum Penatium in Velia de cælo tacta erat; et in oppido Minervio[5] duæ portæ et muri aliquantum. Anagniæ terra pluerat; et Lanuvii fax in cælo visa

Cap. XVI. 1. *Per bellum Maced.* vide ad II, 18, n. 1.

2. *De sententia legatorum*; in Macedoniam nempe decretos esse legatos decem, in Illyricum vero quinque, discimus ex cap. seq. ubi eorum nomina quoque afferuntur. Ed.—*Statum alium ejus regni*, potius *eorum regnorum*, vel, quod propius ad vulgatum accedit, *utriusque regni*; sc. Macedonici et Illyrii; Gron. et Drak. Id probabile fit ex cap. 17, 26 et 29.

3. *Consulibus Pisæ*, Etruria, *et Gallia* Cisalpina *decretæ cum binis legionibus peditum, et equitum quadringentenis*: docet Drak. suspectas esse primum *legiones peditum*, deinde locutionem *equitum quadringentenis* pro *equitibus q.*, denique ipsam vocem *quadringenteni*, quoniam et haud proba ea esse videatur, et treceni fere equites legioni sint additi; vid. VIII, 8, n. 10. Hinc non male conjicit *cum binis legionibus* IↃↃ vel V CↃ (hoc est, quinum millium) *peditum et equitum trecenorum*. Idem suspicatur, plura excidisse, ex XLIV, 21 extr. forte supplenda.

4. *Prætorum sortes... urbana*, etc. vide ad XXII, 35, n. 5.—*M'. Juventii Thalnæ* pro *M. Juventii* vel *Juveneii Talvæ* recepi ex emend. Sigon. Conf. Drakenb.

5. *In oppido Minervio*, quod et memoratur Velleio, I, 15, et forte est id. qd. *Castrum Minervæ* opp. Calabriæ, Ἀθήνατον Dionys. I, 51, *arx Minervæ* Virg. Æn. III, 531, hod. *Castro*. Sed *oppidum* h. l. esse Romam antiquam Romuli in X regione

erat; et Calatiæ in publico agro M. Valerius civis romanus nuntiabat e foco suo sanguinem per triduum et duas noctes manasse. Ob id maxime decemviri libros adire jussi[6], supplicationem in diem unum populo edixerunt, et quinquaginta capris in foro sacrificaverunt. Et aliorum prodigiorum causa diem alterum supplicatio circa omnia pulvinaria fuit, et hostiis majoribus sacrificatum est, et Urbs lustrata[7]. Inde, quod ad honorem deum immortalium pertineret, decrevit senatus, *Ut, quoniam perduelles superati, Perseus et Gentius reges cum Macedonia atque Illyrico in potestate populi romani essent, ut, quanta dona, Ap. Claudio, M. Sempronio consulibus, ob devictum Antiochum regem data ad omnia pulvinaria essent, tanta Q. Cassius et M'. Juventius prætores curarent danda.*

XVII. Legatos deinde, quorum de sententia imperatores L. Paullus, L. Anicius componerent res[1], decreverunt decem in Macedoniam, quinque in Illyri-

Urbis putabant Scaliger et Drakenb. vide ad XLII, 20, n. 3. Ille emend. *in oppido Minervii* (sed ita Livius mox *fores* aut *valvæ* dixisset pro *portæ*, et *parietis* pro *muri*), hic vero *in oppido Minervæ*, sc. ædes, vel potius *in oppido Minervium* (hoc est, templum Minervæ, ut apud Varr. Ling. Lat. IV, 14, et simil. *Dianium* sup. I, 48), *duæ portæ et muri a.* Id firmari dicit loco Jul. Obseq. de Prod. cap. 70, *Romæ aliquot loca sacra profanaque cælo tacta*, et a P. Victore in *X* Urbis regione memorari *delubrum Minervæ*. — *Lanuvii;* ita ex h. l. legendum esse apud Obseq. l. l. pro *Lavinii*, jam monuere ejus intpp. De prodigiis h. l. memoratis vide ad I, 31, n. 1. — *Calatiæ in publico agro*, etc. Calatia, ait Crever., urbs erat Campaniæ, cujus ager, quemadmodum et Capuæ, publicus factus fuerat populi romani. Is igitur ager fruendus locabatur colonis a censoribus. M. Valerius, de quo hic agitur, unus videlicet erat ex iis qui aliquam partem hujus publici agri conduxerant.

6. *Decemviri libros adire jussi;* vid. III, 10, n. 6.

7. *Urbs lustrata;* vide ad I, 28, n. 2. — *Perduelles;* vide ad I, 26, n. 4. — *Quanta dona Ap. Claudio, M. Sempronio consulibus*, etc. Hi consules A. U. 568; dona vota A. 562. Antiochus anno sequenti victus; cf. XXXVI, 2, et XXXIX, 23.

Cap. XVII. 1. *Componerent res;* vide ad XXVI, 40, n. 1. — *Decem in M.;* mox nominantur tantummodo novem: unde decimi nomen intercidit.

cum. In Macedoniam sunt hi nominati, A. Postumius Luscus, C. Claudius, ambo censorii, C. Licinius Crassus, collega in consulatu Paulli; tum prorogato imperio provinciam Galliam habebat[2]. His consularibus addidere Cn. Domitium Ahenobarbum, Ser. Cornelium Sullam, L. Junium, C. Antistium Labeonem, T. Numisium Tarquiniensem, A. Terentium Varronem. In Illyricum autem hi nominati, P. Ælius Ligus consularis, C. Cicereius, et Cn. Bæbius Tamphilus (hic priore anno, Cicereius multis ante annis prætor fuerat), P. Terentius Tusciveicanus, P. Manilius. Moniti deinde consules a Patribus, ut, quoniam alterum ex his succedere C. Licinio, qui legatus nominatus erat, in Galliam oporteret, primo quoque tempore provincias aut compararent inter se, aut[3] sortirentur, sortiti sunt. M. Junio Pisæ obvenerunt (quem prius, quam in provinciam iret, legationes, quæ undique Romam gratulatum convenerunt, introducere in senatum placuit), Q. Ælio Gallia. Cæterum quanquam tales viri mitterentur, quorum de consilio sperari posset, imperatores nihil indignum nec clementia nec gravitate populi romani decreturos esse, tamen in senatu quoque agitata est summa consiliorum, ut inchoata omnia legati ab domo ferre ad imperatores possent.

2. *Tum prorogato imperio provinciam Galliam habebat*, donec successor venisset: nam consulibus statim inito magistratu Pisæ et Gallia provinciæ decretæ fuerant cap. 16, et Licinius, inter *X* legatos nominatus, quum ei Q. Ælius consul successisset, hoc anno in Macedoniam profectus est; Duk. Conf. seqq.

3. *Provincias aut compararent inter se, aut sortirentur;* vide ad III, 2, n. 1. Mox Gronov. malebat *sortitis M. Junio*, etc. et Drakenb. monet, verbum *sunt* olim unica litera *s* scriptum fuisse. Sed unde tum pendet *moniti?* an hoc dictum *pro moniti sunt?* — *Convenerunt*, potius *convenerant;* Duker. — *Quorum de consilio sp. posset, imp. nihil... decreturos esse;* hoc est, qui pro prudentia sua haud permissuri essent, ut imperatores decernerent aliquid, quod clemen-

XVIII. *Omnium primum liberos esse* placebat *Macedonas atque Illyrios, ut omnibus gentibus appareret, arma populi romani non liberis servitutem, sed contra servientibus libertatem afferre; ut et, in libertate gentes quæ essent, tutam eam sibi perpetuamque sub tutela populi romani esse, et, quæ sub regibus viverent, et in præsens tempus mitiores eos justioresque respectu populi romani habere se, et, si quando bellum cum populo romano regibus fuisset suis, exitum ejus victoriam Romanis, sibi libertatem allaturum crederent. Metalli quoque Macedonici*[1], *quod ingens vectigal erat, locationesque prædiorum rusticorum tolli* placebat. *Nam neque sine publicano exerceri posse; et, ubi publicanus est, ibi aut jus publicum vanum, aut libertatem sociis nullam esse*[2]. *Ne ipsos quidem Macedonas idem exercere posse. Ubi in medio*

tia et gravitate populi romani non esset dignum. Ed.

Cap. XVIII. 1. *Metalli quoque Macedonici*, etc. forte leg. *m. q. M. vectigal, quod ingens erat*, vel *m. q. M.... locationes prædiorumque rusticorum*, vel *prædiorumque r. locationes*, vel denique *metalla q. Macedonica*. Ad hæc et ad totum caput conf. inf. cap. 29. Quæ hic *prædia rustica* dicat Livius, non scio; nam Romanos nec prædia regia inculta ac deserta relinqui, nec privatis prædiorum suorum locatione interdicere voluisse, probabile est: agros autem Philippi et Persei in Macedonia deinde a censoribus locatos fuisse, Cic. Agr. II, 19 scribit; Dukerus. Forte ea sunt prædia, quæ proprium erant regum Macedonicorum patrimonium: quæ, quum locarentur a regibus, a Romanis vel venduntur, vel donantur; Crever. — *Exerceri posse*, sc. metallum sive metalli fodinas. Inf. cap. 29, *metalla quoque auri atque argenti non exerceri*: sed fortasse, ait Doering., vel ante, vel post *exerceri* excidit *id*, et sic habet, quo referatur, quod paulo post sequitur, *idem*. Ed.

2. *Ubi publicanus est, ibi aut jus publicum vanum, aut libertatem sociis nullam esse.* Nota Dukeri est: « *Jus publicum* interdum est, quod Justinianus, § 1 Instit. de Just. et Jur. *privatum jus* vocat, i. e. quo de rebus ad singulorum rem privatam et familiarem pertinentibus, publica auctoritate legibus constituto, omnes cives communiter utuntur, quodque magistratus omnibus æqualiter impertiri debent (sic apud Terent. Phorm. II, 5, v. 65, et Suet. Aug. 10, et Tib. 50): sed et proprie est, quod ad statum publicum civitatis atque imperii pertinet, ut apud Cic. de Or. I, 46, 61, et Brut. 77. Ita hic

præda administrantibus esset[3], *ibi nunquam causas seditionum et certaminis defore. Commune concilium gentis esset, ne improbum vulgus a senatu aliquando libertatem salubri moderatione datam ad licentiam pestilentem traheret. In quatuor regiones describi Macedoniam, ut suum quæque concilium haberet*, placuit; *et dimidium tributi, quam quod*[4] *regibus ferre soliti erant, populo romano pendere.* Similia his et in Illyricum mandata. Cætera ipsis imperatoribus legatisque relicta, in quibus præsens tractatio rerum certiora subjectura erat consilia.

credo dici de eo, quod censoriis aliisve publici exercendi legibus præscriptum et constitutum erat. Nam hoc quoque magis ad statum publicum civitatis et imperii pertinet, quam ad rem privatam singulorum. Hoc dicit *vanum* esse, *ubi publicanus est*, i. e. leges de conducendis et exercendis vectigalibus publicis non servari, sed eludi fraudibus et rapacitate publicanorum et sine vi esse. Verum eo ipso, quod *jus publicum vanum* reddebatur, fiebat, ut *libertas sociis nulla esset*, quæ illis salva fuisset, si leges vim suam obtinuissent. Itaque, si mea explicatio vera est, *et* vel pro utroque *aut*, vel, deleto priore *aut*, pro posteriore ponendum est.» Verba Livii Crever. ita exponit: *ubi publicanus est*, alterutrum accidere necesse est: aut remissius agere publicani jubebuntur; tunc *jus publicum vanum* erit, i. e. ex jure illo publico vel metalli, vel portorii, nihil aut perpaululum pecuniæ recipietur: aut publicanus rigide et districte aget; tunc libertas sociis nulla erit. Idem mox malebat *id exercere* pro *idem exercere*.

3. *Ubi in medio præda a. e.* vide VI, 6, n. 7. — *Commune concilium gentis esset:* immo leg. *c. non concilium*, vel cum Grut. *ne esset*. Magis a vulg. abit emend. Sigonii *gentis nullum esse;* et τὸ *esset* defendit Drak. quum variata constructio *placuit ne esset* et *Macedoniam dividi* Liviana sit. — De emendatione Drakenb. sic Buttn. Obss. pag. 111: « Hanc correctionem in his nemo probabit eorum, qui meminerint, verba *commune concilium gentis esset* pendere a præeunte *placebat*, non, ut Drakenb. videtur, a consequente *placuit*. Accedit offensio junctura *ne esset, ne... traheret* ». Ergo idem vir doctus suspicatur legendum: *ne ipsos quidem Macedonas idem exercere posse* (placebat)... *Nec commune concilium gentis esse, ne improbum vulgus*, etc. *Nec* facile assumi ex *defore commune*, quivis intelligit. Ed. — Mox *aliquando* ad remotiora, *ad licentiam pestilentem traheret*, pertinet, et forte, ut alia, loco motum est; Duk.

4. *Dimidium tributi, quam quod:* dele τὸ *quam;* Gronov. Sic cap. 26, 29, et al. Sed XXXV, 1, *vix dimidium militum, quam quod*, etc. vide ibi notas.—*In quibus* refer ad *cætera*

XIX. Inter multas regum gentiumque et populorum legationes, Attalus, frater regis [1] Eumenis, maxime convertit in se omnium oculos animosque: exceptus enim est ab his, qui simul eo bello militaverunt, haud paulo benignius, quam si ipse Eumenes venisset. Adduxerant eum duæ in speciem honestæ res: una, gratulatio, conveniens in ea victoria, quam ipse adjuvisset; altera, querimonia Gallici tumultus [2], Advertæque gladiis regnum in dubium adductum esse. Suberat et secreta spes honorum præmiorumque ab

relicta, nisi potius del. τὸ *in*, ut *quibus* respiciat *imperatores;* Gron. *ut quibus* emend. Jac. Gronov. Sic VII, 14, 37; XXV, 13; XXIX, 32, 34, et alibi.

Cap. XIX. 1. *Attalus frater r. Eumenis*, etc. conf. Polyb. XXX, 1, et Diodor. t. II, pag. 625, fragm. 21. — *Qui simul militaverunt;* conj. Gron. *quibus simul militaverat.* Cum Clerico forte leg. *militaverant.*

2. *Querimonia Gallici tumultus;* conf. XXXVIII, 12 sq. et ad II, 26, n. 1. — *Advertæque*, forte reguli Gallorum, de quo et bello gallico verisimile est supra apertius scripsisse Livium, quæ exciderunt; Sigon. Lege *aperte;* Turneb. Adv. XI, 18. Quidquid legatur, fortassis ne poetæ quidem dixerint *gladiis regnum in dubium adductum* pro regno periculum esse a bello; Duk. Locum pro desperato habent Crev. et Doering. Drak. conj. *altera, querimonia, gallico tumultu Solivettiique* (conf. cap. 34) *cladibus regnum*, etc. Conf. Polyb. l. l. Hunc locum Walchius, Emend. pag. 268, sic refingit: *querimonia gallici tumultus, acceptæque cladis:* « *regnum suum prope in dubium adductum esse* ». At Buttn. Obss. p. 112, de illa emendatione hæc observat: « Talis constructio ita fere locum obtinet, si in præcedentibus revera aut pronuntiatum aliquid, aut cogitatum esse dicitur; non hic, ubi Attalus perhibetur Romam profectus, partim quod victoriam *gratulaturus esset*, partim quod gallicum tumultum *questurus.* Ipsa illa *gratulatio* et *querimonia* sequente demum capite peragitur his verbis: *introductus in senatum, gratulatus victoriam... et Gallorum defectionem... exposuit.* » Idem vir doctus nollet Walchium hic inculcasse *suum* et *prope: suum*, quia Eumenis, non Attali regnum erat; *prope*, quia regnum non *pæne*, sed *penitus* in discrimen vocatum erat gallico tumultu. Cæterum in tanta depravationis fœditate legendum proponit: *Advertæque cladibus*, hoc est, clade Advertæ (duci forsitan Eumenis) illata. Cl. Kreyssigh. apud Goeller. pag. 454, partim ex cod. Vindobonensi, qui præfert, *Advertæque gladiisque regnum in dubium adductum esset*, partim ex Walch. conjectura, ita hunc locum emendat et distinguit: *querimonia gallici tumultus acceptæque cladis, qua regnum in dubium adductum esset.* Ed.

senatu, quæ vix salva pietate ejus[3] contingere poterant. Erant enim quidam Romanorum quoque non boni auctores, qui spe cupiditatem ejus elicerent: *Eam opinionem de Attalo et Eumene Romæ esse, tanquam de altero Romanis certo amico, altero nec Romanis, nec Persi fido socio. Itaque vix statui posse, utrum, quæ pro se, an, quæ contra fratrem petiturus esset, ab senatu magis impetrabilia forent: adeo universos omnia et huic tribuere, et illi vero negare*[4]. Eorum hominum, ut res docuit, Attalus[5] erat, qui, quantum spes spopondisset, cuperent, ni unius amici prudens monitio velut frenos animo ejus, gestienti secundis rebus, imposuisset. Stratius cum eo fuit medicus[6], ad id ipsum a non securo Eumene Romam missus, speculator rerum, quæ a fratre agerentur, monitorque fidus, si decedi fide vidisset. Is, ad occupatas jam aures[7] sollicitatumque jam animum quum venisset, aggressus tempestivis[8] temporibus rem prope prolapsam restituit, *aliis alia regna crevisse rebus*, dicendo: *regnum eorum novum, nullis vetustis fundatum opibus, fraterna stare concordia;*

3. *Salva pietate ejus* erga Eumenem fratrem. Forte leg. *ei* pro *ejus;* Crev. — *Altero* (Eumene) *nec Romanis, nec Persi* (vide ad XLII, 25, n. 1) *fido socio;* conf. ad XLIV, 13, 20, 24, 25.

4. *Et huic tribuere, et illi vero negare:* pro *vero* Gron. conj. *merito*, et Duk. *velle* e Polyb. Sed Crever. et Drakenb. putabant, *vero* hic cum emphasi affirmare, ut XXVII, 19, et apud Cic. Off. III, 1, de Sen. II, de Div. II, 8. Conf. Cort. ad Sallust. Cat. LVIII, 16, LXI, 1, et supra ad VII, 3, n. 1, et XXVII, 19, n. 7.

5. *Eorum hominum Attalus erat;* vide supra ad lib. XXIII, 31, n. 9.

6. *Stratius cum eo fuit medicus*, etc. conf. Polyb. XXX, 2. — *A non securo Eumene*, qui non sine cura et sollicitudine erat: ὀττευσάμενος ὁ βασιλεὺς τὸ μέλλον. Polyb.

7. *Ad occupatas jam aures... quum venisset*, brevi elegantia pro: quum ad Attalum venisset, ejusque animum jam iis, quæ non boni auctores ei dixerant, præoccupatum et sollicitatum esse intellexisset; cæterum vide ad V, 8, n. 7. En.

8. *Tempestivis temporibus;* Ausonius quidem in Ludo septem sapientum: « sed καιρὸς iste tempestivum

quod unus nomen regium et præcipuum capitis insigne gerat, omnes fratres regnent. Attalum vero, quia ætate proximus, quis non pro rege habeat? neque eo solum, quia tantas præsentes ejus opes cernat, sed quod haud ambiguum prope diem regnaturum eum infirmitate[9] *ætateque Eumenis esset, nullam stirpem liberum habentis* (necdum enim agnoverat eum, qui postea regnavit). *Quid attineret*[10] *vim afferri rei sua sponte mox ad eum adventuræ? Accessisse etiam novam tempestatem regno tumultus Gallici, cui vix*

tempus est ». Censeo tamen scribas *t. sermonibus;* Gron. prob. Drak. qui ita dici monet *sermones tempori aptos* III, 17; *orationem tempestivam* et *tempori convenientem* V, 12, XXXV, 36.

9. *Regnaturum eum infirmitate,* propter infirmitatem.—*Necdum enim agnoverat* Eumenes *eum, qui postea regnavit,* οὐδέπω γὰρ ἀναδεδείγμενος ἐτύγχανε κατὰ φύσιν υἱὸς ὢν αὐτῷ, ὁ μετὰ ταῦτα διαδεξάμενος τὴν ἀρχὴν Polyb. XXX, 2, § 6, ubi Schweigh. hæc notavit: « Quæ verba non vertenda sunt, *necdum enim agnitus fuerat spurius ille filius Eumenis, qui postea illi successit* (nam ὁ κατὰ φύσιν υἱὸς, πατὴρ, ἀδελφὸς non est spurius, qui hodie vulgo, non Romanis, *naturalis* dicitur, sed genuinus, germanus); neque *nondum enim pro genuino ejus filio declaratus erat,* etc. (nam Eumenes primum quidem ex pellice Aristonicum, sed deinde ex legitima uxore Stratonice, Ariarathis, Cappadocum regis, filia, quam dudum ab eo ductam fuisse, e Liv. XXXVIII, 39, et XLII, 16 constat, suscepit filium, juniorem illum Attalum III Philometora, qui Romanos heredes instituisse dicitur, eique parvo admodum moriens tutorem reliquit Attalum fratrem, qui, tutela una cum regno suscepta, eumdem post *XXI* annos successorem habuit: quod diserte Strabo, XIII, 624, tradit; Duker.) sed insolentiori quadam verbi ἀναδεδείγμενος notione adscita: *necdum enim tunc in lucem editus erat genuinus ille Eumenis filius:* cui interpretationi consentanea sunt tum loca Strab. et Polyb. XXXIII, 16, § 2, tum verba Polybii h. l. proxime præcedentia τοῦ βασιλέως διὰ τὴν ἀπαιδίαν, οὐδ' εἰ βουληθείη, δυναμένου τὴν ἀρχὴν ἄλλῳ καταλιπεῖν· quibus respondent h. l. Liviana *nullam stirpem liberorum habentis.* Si quis ei Livianam illam opponat, eum non nobis, sed Livio litem movere jubebimus, qui, quod haud dubie de Attalo, unice legitimo Eumenis filio ac successore, dixit Polybius, id ad Aristonicum, ex pellice natum (qui post mortem Attali III, sub a. Urb. 620 regnum invasit, sed quem nunquam pro legitimo agnitum ab Eumene esse probabile fit ex reliqua hujus familiæ regnique historia), referendum putavit ».

10. *Quid attineret;* vide ad II, 41, n. 4. *Attinere* conj. Gron. — *Ad eum adventuræ,* forte *venturæ,* quasi de hereditate, quæ *venire,* non *advenire,* dicitur. Justin. I, 4, « si ad filiam

consensu et concordia regum resisti queat. Si vero ad externum bellum domestica seditio adjiciatur, sisti non posse; nec aliud eum, quam ne frater in regno moriatur, sibi ipsi spem propinquam regni ereptum. Si utraque gloriosa res esset, et servasse fratri regnum, et eripuisse; servati tamen regni, quæ juncta pietati sit, potiorem laudem fuisse[11]. *Sed enimvero quum detestabilis altera res et proxima parricidio sit, quid ad deliberationem dubii superesse? Utrum enim partem regni petiturum esse, an totum ereptum? Si partem, ambo infirmos, distractis viribus, et omnibus injuriis obnoxios fore: si totum, privatumne ergo majorem fratrem, an exsulem illa ætate, illa corporis infirmitate, an ultimum mori jussurum? Egregium enim, ut fabulis traditus impiorum*[12] *fra-*

mortuo rege venisset imperium ». Sallust. Jug. VIII : « ultro illi et gloriam et regnum venturum »; Duk. — *Sisti non posse;* vid. II, 29, n. 7. Mox lege: *nec aliud eum fratri, quam ne in regno moriatur, sibi ipsum spem propinquam regni erepturum;* Gron. qui confert verba auctoris ad Herenn. IV, 52, *tu cessas mihi vitam, tibi omnem bene vivendi spem mea morte eripere?* Ad verba *nec aliud eum* Doujat. et Crever. intelligunt *effecturum.*

11. *Potiorem laudem fuisse*, forte *esse;* Jac. Periz. — *Omnibus injuriis obnoxios fore*, Ant. Periz. malebat *omnium.* Sæpe ita peccarunt librarii; Drak. — *Illa ætate, illa c. i.* vide ad II, 29, n. 6. — *An ultimum mori jussurum*, forte *ad ultimum* (vide ad XL, 42, n. 6) *mori j.*, eo sensu, quo Virg. Ecl. II, 7, *mori me denique cogis;* Gron. prob. Drak. qui duo putat interrogari, utrum sc. Attalus jussurus sit, fratrem, erepto regno, privatum ad mortem usque in patria vivere, an vero, eum, erepta simul patria, vitam in exsilio finire? *an ad ultimum* conj. Duker. et suspicatur, post *infirmitate* periisse *esse*, vel *visurum* vel aliam vocem sequenti *jussurum* sono similem, tria autem quærere Stratium, utrum fratrem privatum in regno vivere passurus, an in exsilium pulsurus, an denique interfecturus sit? non duo tantum, privatum an exsulem mori jussurus? nam nihil interesse, privatus aliquis an exsul mori jubeatur, ac ne quidem eamdem regibus facultatem esse exsules occidendi, quam privatos in regno ipsorum viventes. *Ultimum* Crev. exponit tandem, ad ultimum (vide ad XL, 42, n. 6), et tria divisionis membra constituit, ad *privatum* vero et *exsulem* intelligit *esse;* quod non multis placebit.

12. *Fabulis traditus impiorum fratrum*, etc. Eteoclis scil. et Polynicis; vide ad Sil. Ital. XVI, vs. 546 sq.

trum eventus taceatur, Persei exitum videri qui ex fraterna cæde raptum[13] *diadema in templo Samothracum, velut præsentibus diis exigentibus pœnas, ad pedes victoris hostis prostratus posuerit. Eos ipsos, qui, non illi amici, sed Eumeni infesti, stimulent eum, pietatem constantiamque laudaturos, si fidem ad ultimum fratri præstitisset.*

XX. Hæc plus valuere in Attali animo. Itaque introductus in senatum, gratulatus victoriam[1], et sua merita eo bello fratrisque, si qua erant, et Gallorum defectionem, quæ nuper ingenti motu facta erat, exposuit. Petiit, ut legatos mitteret ad eos, quorum auctoritate ab armis avocarentur. His pro regni utilitate editis mandatis, Ænum sibi et Maroneam petiit. Ita destituta eorum spe, qui, fratre accusato, partitionem regni petiturum crediderant, curiam[2] excessit. Ut raro alias quisquam, rex aut privatus, tanto favore tantoque omnium assensu est auditus; omnibus honoribus muneribusque et præsens est cultus, et proficiscentem prosequuti sunt. Inter multas Asiæ Græciæque legationes Rhodiorum maxime legati[3] civitatem converterunt. Nam quum primo in veste candida visi essent, quod gratulantes decebat, et, si

13. *Qui ex fraterna cæde raptum*, etc. pro vulgatum: qui occiso fratre, legitimo regni herede, in templo ultimo refugio, Romanis se tradiderit. Conf. cap. 6.

Cap. XX. 1. *Gratulatus victoriam*, forte *gratulatusque* vel *gratulatus v. est;* Drak. — *Gallorum defectionem*, Gallogræcorum, quorum pars imperio Eumenis parebant; vid. Polyb. V, 77, 78; XXV, 4, 5; XXVI, 6; XXX, 1 sq. XXXI, 2, 6; XXXII, 5. Ad hæc et seqq. cf. Polyb. XXX, 3, qui etiam *Ænum* et *Maroneam* præsenti Attalo promissas a senatu, sed paullo post discessum ejus liberas fuisse pronuntiatas tradit.

2. *Curiam excessit;* ediderant recentiores *curia excessit*, quod primæ editionis lectioni contrarium testatur Drak. vide ad II, 37, n. 5. Sequens *ut* delendum; Gronovius, Creverius, et Drakenb. qui etiam malebat, *Raro alius quisquam.*

3. *Rhodiorum maxime legati*, etc. conf. Polyb. XXX, 4; Diodor. t. II, pag. 624; Gell. VII, 3; Dio Cass. p. 66, n. 158 sq. ed. Reimar. — *Civi-*

sordidam vestem habuissent, lugentium Persei casum præbere speciem poterant; postquam consulti ab M. Junio consule Patres, stantibus in comitio legatis an locum, lautia, senatumque darent[4], nullum hospitale jus in iis servandum censuerunt; egressus e curia consul, quum Rhodii, gratulatum se de victoria purgatumque civitatis crimina dicentes venisse, petissent, ut senatus sibi daretur, pronuntiat: *Sociis et amicis et alia comiter atque hospitaliter præstare Romanos, et senatum dare consuesse: Rhodios non ita meritos eo bello, ut amicorum sociorum*[5] *numero habendi sint.* His auditis, prostraverunt se omnes humi, consulemque et cunctos, qui aderant, orantes, ne nova falsaque crimina plus obesse Rhodiis æquum censerent, quam antiqua merita, quorum ipsi testes essent. Extemplo, veste sordida sumpta, domos principum cum precibus ac lacrymis circumibant, orantes, ut prius cognoscerent causam, quam condemnarentur.

XXI. M'. Juventius Thalna prætor, cujus inter cives et peregrinos jurisdictio erat, populum adversus Rhodios incitabat, rogationemque promulgaverat, *Ut*

tatem converterunt; vide ad XXII, 51, n. 3. — *Et, si sordidam vestem,* etc. nullum hic locum copulæ ait Walch. Emend. Liv. p. 228, et conj. *ut*, quod quidem intelligit *utpote, quia*, collat. Cæs. de Bell. Gall. V, 43, et Curt. III, 9, 11, V, 4, 31. Sed nil opus. Ed.

4. *Stantibus in comitio* (vide ad I, 36, n. 6) *legatis an locum, lautia senatumque darent*, dandum censerent; vide ad III, 21, n. 3; VIII, 5, n. 1, et XXVIII, 39, n. 8.

5. *Amicorum sociorum*, lege *a. et sociorum*, ut paulo ante, aut cum aliis *a. sociorumve*, vel *a. aut sociorum*, vel *a. sociorumque.* — *Ne nova crimina plus obesse Rhodiis*, etc. « Etiam hic locus, ait Walch. p. 229, emendatione egebit, si vere censeant Duk., Drak. et Crever. corrupte circumferri cap. 24, *ne plus obsit nobis, quod uno bello cessavimus, quam quod duobus bellis pro vobis pugnavimus.* Utriusque loci par est ratio. Ex præcedente verbo eruendum est, quod in altero orationis membro illi contrarium opponatur ». Ed. — *Condemnarentur*, forte *condemnarent;* Crev. et Drakenb.

Rhodiis bellum indiceretur, et ex magistratibus ejus anni deligerent, qui ad id bellum cum classe mitteretur, se eum sperans futurum esse. Huic actioni M. Antonius et M. Pomponius tribuni plebis adversabantur. Sed et prætor novo maloque exemplo rem ingressus erat, quod, ante non consulto senatu, non consulibus certioribus factis, de sua unius sententia rogationem ferret, *Vellent juberentne*[1], *Rhodiis bellum indici?* quum antea semper prius senatus de bello consultus esset, deinde ad populum latum; et tribuni plebis, quum ita traditum esset, ne quis[2] prius intercederet legi, quam privatis suadendi dissuadendique legem potestas facta esset, eoque persæpe evenisset, ut, qui non professi essent se intercessuros, animadversis vitiis legis ex ratione dissuadentium, intercederent, et, qui ad intercedendum venissent, desisterent, victi auctoritatibus suadentium legem. Tum inter prætorem tribunosque omnia intempestive agendi certamen erat. Tribuni festinationem prætoris ante tempus intercedendo, [quum damnarent, imitabantur. Hoc tamen intercessioni suæ prætendebant,] in adventum im- [peratoris et decem legatorum ex Macedonia, qui, re diligentissime ex literis tabulisque perpensa, certo indicaturi essent, quo quæque civitas in

Cap. XXI. 1. *Vellent juberentne*, forte *juberentve*. — *Quum antea semper prius senatus de bello consultus*, etc. vide ad XLI, 1, n. 3.

2. *Et tribuni plebis, quum ita traditum esset, ne quis*, etc. vid. Gruch. de Com. Rom. I, 4, pag. 597. Post *tribuni pl.* excidisse pauca in hanc sententiam *quod, ante quam privati de lege dicerent, legi ipsi intercederent*, suspicabatur Sigon. Contra Gronov. ex præcedd. intelligebat *novo maloque exemplo actioni prætoris adversabantur*. Hoc quidem intelligi potest, nec tamen ex eo satis apparet, in quo situm fuerit, quod tribuni pl. ita adversabantur: quod sine supplemento aliquo vix intelligi potest; Duker. — *Ex ratione dissuadentium*, lege *ex rationibus*, vel potius cum Gron. *ex oratione;* Drak. — Doering. vero *ratione* positum esse ait pro *rationibus*, et melius animadverti posse putat vitia legis ex allatis rationibus a dissuadentibus, quam ex eorum orationibus. Ed.

Persea Romanosve animo fuisset, totam de Rhodiis consultationem rejici opus esse. Sed quum nihilominus prætor propositum urgeret, eo res processit, ut Antonius tribunus, productis ad populum legatis, procedentem contra Thalnam et dicere incipientem de Rostris detraheret, Rhodiisque concionem præberet. Cæterum, etsi præcipitem ac fervidum prætoris conatum par tribuni pervicacia discusserat, nondum tamen cura discesserat Rhodiorum animis. Patres enim erant infensissimi: ut imminenti malo levati magis in præsens Rhodii, quam omnino liberati essent. Igitur quum diu multumque precantibus tandem senatus datus esset, introducti a consule, primo prostratis humi corporibus diu flentes jacuerunt. Deinde, quum excitatos consul dicere jussisset, Astymedes, quam maxime composito ad commovendam miserationem habitu, in hunc modum verba fecit:

XXII. « Hic luctus et squalor paulo ante florentium « amicitia vestra sociorum, Patres conscripti, non potest non « esse etiam iratis miserabilis. At quanto justior vestras « mentes subibit miseratio, si cogitare volueritis, quam « dura conditione causam hic apud vos prope jam dam- « natæ civitatis agamus? Cæteri rei fiunt, antequam dam- « nentur: nec prius luunt supplicia, quam de culpa con- « stet. Rhodii] peccaverimusne, adhuc dubium [1] est: « pœnas, ignominias omnes jam patimur. Antea, Car- « thaginiensibus victis, Philippo, Antiocho superatis, « quum Romam venissemus, ex publico hospitio in « curiam gratulatum vobis, Patres conscripti, ex curia « in Capitolium ad deos vestros dona ferentes [2]; nunc

Supplem. Polyb. Exc. Legat. 93. — Livius infra cap. 25.

Cap. XXII. 1. *Peccaverimusne, adhuc dubium est*, etc. hæc est Astymedis, principis legationis Rhodiorum, oratio ἀκέφαλος, Græcis haudquaquam probata; vid. Polyb. XXX, 4, et Gell. VII, 3. Livium non tam ea, quæ dixerit orator Rhodius in senatu, quam quæ ab eo dici potuisse ac debuisse putaverit, in hanc orationem contulisse, docet Duk.

2. *Ad deos vestros dona ferentes* sc. *veniebamus;* quod verbum, a Sigonio interpositum, elegantius reticeri et ex proximis intelligi putabat

« ex sordido deversorio, vix mercede recepti, ac prope « hostium more extra Urbem manere jussi, in hoc « squalore venimus in curiam romanam Rhodii, quos « provinciis nuper Lycia atque Caria, quos præmiis « atque honoribus amplissimis donastis. Et Macedonas « Illyriosque liberos esse (ut audimus[3]) jubetis, quum « servierint, antequam vobiscum bellarent (nec cujus- « quam fortunæ invidemus, immo agnoscimus cle- « mentiam populi romani): Rhodios, qui nihil aliud « quam quieverunt[4] hoc bello, hostes ex sociis facturi « estis? Certe quidem vos estis Romani, qui ideo fe- « licia bella vestra esse, quia justa sint, præ vobis « fertis; nec tam exitu eorum, quod vincatis, quam « principiis, quod non sine causa suscipiatis, gloria- « mini. Messana in Sicilia oppugnata[5] Carthaginien- « ses, Athenæ oppugnatæ et Græcia in servitutem « petita et adjutus Hannibal pecunia, auxiliis, Philip- « pum hostem fecerunt. Antiochus ipse, ultro ab « Ætolis hostibus vestris arcessitus, ex Asia classe in « Græciam trajecit, Demetriade et Chalcide et saltu « Thermopylarum occupato, de possessione imperii « vos dejicere conatus. Cum Perseo socii vestri oppu- « gnati, alii interfecti reguli principesque gentium aut « populorum, causa belli vobis fuere. Quem tandem « titulum nostra calamitas habitura est, si perituri su- « mus? Nondum segrego civitatis causam a Polyarato

Gron. *deducebamur* excidisse credebat Crev. *ferebamus* emend. Perizonius. — Doer. Livium nec scripsisse *veniebamus* (quis enim hanc latinitatem ferat: *quum Romam venissemus... veniebamus?*), nec illud reticuisse existimat. Sed suspicatur *pergebamus*, nec repudiat tamen Creverii conjecturam. Ed.

3. *Ut audimus* vett. edd. non *audivimus*, et est ἰδιωτισμὸς vulgarium quoque linguarum *audio* pro *audivi* vel cognovi; Gronov., laudatis Cic. pro Rosc. cap. 6, et Petr. cap. 104. Conf. cap. 23 extr. et cap. 24.

4. *Nihil aliud quam quieverunt*; vide ad II, 8, n. 9.

5. *Messana in Sicilia oppugnata*, h. e. ejus oppugnatio, etc. vide ad XXVIII, 28, n. 3.

« et Dinone, civibus nostris[6], et iis, quos, ut trade-
« remus vobis, adduximus. Si omnes Rhodii æque
« noxii essemus, quod nostrum in hoc bello crimen
« esset? Persei partibus favimus, et, quemadmodum
« Antiochi Philippique bello pro vobis adversus reges,
« sic nunc pro rege adversus vos stetimus. Quemad-
« modum soleamus socios juvare, et quam impigre
« capessere bella, C. Livium, L. Æmilium Regillum
« interrogate, qui classibus vestris in Asia præfue-
« runt. Nunquam vestræ naves pugnavere sine nobis.
« Nostra classe pugnavimus semel ad Samum, iterum
« in Pamphylia adversus Hannibalem imperatorem.
« Quæ victoria nobis eo gloriosior est, quod, quum
« ad Samum magnam partem navium adversa pugna
« et egregiam juventutem amisissemus, ne tanta qui-
« dem clade territi, iterum ausi sumus regiæ classi ex
« Syria venienti obviam ire. Hæc non gloriandi causa
« retuli (neque enim ea nunc nostra est fortuna);
« sed ut admonerem, quemadmodum adjuvare socios
« solerent Rhodii.

XXIII. « Præmia, Philippo et Antiocho devictis,
« amplissima accepimus a vobis. Si, quæ vestra nunc
« est fortuna deum benignitate et virtute vestra, ea
« Persei fuisset, et præmia petitum ad victorem re-
« gem venissemus in Macedoniam, quid tandem dice-
« remus? Pecuniane a nobis adjutum, an frumento?
« auxiliis terrestribus, an navalibus? quod præsidium
« tenuisse nos? ubi pugnasse aut sub illius ducibus,
« aut per nos ipsos? Si quæreret, ubi miles noster,

6. *A Polyarato et Dinone, civibus nostris*, qui et ipsi paulo post Romam traducti sunt; vid. Polyb. XXX, 8, 9. Cæterum dant *Dione* vett. edd.; sed male. — *C. Livium* jam hoc tempore mortuum fuisse, ex XLIII, 11 colligebat Jac. Periz. Sed hoc loco alium non immerito credideris designari Livium, qui quidem in prætura classi præfuit. Conf. Drak. et Ind.

« ubi navis intra præsidia[1] sua fuisset, quid respon-
« deremus? Causam fortasse diceremus apud victo-
« rem, quemadmodum apud vos dicimus. Hoc enim
« legatos utroque de pace mittendo consequuti su-
« mus, ut ne ab utraque parte gratiam iniremus[2]; ab
« altera etiam crimen et periculum esset. Quanquam
« Perseus vere objiceret, id quod vos non potestis,
« Patres conscripti, nos principio belli misisse ad vos
« legatos, qui pollicerentur vobis, quæ ad bellum
« opus essent; navalibus, armis, juventute nostra, sic-
« ut prioribus bellis, ad omnia paratos fore. Ne præ
« staremus, per vos stetit[3], qui de quacumque causa
« tum aspernati nostra auxilia estis. Neque fecimus
« igitur quidquam tanquam hostes, neque bonorum
« sociorum defuimus officio; sed a vobis prohibiti
« præstare fuimus. Quid igitur? nihilne factum neque
« dictum est in civitate vestra, Rhodii, quod nolletis,
« quo merito offenderetur populus romanus? Hinc
« jam non, quod factum est, defensurus sum (non
« adeo insanio), sed publicam causam a privatorum
« culpa segregaturus. Nulla enim est civitas, quæ non
« et improbos cives aliquando, et imperitam multitu-
« dinem semper habeat. Etiam apud vos fuisse audivi,
« qui assentando multitudini grassarentur; et seces-
« sisse aliquando a vobis plebem, nec in potestate
« vestra rempublicam fuisse[4]. Si hoc in hac tam bene
« morata civitate accidere potuit, mirari quisquam

Cap. XXIII. 1. *Ubi navis intra præsidia;* vide ad IX, 31, n. 1.

2. *Ut ne* (pro simpl. *ne*) *ab utraque parte gratiam iniremus;* scribe *ut ab neutra parte*, et mox *navibus, armis, juventute* pro *navalibus, a., j.;* Gronov. Forte et *juv. nos nostra;* Drak. *navalibus* sc. auxiliis, ut paulo ante; Ern.

3. *Ne præstaremus, per vos stetit;* vide ad II, 31, n. 7. Mox lege: *sed id a vobis prohibiti præstare fuimus;* Gron. — *Hinc jam non*, potius *Hic jam*, i. e. nunc, hoc tempore, ut apud Cic. pro l. Manil. cap. 9, *hic jam plura non dicam;* Duk. et Drak.

4. *Nec in potestate vestra remp. f.*

« potest, aliquos fuisse apud nos, qui, regis amicitiam « petentes, plebem nostram consiliis depravarent? qui « tamen nihil ultra valuerunt, quam ut in officio ces- « saremus. Non præteribo id, quod gravissimum est « in hoc bello crimen civitatis nostræ. Legatos eodem « tempore et ad vos, et ad Persea de pace misimus: « quod infelix consilium furiosus (ut postea audivi- « mus) orator[5] stultissimum fecit; quem sic loquu- « tum constat, tanquam C. Popillius legatus romanus, « quem ad submovendos a bello Antiochum et Ptole- « mæum reges misistis, loqueretur. Sed tamen ea, sive « superbia sive stultitia appellanda est, eadem, quæ « apud vos, et apud Persea fuit. Tam civitatium, quam « singulorum hominum mores sunt; gentes quoque « aliæ iracundæ, aliæ audaces, quædam timidæ: in « vinum, in venerem proniores aliæ sunt. Athenien- « sium populum[6] fama est celerem et supra vires au- « dacem esse ad conandum; Lacedæmoniorum cun- « ctatorem et vix in ea, quibus fidit[7], ingredientem. « Non negaverim, et totam Asiæ regionem inaniora « parere ingenia, et nostrorum tumidiorem sermo- « nem esse, quod excellere inter finitimas civitates « videamur; et id ipsum non tam viribus nostris, « quam vestris honoribus ac judiciis. Satis quidem et

vide ad XXVI, 8, n. 9. Mox forte leg. *depravarint* et *cessarimus;* Drak.

5. *Furiosus, ut postea audivimus, orator,* etc. respicit ad ea, quæ XLIV, 14, 15 leguntur. Agesipolis oratio post allatum Romam nuntium de Perseo victo nequaquam tam insolens fuit: eam tamen hic designari, e Polyb. XXIX, 7 colligitur; Duker. — *Tanquam C. Popillius;* ad marginem Livii conjicit *tanquam si* vir doctus Jac. Perizon. Ita hoc passim dici, ut et *veluti si* et *quasi si,* docet Drak. — *Eadem, quæ apud vos* fuit, legatio scilicet.

6. *Atheniensium populum:* malim *Atheniensem,* et mox *Lacedæmonium;* Gron. Sed vulgatum exemplis firmavit Drak.

7. *Vix in ea, quibus fidit, ingredientem,* vix ea aggredientem seu conantem, quæ se perfecturum esse confidit. — *Tumidiorem sermonem;* vide ad XXX, 11, n. 3.

« tunc in præsentia castigata illa legatio erat, cum « tam tristi responso vestro dimissa. Si tum parum « ignominiæ pensum est, hæc certe tam miserabilis ac « supplex legatio etiam insolentioris, quam illa fuit, « legationis satis magnum piaculum esset. Superbiam, « verborum præsertim, iracundi oderunt, prudentes « irrident; utique si inferioris adversus superiorem « est: capitali pœna nemo unquam dignam judicavit. « Id enimvero periculum erat, ne Romanos Rhodii « contemnerent. Etiam deos aliqui verbis ferocioribus « increpant, nec ob id quemquam fulmine ictum au- « dimus[8].

XXIV. « Quid igitur superat, quod purgemus[1], si « nec factum hostile ullum nostrum est, et verba tu- « midiora legati[2] offensionem aurium, non perniciem « civitatis, meruerunt? Voluntatis nostræ tacitæ velut « litem æstimari vestris inter vos sermonibus audio, « Patres conscripti: favisse nos regi, et illum vincere « maluisse; ideo bello persequendos esse credunt. « Alii vestrum, voluisse quidem nos hoc, non tamen « ob id bello persequendos esse: neque moribus, ne- « que legibus ullius civitatis ita comparatum esse, ut, « si quis vellet inimicum perire, si nihil fecerit[3], quo « id fiat, capitis damnetur. His, qui nos pœna, non « crimine, liberant, gratiam quidem habemus; ipsi « nobis hanc dicimus legem: si omnes voluimus,

8. *Fulmine ictum audimus;* vide ad cap. 22, n. 3.

Cap. XXIV. 1. *Quid igitur superat* (vide ad VIII, 10, n. 1), *quod purgemus*, purgare debemus: male edd. ante Gron. *purgamus;* Drak.

2. *Verba tumidiora* (vid. XXX, 11, n. 3) *legati* nostri. Cf. cap. 23, n. 5, et XLIV, 14, 15. — *Voluntatis nostræ tacitæ velut litem æstimari;* vide ad XXXVIII, 55, n. 5.

3. *Ut, si quis vellet inimicum perire, si nihil fecerit:* in edd. ante Vascos. *qui* (vide ad VI, 32, n. 3), et *ut si nihil fecerit;* unde *ut is, si nihil fecerit* non male conjicit Gronov. probante Drakenb. Conf. ad lib. XXII, 11, n. 2.

« quod arguimur, non distinguimus voluntatem a « facto : omnes plectamur. Si alii principum nostro- « rum vobis, alii regi faverunt, non postulo, ut pro- « pter nos, qui partium vestrarum fuimus, regis fau- « tores salvi sint : illud deprecor, ne nos propter illos « pereamus. Non estis vos illis infestiores, quam civi- « tas ipsa ; et hoc qui sciebant[4], plerique eorum aut « profugerunt, aut mortem sibi consciverunt. Alii, « damnati a nobis, in potestate vestra erunt, Patres « conscripti. Cæteri Rhodii, sicut gratiam nullam me- « riti hoc bello, ita ne pœnam quidem sumus. Priorum « nostrorum benefactorum cumulus, hoc quod nunc « cessatum in officio est, expleat. Cum tribus regibus « gessistis bella per hos annos. Ne plus obsit nobis, « quod uno bello cessavimus, quam quod duobus bel- « lis[5] pro vobis pugnavimus. Philippum, Antiochum, « Persea, tanquam tres sententias, ponite. Duæ nos « absolvunt : una dubia est, ut gravior sit[6]. Illi de no-

4. *Et hoc qui sciebant*, potius *quia s.*; Jac. Periz.

5. *Quam quod duobus bellis*, etc. immo *quam prosit, quod duobus*; Crev. et Drak. — De hujus loci difficultate jam egimus ad cap. 20, n. 5. Walch. Emend. Liv. pag. 230, laudat simillimum exemplum Livii, VI, 18, *quot enim clientes circa singulos fuistis patronos, tot nunc adversum unum hostem eritis.* An *clientes?* immo *hostes.* Neque incognita ea est negligentia, ex sermone quotidiano adscita, Græcis. Plato, Apol. p. 361, τί οὖν; τί ἄξιός εἰμι παθεῖν ἢ ἀποτῖσαι, ὅ, τι μαθὼν ἐν τῷ βίῳ οὐχ ἡσυχίαν ἦγον, ἀλλ' ἀμελήσας, ὥνπερ οἱ πολλοὶ, χρηματισμοῦ τε καὶ οἰκονομίας καὶ στρατηγίων καὶ δημιουργιῶν καὶ τῶν ἄλλων ἀρχῶν... ἐνταῦθα οὐκ ἤια, κ. τ. λ. Perperam Fischerus ex præcedente ἀμελήσας repetendum esse censet ἀμελοῦσι, idque εἰρωνικῶς explicandum ; ipsum huic ἀμελοῦσι oppositum assume ἐπιμέλονται. Illustrabit rem Wolfius Ed.

6. *Una dubia est, ut gravior sit*, etiamsi severior, durior sit, ut apud Cæs. Bell. Civ. I, 2, quod jam monuit Crever. Sensus est : Dubium est, utrum damnandi simus, ut vos judicare videmini, *quod uno bello*, adversus *Persea* a vobis gesto, *cessavimus*, non pro vobis pugnavimus, ut in duobus bellis. Non est, quod cum Gron. legas *una dubia est; tantum abest, ut gravior sit*, hoc sensu : Una nec absolvit, quia non juvimus, nec condemnat, quia non contra stetimus : tantum abest, ut certo condemnet, vel majorem habeat auctoritatem, ut *gravis auctor* I, 15, n. 7. — *Illi*, sc.

« bis si judicarent, damnati essemus. Vos judicate, « Patres conscripti, sit Rhodus in terris, an funditus « deleatur. Non enim de bello deliberatis, Patres con- « scripti; quod inferre potestis, gerere non potestis, « quum nemo Rhodiorum arma adversus vos laturus « sit. Si perseverabitis in ira, tempus a vobis petemus, « quo hanc funestam legationem domum referamus : « omnia libera capita, quidquid Rhodiorum virorum, « feminarum est, cum omni pecunia nostra naves « conscendemus, ac, relictis penatibus publicis priva- « tisque, Romam veniemus; et, omni auro et argento, « quidquid publici, quidquid privati est, in comitio, « in vestibulo curiæ vestræ, cumulato, corpora nostra « conjugumque ac liberorum vestræ potestati permit- « temus, hic passuri, quodcumque patiendum erit. « Procul ab oculis nostris urbs nostra diripiatur, in- « cendatur. Hostes Rhodios esse, Romani judicare « possunt : est tamen et nostrum aliquod de nobis « judicium, quo nunquam judicabimus [7] nos vestros « hostes : nec quidquam hostile, etiam si omnia pa- « tiemur, faciemus. »

XXV. Secundum talem orationem [1] universi rursus prociderunt, ramosque oleæ supplices jactantes, tandem excitati, curia excesserunt. Tunc sententiæ interrogari cœptæ. Infestissimi Rhodiis erant, qui consules prætoresve aut legati gesserant in Macedonia bellum. Plurimum causam eorum adjuvit M. Porcius Cato, qui, asper ingenio, tum lenem mitemque senatorem egit [2]. Non inferam simulacrum viri copiosi, quæ dixe-

qui voluntatis nostræ tacitæ velut litem æstimant, etc. Conf. cap. pr.

7. *Quo nunquam judicabimus* ex emend. Gronov. pro vulg. *quod nunquam judicavimus.* Idem conj. *qui nunquam judicabimus.*

Cap. XXV. 1. *Secundum talem orationem ;* vide ad I, 4, n. 1. — *Ramos oleæ supplices jactantes ;* vide ad II, 54, n. 6.

2. *Lenem mitemque senatorem egit;* vide ad Epit. Liv. XLVI, n. 2. —

rit, referendo: ipsius oratio scripta exstat, Originum quinto libro inclusa. Rhodiis responsum ita redditum est, ut nec hostes fierent, nec socii permanerent. Philocrates et Astymedes principes legationis erant[3]. Partem cum Philocrate renuntiare Rhodum legationem placuit, partem cum Astymede Romæ subsistere, qui, quæ agerentur, sciret certioresque suos faceret. In præsentia deducere ante certam diem ex Lycia Cariaque jusserunt[4] præfectos. Hæc Rhodum nuntiata, quæ per se tristia fuissent, quia majoris mali levatus erat timor, quum bellum timuissent, in gaudium renuntiata verterunt. Itaque extemplo coronam viginti millium aureorum[5] decreverunt: Theodotum, præfectum classis, in eam legationem miserunt. Societatem

Ipsius oratio, pro Rhodiis habita, *scripta exstat, Originum quinto libro inclusa;* vide ad XXXI, 44, n. 4; XXXIV, 5, n. 3; Gell. VII, 3; Appian. Pun. 65.

3. *Philocrates et Astymedes principes legationis erant;* conf. ad hæc et seqq. Polyb. Exc. Leg. XXX, 5, qui etiam Philocratem primo cum aliis, deinde Philophronem et Astymedem advenisse Romam tradit cap. 4 pr.— *Partem* legationis, aliquot legatos, *cum Philocrate renuntiare Rhodum legationem* (vide ad XXIII, 6, n. 2) *placuit*, sc. Rhodiis, *partim cum Astymede Romæ subsistere, qui, quæ agerentur* Romæ, *sciret*, etc. Illud *qui* inserui, et hoc potius excidisse credidérim, quam, quod alii putant, *quæ* vel *ut;* nisi cum Gron. legere malis *subsistere, qui*, sc. legati (nam *pars* id. qd. *quidam legati*) *quæ agerentur, scirent certioresque suos facerent.* Ita diserte Polyb. XXX, 5, § 1: sed οἱ περὶ τὸν Ἀστυμήδην etiam pro solo Astymede dictum accipi potest: et mandatum illud ad hunc potissimum legationis principem spectat, Livius tamen hæc verba de Astymede et collegis, nec male, accepisse, et librarii, ignorantes, voce *partem* plures comprehendi, numerum mutasse, aut virgulas, literæ *e* in *sciret* et *faceret* superscriptas, omisisse videntur.

4. *In præsentia deducere* (quid? præsidia?) *ante certam diem ex Lycia Cariaque præfectos jusserunt* Patres. Polybius hoc decretum senatus post missam legationem, quæ coronam ferebat, factum tradit; Duker. Conf. ad XLIV, 15, n. 1. Pro *præfectos* Drak. conj. *præsidia* vel *præsidiarios*. Sed forte leg. *decedere* pro *deducere*. — *Hæc Rhodum nuntiata... in gaudium renuntiata verterunt;* vide ad II, 3, n, 2. *Nuntiata* pro *nuntiari jussa*, quoniam sequitur *renuntiata:* ac ne sic quidem a frigido pleonasmo immunis locus videri potest, nisi post *nuntiata* majorem interpunctionem facias; Ern.

5. *Coronam XX millium* (*millibus*

ab Romanis ita volebant peti, ut nullum de ea re scitum populi fieret, aut literis mandaretur; quod, nisi impetrarent[6], major repulsis ignominia esset. Præfecti classis id unius erat jus, ut agere de ea re sine rogatione ulla perlata posset. Nam ita per tot annos in amicitia fuerant[7], ut sociali fœdere se cum Romanis non illigarent ob nullam aliam causam, quam ne spem regibus abscinderent auxilii sui, si cui opus esset, neu sibi ipsis fructus ex benignitate et fortuna eorum percipiendi. Tunc utique petenda societas videbatur, non quæ tutiores eos ab aliis faceret (nec enim timebant quemquam, præter Romanos), sed quæ ipsis Romanis minus suspectos. Sub idem fere tempus et

edd. ante ultimam Grut.) *aureorum*, στέφανον ἀπὸ μυρίων χρυσῶν Polyb. unde vel *X millium* leg., vel δισμυρίων, Gron. — Cæterum viginti millia aureorum a Creverio æquiparantur pondere marcis nostratibus 625. Ejusdem pretii et ponderis coronam obtulisse legati Pamphylii memorantur, sup. lib. XLIV, cap. 14. Ed. — *Theodotum*, Θεαίτητον MSS Polyb. XXX, 5, qui eumdem etiam memorat XXIII, 3; XXVII, 11; XXVIII, 2, 14; XXIX, 5; XXX, 19. Ex quibus locis patet, eum præcipue Romanis favisse: unde eum quoque maxime idoneum fuisse, qui Romam mitteretur, jam monuit Drak.

6. *Quod, nisi* (si non) *impetrarent* (scil. postquam ea de re scitum populi factum et literis mandatum esset; Crev. et Drak.), *major ignominia esset repulsis*, ipsis repulsam ferentibus. Conf. III, 35, n. 10, et XXXIX, 32, 3. *Quo, si non impetrarent, minor repulsæ ignominia esset* conj. Gronov. Conf. Polyb. XXX, 5, § 5, ubi non minus incerta est lectio. — *Præfecti classis id unius erat jus* sanciendæ societatis sine populi Rhodiorum scito.

7. *Per tot annos* (prope *CXL*, dicit Polyb.) *in amicitia* Rom. *fuerant*, sed *sociali fœdere se cum Romanis non illigaverant*, οὐκ ἐπεποίηντο πρὸς αὐτοὺς συμμαχίαν, et οὐκ ἐβούλοντο συνδιάζειν, οὐδὲ προκαταλαμβάνειν σφᾶς αὐτοὺς ὅρκοις καὶ συνθήκαις. « *Socii* ab *amicis* etiam distinguuntur cap. 20. Sed Rhodiensis civitas *socia* vocatur XLV, 10, et *amica atque socia populi rom.* Gell. VII, 3. De Rhodiis etiam supra hoc cap. dicitur *ut nec hostes fierent, nec socii permanerent* ». Duk. De discrimine amicorum sociorumque rom. Appian. r. Gall. Ecl. XIII (Exc. 12): ἐποιοῦντο δ' οἱ Ῥωμαῖοι ξένους, hospites et amicos, οἷς ἐδίδοσαν μὲν εἶναι φίλους, ἀνάγκη δ' οὐκ ἐπῆν ὡς φίλοις ἐπαμύνειν. Longe vero durior erat conditio sociorum; vide ad XXII, 13, n. 9, et XXXVII, 54, n. 3. — *Tunc utique petenda*, etc. pro *tunc* legi jubet Doering. *nunc*, quod respondet præcedentibus: *nam ita per tot annos in*

Caunii descivere ab his, et Mylasenses Euromensium oppida occuparunt[8]. Non ita fracti animi civitatis erant, ut non sentirent, si Lycia et Caria ademptæ ab Romanis forent, cætera aut se ipsa per defectionem liberarent, aut a finitimis occuparentur, includi se insulæ parvæ et sterilis agri litoribus, quæ nequaquam alere tantæ urbis populum posset. Missa igitur juventute, propere et Caunios, quanquam Cibyratarum[9] adsciverant auxilia, coegerunt imperio parere, et Mylasenses Alabandenosque, qui, Euromensium provincia adempta, ad ipsos conjuncto exercitu venerunt, circa Orthosiam acie vicerunt.

XXVI. Dum hæc ibi, alia in Macedonia, alia Romæ geruntur, interim in Illyrico L. Anicius, rege Gentio, sicut ante dictum est, in potestatem redacto, Scodræ, quæ regia fuerat, præsidio imposito Gabinium præfecit, Rhizoni et Olcinio[1] urbibus opportunis C. Lici-

amicitia fuerant, ut sociali fœdere se cum *Romanis non illigarent... Nunc*, etc. Sæpius autem particulæ *nunc* et *tunc* a librariis confusæ sunt. Vid. Drak. ad XLI, 9, § 11. Ed. — *Sed quæ* eos *ipsis Romanis minus suspectos*; cf. Schweigh. ad Polyb. XXX, 5, § 9 et 10.

8. *Sub idem fere tempus et Caunii descivere ab his* (forte *a Rhodiis*) et *Mylasenses Euromensium oppida o.* vid. XXXII, 33, not. 7; XXXIII, 20, not. 3, et XXXVIII, 39, n. 4. Caunus (hod. *La Rossa*. Ed.), Mylasa (hod. *Melasso*. Ed.) et Euromum oppida Cariæ, quæ *Caria et Lycia* Rhodiis olim a Romanis datæ erant, sed nuper iis SCto *ademptæ*; vide ad XXXVIII, 39, n. 8, et XLIV, 15, n. 1. Hoc vero SCtum Rhodiis nondum innotuerat, quum oppida illa deficerent et *cogerentur imperio parere*. Conf. omnino Polyb. XXX, 5, § 11-16.

9. *Cibyratarum* (quorum urbs *Cybara* nunc vocatur *Iburar*. Ed.) *adsciverant auxilia*, potius *acciverant*; Gron. Conf. ad IV, 31, n. 6. — *Mylasenses*, edd. vett. *Mylassenses*; vide ad XXXVIII, 39, n. 4. — *Alabandenos*, qui *Alabandenses* XXXVIII, 13, XLIII, 6, Ἀλαβανδεῖς, et *Alabandei*. Sic *Labranda* Λαβρανδηνός, *Halyatta* Ἁλυαττηνός, *Amatha* Ἀμαθηνός, Ὑπαῖπα Hypæpeni, Μυλασεῖς, *Mylasenses* et *Mylaseni*; Ἀγβάτανα, Ἀγβατεὺς et Ἀγβατηνός, Caryanda Καρυανδεὺς et Καρυανδηνός, *Gadara*, *Gadareus* et Γαδαρηνός, Gron. Conf. Duk. — *Orthosia* pagus Cariæ ad Mæandrum; vid. Strab. XIV, p. 650; Cellar. O. A. III, 3, p. 99.

Cap. XXVI. 1. *Rhizoni et Olcinio*; vid. Hard. ad Plin. III, 22 seu 26. In

nium. Præpositis his Illyrico, cum reliquo exercitu in Epirum est profectus. Ubi prima Phanota ei dedita, tota multitudine cum infulis obviam effusa. Hic præsidio imposito, in Molossidem transgressus: cujus omnibus oppidis, præter Passaronem, et Tecmonem et Phylacen, et Horreum, receptis, primum ad Passaronem ducit. Antinous et Theodotus[2] principes ejus civitatis erant, insignes et favore Persei, et odio adversus Romanos; iidem universæ genti auctores desciscendi ab Romanis. Hi conscientia privatæ noxæ, quia ipsis nulla spes veniæ erat, ut communi ruina patriæ opprimerentur, clauserunt portas, multitudinem, ut mortem servituti præponerent, hortantes. Nemo adversus præpotentes viros hiscere audebat. Tandem Theodotus quidam, nobilis et ipse adolescens, quum major a Romanis metus timorem a principibus suis vicisset, «Quæ vos rabies, inquit, agitat, qui duorum «hominum noxæ civitatis accessionem facitis[3]? Equi«dem pro patria qui letum oppetissent, sæpe fando «audivi: qui patriam pro se perire æquum censerent, «hi primi inventi sunt. Quin aperimus portas, et im«perium accipimus, quod orbis terrarum accepit?» Hæc dicentem quum multitudo sequeretur, Antinous et Theodotus in primam stationem hostium irruperunt, atque ibi, offerentes se ipsi vulneribus, inter-

edd. ante Drak. *Olzinio*, sed inf. cap. extr. *Rizonitas et Olciniatas*. Οὐλχίνιον apud Ptol. II, 17, forte Ὀλχίνιον. *Olchinium* apud Plin. — *Cum infulis o. effusa;* vide ad II, 54, n. 6.—*Hic præsidio*, etc. potius *Hinc*, *præsidio imposito*, *in*, etc. Duk.

2. *Antinous et Theodotus*, etc. cf. Polyb. XXVII, 13, 14, et XXX, 7, 8.

3. *Duorum hominum noxæ* noxam vel causam *civitatis accessionem facitis:* ita Jac. Periz. hæc interpretatur; Douj. vero: «civitatis acc. facitis ad crimen duorum, qui soli noxii, vel assentiendo vosque adjungendo noxiis illis duobus, efficitis, ut civitas accedat ad eorum crimen». Sed *civitatem* legere malunt Gron., Crever. et Drak. vide ad VII, 30, n. 3. — *Quin aperimus portas;* vide ad XXVII, 49, n. 5. — *Imperium* romanum.

fecti. Urbs dedita est Romanis. Simili pertinacia Cephali[4] principis clausum Tecmonem, ipso interfecto, per deditionem recepit. Nec Phylace, nec Horreum, oppugnationem tulerunt. Pacata Epiro, divisisque in hiberna copiis per opportunas urbes, regressus ipse in Illyricum, Scodræ, quo quinque legati ab Roma venerant[5], evocatis ex tota provincia principibus, conventum habuit. Ibi pro tribunali pronuntiavit de sententia consilii[6]: *Senatum populumque romanum Illyrios esse liberos jubere. Præsidia ex omnibus oppidis, arcibus, et castellis sese deducturum. Non solum liberos, sed etiam immunes*[7] *fore Issenses, et Taulantios, Dassaretiorum Pirustas, Rhizonitas, Olciniatas, quod, incolumi Gentio, ad Romanos defecissent. Daorseis quoque immunitatem dare, quod, relicto Caravantio, cum armis ad Romanos transissent. Scodrensibus, et Dassarensibus, et Selepitanis, cæterisque Illyriis, vectigal dimidium ejus, quod regi*[8] *pendissent.*

4. *Simili pertinacia Cephali*, etc. vid. XLIII, 18, n. 1. — *Per deditionem recepit*, sc. L. Anicius.

5. *Quo quinque legati ab Roma v.* conf. cap. 17.

6. *Ibi pro tribunali p. d. s. c.* vide ad XXVI, 27, n. 4.

7. *Non solum liberos, sed etiam immunes;* vide ad XXV, 16, n. 4.— *Dassaretiorum Pirustas*: hos Illyrico, illos Macedoniæ attribuit Ptol. II, 17, III, 13. De *Dassaretiis* vide ad XXVII, 32, n. 3. *Pirustas* Ptol. appellat Πιρούσταις vel Πειρούσας; Strabo, VII, 314, Πειρούσταις vel Πυρούσταις in Pannonia, et forte Appian. Illyr. 16, Πυριασσαίους; Plin. III, 22 seu 26, et Mela, II, 3, *Pyræos*. Cf. Palmer. Græc. Ant. I, 18, et intpp. Cæs. Bell. Gall. V, 1, et Vell. II, 115. — *Daorseis*, qui *Daorizi* et Δαόριζοι dicuntur Plin. l. l. et Strab. VII, 315; Δασούρσιοι Ptol. Δάρσοι Appiano, Ill. 2 (qui eos ab Illyrii filia Δαορθὼ nomen accessisse tradit), et Δάρσιοι Steph. Byz. ubi vid. Holsten. Conf. Intpp. Vell. II, 115, et Schweigh. ad Polyb. XXXII, 18, § 1. — *Dassarensibus*, qui forte non iidem, qui *Dassaretii*, fuere. — *Selepitani* non alibi memorantur. *Salonitanis* vel *Salvianis* ex Plin. III, 22. *Separis et Epetinis* conj. Doujat. Conf. ad III, 50, n. 1, et XLII, 21, n. 2.

8. *Quod regi pendissent* prob. Voss. Gramm. V, 26; sed *pependissent* emend. Sigon. et Drak. Post hoc verbum excidisse videtur *remittere*, vel potius *imponere*. Conf. cap. 29. — *Unam eam fecit, quæ supra dicta*

Inde in tres partes Illyricum divisit. Unam eam fecit, quæ supra dicta est; alteram Labeatas omnes; tertiam Agravonitas, et Rhizonitas, et Olciniatas, accolasque eorum. Hac formula dicta in Illyrico[9], ipse in Epiri Passaronem in hiberna rediit.

XXVII. Dum hæc in Illyrico geruntur, Paullus ante adventum decem legatorum Q. Maximum filium, jam ab Roma regressum, ad Æginium et Agassas[1] diripiendas mittit: Agassas, quod, quum Marcio consuli tradidissent urbem, petita ultro societate romana, defecerant rursus ad Persea: Æginiensium novum crimen erat; famæ de victoria Romanorum fidem non habentes, in quosdam militum, urbem ingressos, hostiliter sævierant. Ad Æniorum quoque hostiliter urbem diripiendam L. Postumium misit, quod pertinacius, quam finitimæ civitates, in armis fuerant. Autumni fere tempus erat; cujus temporis initio circumeundam Græciam, visendaque, quæ nobilitata fama magis auribus accepta sunt, quam oculis noscuntur, ut statuit, præposito castris C. Sulpicio Gallo, profectus cum haud magno comitatu, tegentibus la-

est: at supra nihil de ea dictum est. Hinc Crever. opinatur, vel hic aliqua intercidisse, vel Livium rem non parum fastidiosam indiligentius transcurrisse; adeoque etiam non facile definiri posse ex antecedd., quos populos habuerit prima hæc Illyrici pars. — *Agravonitas* non alius memoravit. *Ascrivionitas* conj. Doujat. et sane *Ascrivium* cum *Rhizinio* et *Olchinio* junxit Plin. III, 22. Sed inde non bene formatur nomen illud gentilitium; Crever. Conf. ad III, 50, n. 1.

9. *Hac formula dicta in Illyrico* de divisione ejus; vide ad IV, 8, n. 4, et XXVI, 24, n. 5.

Cap. XXVII. 1. *Agassas;* notat Doering. hanc urbem supra XLIV, 7, in singulari *Agassam* appellari, et sic plura urbium nomina modo in singulari, modo in plurali adhiberi, v. c. *Theba* et *Thebæ*. Ed. — *Æginiensium novum crimen erat: famæ*, etc. conj. Doering. post *erat* fortasse excidisse τὸ *quod*. Ed. — *Ad Æniorum quoque*, etc. incolarum Æni opp. in Thracia. Eos tamen hic intelligi non posse, pluribus argumentis probat Drakenb. et emend. *Æneatum* (vide ad XL, 4, n. 4), quos, præsidio Persei firmatos (vide ad XLIV, 32), pertinacius in armis fuisse suspicatur. — *Quæ*.....

tera[2] Scipione filio et Athenæo Eumenis regis fratre, per Thessaliam Delphos petit, inclytum oraculum: ubi, sacrificio Apollini facto, inchoatas in vestibulo columnas, quibus imposituri statuas regis Persei fuerant, suis statuis victor destinavit. Lebadiæ[3] quoque templum Jovis Trophonii adiit. Ibi quum vidisset os specus, per quod oraculo utentes sciscitatum deos descendunt, sacrificio Jovi Hercynnæque facto, quorum ibi templum est, Chalcidem ad spectaculum Euripi Euboeæque insulæ, ponte continenti junctæ, descendit: a Chalcide Aulidem trajicit, trium millium spatio distantem[4], portum inclytum statione quondam mille navium Agamemnoniæ classis, Dianæque templum, ubi navibus cursum ad Trojam, filia victima aris admota, rex ille regum petiit. Inde Oropum

magis auribus accepta sunt quam oculis noscuntur; quæ vulgo plerique satis habent auribus accipere, nec curant oculis etiam noscere. Ed.

2. *Tegentibus latera*, etc. vide ad XXIV, 5, n. 7. — *Inchoatas in vestibulo columnas;* vid. Plut. Æmil. p. 270.

3. *Lebadiæ* (in Bœotia ad fines Phocidis, hod. *Livadia*), *templum Jovis Trophonii*, ubi *os specus, per quod oraculo utentes sciscitatum deos descendunt;* vid. Strab. IX, p. 414, al. 634 C. Pausan. IV, 16, § 4, IX, 37, 39, 40; Schol. ad Aristoph. Nub. v. 508; Philostr. Vit. Apoll. VIII, 19, ibique Olear.; Luciani Dial. Mort. 24; Plut. de gen. Socr.; Suid. voc. Τροφ. Periz. ad Æliani V. H. III, 45; Vales. ad Harpocrat. voc. Λεμβάδεια· Plin. XXXI, 2, § 11, XXXIV, 8 seu 19, § 7; Cic. Nat. D. III, 22, et de Div. I, 34.—*Deos;* vid. Pausan. IX, 39, n. 4. —*Jovi Hercynnæque*, forte *Hercynæque;* vid. loc. class. Pausan. IX, 39, § 2 et 4, ubi Ἕρκυνα dicitur, ut Philostr. l. l. Conf. Tzetz. et Potter. ad Lycophr. v. 153.

4. *Ad spectaculum Euripi Eubœæque insulæ, ponte continenti junctæ, descendit,* et *a Chalcide Aulidem trajicit, trium millium* passuum *spatio distantem;* vide ad XXVIII, 6, n. 3, et XXXV, 51, n. 2. *Euripi E. i.* edidi ex emend. Gron. pró vulg. *Euripi* * *ævoque ante insulæ.* — *Portum inclytum statione quondam mille navium Agamemnoniæ classis;* vide ad Sil. III, 229; Juvenal. XII, 122; Strab. IX, 2, § 8, pag. 403; Duker. ad Thucyd. I, 9; Heyn. ad Virg. Æn. II, 198, et ad Hom. Il. II, 493. (Celeberrimus Nostras *Racine, Iphigénie*, act. I, sc. 1: « Tous ces mille vaisseaux, qui, chargés de vingt rois, N'attendent que les vents pour partir sous vos lois ». Ed.) *Aulis* in Bœotia (hod. *Vathi* aut *Karababa*) dicebatur

Atticæ[5] ventum est; ubi pro deo vates Amphilochus colitur, templumque vetustum est, fontibus rivisque circa amœnum. Athenas inde, plenas quidem et ipsas vetustate famæ, multa tamen visenda habentes: arcem, portus, muros Piræeum urbi jungentes[6], navalia magnorum imperatorum, simulacra deorum hominumque, omni genere et materiæ et artium insignia.

et pagus Tanagræorum et portus duplex, major ac minor. Ibidem inclytum *templum Dianæ*, portuum custodis, λιμενοσκόπου (vid. Spanhem. ad Callim. Hymn. in Dian. 39, et 259), ubi Agamemnon, *rex ille regum* (βασιλεὺς τῶν βασιλέων, qui titulus postea datus Persarum Parthorumque regibus, de quo vid. Ern. ad Suet. Calig. 5), quum malacia din Aulide detineretur, ducesque indignarentur moram, Chalcantis monitu *navibus cursum* felicem *ad Trojam petiit* a diis, et impetravit, *filia* Iphigenia tanquam *victima aris*, aræ, *admota* Dianæ, quæ tamen eam immolantium manibus ereptam, substituta cerva, in Tauricam transtulit terram, ut in templo Dianæ Tauricæ munere sacerdotis fungeretur: quæ fabula Homerico ævo recentior, sed Hesiodo jam nota fuit. Conf. Pausan. I, 43, IX, 19; Intpp. Hygini, fab. 98; Eurip. in Aul. et Heyn. ad Virg. Æn. II, 116.

5. *Oropum Atticæ* opp., ut apud Plin. IV, 7 seu 11, et Ptol. proprie prima Bœotiæ urbium, in confinio Atticæ, mari propinqua, quam tamen Athenienses sibi vindicarunt, postquam agrum ejus, de quo cum Bœotis contenderant, Philippus rex ipsis adjudicaverat; vid. Pausan. I, 34, et Thucyd. II, 23. — *Ubi pro deo vates Amphilochus colitur* una cum Amphiarao patre, *templumque vetustum est, fontibus rivisque circa amœnum*, et oraculum; vid. Pausan. I, 34 (ubi non templi quidem, at aræ ejus et cultus cum patre communis mentio fit; unde nolim cum Kuhnio suspicari, Livium esse corruptum aut memoria vacillasse); Strab. VII, p. 501 sq. et X, p. 710 B. Heyn. ad Apollod. III, 7, n. 7; Salmas. ad Solin. p. 103; Philostrat. Heroic. cap. 2, § 8. — *Plenas quidem et ipsas vetustate famæ, multa tamen*, etc. h. e. ut Crev. exposuit, plenas quidem monumentis vetustatis, quæ nihil aliud insigne habeant, quam quod repræsentant heroicorum temporum memoriam; multa tamen habentes, quæ per se ipsa, et ob structuræ magnificentiam, aut excellentiam artificii, visenda sint. Ed.

6. *Arcem, portus, muros Piræeum urbi jungentes*, etc. vide ad XXXI, 26, n. 3. *Arx* Athenarum, ἡ ἄνω πόλις seu Ἀκρόπολις et Cecropia, magnificis ædificiis statuisque exornata; vid. Pausan. I, 22, 23, et de toto h. l. Meurs. Lectt. Attic. VI, 33, et Cecropia, et Piræeus (in quo libro de *muris* et *navalibus* Athenarum agit, cap. 2 et 3), in t. IV Gron. Thes. Ant. gr.; Potteri Archæol. I, 8; *Voyage du jeune Anacharsis*, cap. 12. — *Navalia, magnorum imp. monimenta, simulacra*, etc. conj. Crev. — *Materiæ et artium*, forte *artis*, etsi XXV, 40, *græcarum artium opera* dicuntur signa ac tabulæ pictæ; Duk.

XXVIII. Sacrificio Minervæ præsidi arcis[1] in urbe facto profectus, Corinthum altero die pervenit. Urbs erat tunc præclara ante excidium[2]. Arx quoque et Isthmus præbuere spectaculum : arx inter omnia in immanem altitudinem edita, scatens fontibus ; Isthmus duo maria[3], ab occasu et ortu solis finitima, arctis faucibus dirimens. Sicyonem inde et Argos nobiles urbes adit : inde haud parem opibus Epidaurum, sed inclytam Æsculapii nobili templo; quod, quinque millibus passuum ab urbe distans, nunc vestigiis revulsorum donorum, tum donis dives erat, quæ remediorum salutarium ægri mercedem sacraverant deo[4]. Inde

Cap. XXVIII. 1. *Minervæ præsidi arcis* Athenarum totiusque simul urbis, ut et aliarum arcium urbiumque (conf. ad XXXI, 30, n. 5, XXXVII, 37, n. 1); unde Ἀκραῖα et Πολιούχος vel Πολιὰς appellata, aut, si Pausaniæ, I, 26, 27, fides habenda, quoniam Ἀκρόπολις Athenarum antea πόλις dicta. Conf. Meurs. l. l. et Spanhem. ad Callim. H. in Pall. 53. Quatuor autem in arce Athenarum templa habuit Minerva varie cognominata, scil. Παρθένος, Νίκη, Πολιὰς et Σώτειρα, e quibus illud, quod Παρθενὼν vocatur, cæteris longe magnificentius fuit; vid. Pausan. I, 24, 27, V, 11, VIII, 41, X, 34; *Wheeler in Voyages*, t. II, pag. 420; Meurs. Cecropia, cap. 14 sqq. Potter. et *Voyage du jeune Anacharsis*, ll. ll.

2. *Urbs* Corinthus *erat tunc præclara ante excidium* a. Urb. 607, quo L. Mummius Achaicus cos. eam delevit. — *Arx*, Ἀκροκόρινθος, *inter omnia* (forte *intra mœnia ;* Gronov.) *in immanem altitudinem XXX* stadiorum *edita*, ὑπερκείμενον τῆς πολέως ὄρος ὑψηλὸν καὶ ἀπότομον, τείχει κοινῷ περιειλημμένον, Strab. VIII, 4, § 8, et VIII, 6, § 21, p. 361 et 379. Conf. Pausan. II, 4 et 5. Idem et Strabo Pirenen *fontem* memorant.

3. *Isthmus duo maria*, Ionium et Ægæum, seu sinum Corinthiacum et Saronicum, seu Salaminicum (hodie *Golfo di Lepanto* et *d'Engia*), *ab occasu et ortu solis finitima arctis faucibus dirimens ;* conf. ad XXXII, 21, n. 12; Strab. VIII, pag. 334, 369, 515, 580; Diodor. XI, 16; Plin. IV, 4 seu 5; Pausan. II, 1.

4. *Epidaurum inclytam Æsculapii nobili templo, quod... deo ;* conf. Pausan. II, 26, 27; Strabo, VIII, p. 374; Chandleri Itiner. cap. 53.— *Quinque millibus passuum ab urbe distans* in luco: nam omnia Æsculapii fana extra urbes et in locis editis condi solebant propter aeris salubritatem; vid. *Villoison*, qui ipse urbem templumque adiit, in Proleg. ad Hom. p. L. — *Donis dives erat*, ἀναθήμασι et tabulis votivis, ἀνακειμέναις πίναξιν, ἐν οἷς ἀναγεγραμμέναι τυγχάνουσιν αἱ θεραπεῖαι, Strab. et *Villoison*, ll. cc. Dona ablata a Sulla, quum in bello Mithridatico pecuniæ inopia laboraret; vid. Pausan. IX, 7, § 4.

Lacedæmonem adit, non operum magnificentia, sed disciplina institutisque memorabilem: unde per Megalopolim Olympiam ascendit; ubi et alia quidem spectanda visa, et, Jovem velut præsentem [5] intuens, motus animo est. Itaque, haud secus quam si in Capitolio immolaturus esset, sacrificium amplius solito apparari jussit. Ita peragrata Græcia, ut nihil eorum, quæ quisque Persei bello privatim aut publice sensisset, inquireret, ne cujus metu sollicitaret animos sociorum, Demetriadem quum revertit [6], in itinere sordidata turba Ætolorum occurrit; mirantique et percunctanti, quid esset, defertur, quingentos quinquaginta principes ab Lycisco et Tisippo, circumsesso senatu per milites romanos, missos a Bæbio præside, interfectos; alios in exsilium actos esse; bonaque eorum, qui interfecti essent, et exsulum possidere, qui arguebant. Jussis Amphipolim adesse, ipse, con-

5. *Ubi et alia quidem spectanda visa, et* (forte leg. *sed* cum Gron. vel potius *at* cum Crev. quo pondus orationi additur) *Jovem velut præsentem*, etc. Λεύκιος Αἰμίλιος παρῆν εἰς τὸ τέμενος τὸ ἐν Ὀλυμπίᾳ, καὶ τὸ ἄγαλμα θεασάμενος ἐξεπλάγη, καὶ τοιοῦτον εἶπεν· ὅτι μόνος αὐτῷ δοκεῖ Φειδίας τὸν παρ' Ὁμήρῳ Δία μεμιμῆσθαι· διότι, μεγάλην ἔχων προσδοκίαν τῆς Ὀλυμπίας, μείζω τῆς προσδοκίας εὑρηκὼς εἴη τὴν ἀλήθειαν, Polyb. XXX, 15, § 3. Similia tradit Plut. Æmil. p. 270. De Jovis Olympici magnifico et templo et simulacro, quæ Phidias ex auro et ebore confecit, vid. Pausan. IV, 31, V, 10-13, et Voelkel *über den grossen Tempel und die Statüe des Jupiters zu Olympia*, Lips. 1794.

6. *Demetriadem quum revertit*, utique *revertisset;* Gron. At *in itinere* ei turba occurrit, et potius leg. *revertitur*, quoniam classici auctores in præsenti passiva verbi forma utuntur; Drakenb. — *Sordidata turba Ætolorum*, in exsilium actorum.—*DL principes* Ætolorum *ab Lycisco* et *Tisippo*, etc. conf. cap. 31, et ad XLI, 25, n. 1. *Lyciscus* et *Tisippus* Ætoli patriæ proditores, faventes Romanis. Conf. ad XLII, 38; Polyb. XXVII, 13; XXVIII, 4; XXX, 10. — *Missos a Bæbio præside:* «utrum toti Ætolorum genti præpositum, an tantum præsidio urbis, in qua hæc patrata sunt, præfectum dicat Livius, incertum est. Sed neutro sensu alibi *præsidem* dixit. An, quem JCti in Pandectis sæpe *præsidem provinciæ* vocant, vetustiores scriptores eodem nomine appellent, mihi nondum compertum est». Duk. — *Possidere* bona horum *exsulum, qui* nunc *arguebant*, accusabant Lyciscum et Tisippum.— *Jussis*

vento Cn. Octavio Demetriade, postquam fama accidit[7], trajecisse jam mare decem legatos[8], omnibus aliis omissis, Apolloniam ad eos pergit. Quo quum Perseus obviam Amphipoli nimis soluta custodia processisset (id diei iter est), ipsum quidem benigne alloquutus est: cæterum, postquam in castra ad Amphipolim venit, graviter increpuisse traditur C. Sulpicium: primum, quod Persea tam procul a se vagari per provinciam passus esset; deinde, quod adeo indulsisset militibus, ut nudare tegulis muros urbis ad tegenda hibernacula sua pateretur: referrique tegulas et resarciri tecta, sicut fuerant, jussit. Et Persea quidem cum majore filio Philippo, traditos A. Postumio, in custodiam misit; filiam cum minore filio, a Samothrace accitos Amphipolim, omni liberali cultu habuit.

XXIX. Ipse, ubi dies venit, quo adesse Amphipoli denos principes civitatium jusserat, literasque omnes, quæ ubique[1] depositæ essent, et pecuniam regiam conferri, cum decem legatis, circumfusa omni multitudine Macedonum, in tribunali consedit. Assuetis regio imperio tamen novum formam terribilem præbuit tribunal, submotor aditus, præco, accensus, in-

Amphipolim adesse, forte *Amphipoli*; Duker. Sic cap. 29 pr. et *adesse Arimini*, et *Romæ* XXI, 63, et XXXVI, 39. — *Convento O.* vide ad XXX, 43, n. 4.

7. *Postquam fama accidit*; vide ad XXI, 10, n. 15.

8. *Decem legatos*; conf. cap. 17. — *Apolloniam*, intellige Apolloniam Chalcidicam, sitam inter Chabrium et Strymona fluvios. Mox pro *passus est* legendum conjiciunt Gronov. et Crev. *passus esset*. Ed.

Cap. XXIX. 1. Pro, *quæ ubique*, malit Doering. *ubi quæ depositæ essent*, vel *ubicumque depositæ essent*; nam τὸ *ubique* pro *essent*, postulare videtur *erant*. Ed. — *Cum decem legatis... in tribunali consedit*; vide ad Tacit. Ann. I, 75, n. 1; Spanhem. ad Juliani Orat. I, p. 215, et Ernesti Clav. Cic. voc. *tribunal*. — *Assuetis* quanquam, licet, *regio imperio tamen*, etc. — *Submotor aditus*, lictor, viam aditumque faciens submovendo plebem; vide ad III, 14, n. 4. Cf. et Torrentium ad Horat. Od. II, 16, v. 9. — *Accensus*; vide ad I, 43, n. 13.

sueta omnia oculis auribusque; quæ vel socios, nedum hostes victos, terrere possent[2]. Silentio per præconem facto, Paullus latine, quæ senatui, quæ sibi ex consilii sententia visa essent, pronuntiavit: ea Cn. Octavius prætor, nam et ipse aderat, interpretata sermone græco referebat. *Omnium primum liberos esse jubere Macedonas, habentes urbes easdem agrosque, utentes legibus suis, annuos creantes magistratus: tributum dimidium ejus, quod pependissent regibus, pendere populo romano. Deinde in quatuor regiones dividi Macedoniam: unam fore et primam partem, quod agri inter Strymonem et Nessum amnem*[3] *sit: accessurum huic parti trans Nessum, ad orientem*

2. *Quæ vel socios, nedum hostes victos, terrere possent.* Si hæc sana sunt, observat Crever., habes exemplum particulæ *nedum* sumptæ pro *non solum:* quod vulgo negant rectum esse grammatici. Sed et ipse Cicero eodem sensu illam usurpavit, ad Att. X, 16: « tu quoniam quartana cares, et nedum morbum removisti, sed etiam gravedinem ». Sic enim plurimos scriptos habere testantur omnes fere interpretes: et rursus Balbus et Oppius in ep. ad Cic. lib. IX ad Att. « nedum hominum humilium, ut nos sumus, sed etiam amplissimorum virorum consilia ex eventu, non ex voluntate, a plerisque probari solent ». Itaque non plane fortasse assentiendum est hac in re communi grammaticorum opinioni. Ed. — *Omnium primum*, etc. conf. Diodor. in Exc. Peiresc. pag. 314, 317; Plut. Æmil. pag. 370, et Spartian. Hadr. cap. 5, qui Macedonas a Catone liberos fuisse pronuntiatos tradit. In quo si quid veri est, Cato, cujus orationem de Macedonia liberanda Priscian. III, 601, laudat, in senatu hanc sententiam dixisse potuit; Duk. et Drak. — *Deinde in quatuor regiones dividi Macedoniam,* quas Livius recensuit progrediens ab oriente in occidentem; unde geographorum morem sequutus ordinem invertit Cellar. O. A. II, 13, qui conf. ad hoc et seq. caput. Divisionem hanc viri docti ex nummis illustrarunt; vid. Drakenb. Eamdem, ex Polyb. forte, dedit Dexippus, cujus fragm. in Chron. Euseb. pag. 56, cum Livio commisit et illustravit Schurzfleisch. in Notit. Bibl. Vinar. pag. 70 sq. quam particulam inde excerptam in Appendicem Livianam conjecit Drakenb.

3. *Primam partem, quod agri inter Strymonem et Nessum amnem* (forte *amnes*) *sit,* quæ est Macedonia adjecta a Philippo, Edonis, pars Thraciæ. *Strymon* fl. olim Macedoniam disterminabat a Thracia, sed deinde *Nessus,* postquam Philippus, magna Thraciæ parte expugnata, fines imperii ad hoc flumen protulerat. *Nessus* aliis *Nestus* et *Nesus* dicitur.— *Ad orientem versum,* scilic. agrum, τὴν πρὸς ἀνατολὴν χώραν. Conf. Dra-

versum, qua Perseus tenuisset vicos, castella, oppida, præter Ænum et Maroneam et Abdera; trans Strymonem autem vergentia ad occasum, Bisalticam omnem cum Heraclea, quam Senticen appellant. Secundam fore regionem[4], *quam ab ortu Strymo amplecteretur amnis, præter Sinticen Heracleam et Bisaltas: ab occasu qua Axius terminaret fluvius, additis Pæonibus, qui prope Axium flumen ad regionem orientis colerent. Tertia pars facta*[5], *quam Axius ab oriente, Peneus amnis ab occasu, cingunt: ad septemtrionem Bora mons objicitur. Adjecta huic parti regio Pæoniæ, qua ab occasu præter Axium amnem porrigitur: Edessa quoque et Berœa eodem concesserunt. Quarta regio*[6] *trans Boram montem, una parte con-*

kenb.—*Trans Strymonem autem vergentia ad occasum, Bisalticam omnem*, etc. at cap. 30, n. 2, legimus *Bisaltas trans Nessum amnem* in Thracia *incoluisse et circa Strymonem*. Hinc Drak. suspicatur, eos fuisse gentem longe ac late patentem, et habitasse ad dextram ripam Strymonis in Macedonia, deinde trans Strymonem inter eum fluvium et Nessum, et denique pertinuisse ultra Nessum ad ripam ejus sinistram in Thracia. Idem h. l. conj. *vergentem ad occasum Bis. o.*, i. e. omnem illam Bis., quæ trans Strymonem vergit ad occasum. Contra Periz. ad Ælian. V. H. V, 11, infra cap. 30 emend. *Pars prima Bisaltas habet, fortissimos viros; trans Nessum autem et circa Strymonem multas frugum proprietates*. Conf. et Cellar. Geogr. Ant. II, 13, p. 671.

4. *Secundam fore regionem* inter *Strymonem* et *Axium*, in qua Odomantice, Chalcidice, Crossæa, Mygdonia, Crestonia seu Grestonia, Anthemus, Amphaxitis cum parte Pæoniæ, inter illos fluvios sita. — *Ab occasu qua Axius*, etc. vox *qua* abundare videtur; Drak.

5. *Tertia pars facta* intra *Axium* et *Peneum*, in qua Pieria, Bottiæa, Emathia et pars Pæoniæ. Forsitan erunt, quibus quædam in hoc cap. sæpius inculcata displicebunt: sed hi cogitent velim, Macedoniæ in quatuor regiones divisæ suos terminos præstitui; in qua re Æmilio summa perspicuitate versandum erat, ne quid dein controversiis ansam præberet; Drak. — *Bora mons* non alibi memoratur. Forte leg. *Bermius mons*, ad cujus radices sita *Berœa*. Conf. Strab. VII, pag. 338; Ptol. III, 12; Plin. IV, 8, § 15, et Schurzfl. l. l. qui in Dexippi fragm. Βέρμιον conj. pro Βόρον. Alius mons est *Boreas*, sc. Epiri. — *Edessa*, hodie vocatur *Moglena*. Ed. — *Eodem concesserunt*, eidem parti, regioni, adjectæ sunt.

6. *Quarta regio*, in qua Lyncestis, reliqua Pæoniæ pars, magnaque pars Epiri et Illyrici. — *Pelagoniam*, quæ

finis Illyrico, altera Epiro. Capita regionum, ubi concilia fierent, primæ regionis Amphipolim, secundæ Thessalonicen, tertiæ Pellam, quartæ Pelagoniam fecit. Eo concilia suæ cujusque regionis indici[7], *pecuniam conferri, ibi magistratus creari jussit.* Pronuntiavit deinde[8], *neque connubium, neque commercium*[9] *agrorum ædificiorumque inter se placere cuiquam extra fines regionis suæ esse. Metalla quoque auri atque argenti non exerceri; ferri et æris permitti.* Vectigal exercentibus dimidium ejus impositum, quod pependissent regi. Et sale invecto uti vetuit[10]. Dardanis repetentibus Pæoniam, quod et sua fuisset, et continens esset finibus suis[11], *omnibus dare libertatem* pronuntiavit, *qui sub regno Persei fuissent.* Post non impetratam Pæoniam, salis commercium[12] dedit: tertiæ regioni imperavit, ut Stobos Pæoniæ deveherent, pretiumque statuit. Navalem materiam et ipsos cædere, et alios pati vetuit. Regionibus, quæ affines Barbaris essent (excepta autem tertia, omnes erant), permisit, ut præsidia armata in finibus extremis haberent.

XXX. Hæc, pronuntiata primo die conventus, va-

h. l. aperte urbs est. Conf. Drakenb.

7. *Suæ cujusque regionis*, potius *sua*; Gron. Conf. ad III, 22, n. 5.

8. *Pronuntiavit deinde*, scil. Æmilius Paullus ex consilii sententia (ut supra), quo et *fecit* ac *jussit* referenda; nam Livius orationis colorem mutavit: *liberos esse jubere Macedonas... Tertia pars facta... Pelagoniam fecit*, etc. Conf. ad III, 2, n. 1.

9. *Neque connubium, neque commercium*, etc. vide ad VIII, 14, n. 9, et conf. cap. 30 pr. — *Placere* sibi et consilio suo. — *Exercentibus*, scilic. metalla ferri et æris.

10. *Et sale invecto uti vetuit*, scil. ne imminueretur vectigal e salinis. Conf. Burm. de Vectig. pop. rom. cap. 5, pag. 91.

11. *Continens esset finibus suis*; vide ad IV, 22, n. 4.

12. *Salis commercium dedit.* Permisit Dardanis salem ex Macedonia mercari: quem ut facilius Dardani habere possent, imperavit tertiæ regioni, ubi nimirum maxima salis copia erat, ut Stobos deveherent, quod oppidum haud procul aberat a Dardanorum finibus. De cæteris vide ad XLIII, 5, n. 4. Ed.

rie affecerunt animos. Libertas præter spem data arrexit et levatum annuum vectigal. Regionatim commerciis interruptis ita videri lacerata[1], tanquam animalia in artus, alterum alterius indigentes, distracta: adeo, quanta Macedonia esset, quam divisui facilis, et a se ipsa quæque contemta pars esset, Macedones quoque ignorabant. Pars prima Bisaltas habet, fortissimos viros (trans Nessum amnem incolunt et circa Strymonem[2]), et multas frugum proprietates, et metalla, et opportunitatem Amphipolis; quæ objecta claudit omnes ab oriente sole in Macedoniam aditus. Secunda pars celeberrimas urbes, Thessalonicen et Cassandriam, habet; ad hoc Pallenen, fertilem ac frugiferam terram: maritimas quoque opportunitates ei præbent portus ad Toronen ac montem Atho (Æneæ vocant hunc[3]), alii ad insulam Euboeam, alii ad Hellespontum opportune versi. Tertia regio nobiles urbes, Edessam et Beroeam et Pellam, habet, et Vettiorum bellicosam gentem: incolas quoque permultos Gallos et Illyrios[4], impigros cultores. Quartam regionem Eordæi et Lyncestæ et Pelagones incolunt; juncta his Atintania et Stymphalis[5] et Elimiotis. Frigida hæc

Cap. XXX. 1. *Ita videri lacerata*, e seqq. intell. Macedonia; Gron. Omnino leg. *lacerati*, sc. Macedones; Crev. — *Divisui facilis* regio, ut apud Cic. Fin. II, 20, *cibus difficillimus ad concoquendum*: nisi leg. *divisu facilis*, ut *difficile aditu, intellectu*; Crever. Conf. ad XXVI, 15; ad I, 54, n. 6; ad Sil. I, 615; Drak. ad h. l. et Schelleri Lex. — *Et a se ipsa quæque contempta pars esset*, lege *ut se ipsa q. contenta p. e.*, i. e. ut nulla pars alterius ope egeret, commerciis regionum sublatis; Sigon. qui hanc conjecturam recepit in textum. *Et se ipsa q. contenta* emend. Crev. *et ut se ipsa* Drakenb.

2. *Pars prima Bisaltas habet... trans Nessum et circa Strymonem*; vide ad cap. 29, n. 3. — *Pallenen fertilem*, etc. conf. XLIV, 10.

3. *Æneæ vocant hunc* portum; vide ad XL, 4, n. 4. — *Vettiorum bellicosam gentem*, quæ alibi non memoratur; vide ad XXVI, 25, n. 4, et Cellar. Geogr. Ant. II, 12, p. 664.

4. *Permultos Gallos et Illyrios*; vid. XXXIII, 12, n. 6.

5. *Juncta his Atintania* (vide ad XXVII, 30, n. 10) *et Stymphalis* in

omnis duraque cultu et aspera plaga est : cultorum quoque ingenia terræ similia[6] habet. Ferociores eos et accolæ barbari faciunt; nunc bello exercentes, nunc in pace miscentes ritus suos. Divisæ itaque Macedoniæ partium usibus separatis[7], quanta universos teneat Macedonas, formula dicta, quum leges quoque se daturum ostendisset.

XXXI. Ætoli deinde citati : in qua cognitione magis, utra pars Romanis, utra regi favisset, quæsitum est, quam utri fecissent injuriam, aut accepissent. Noxa liberati interfectores[1] : exsilium pulsis æque ratum fuit, ac mors interfectis. A. Bæbius unus est damnatus, quod milites romanos præbuisset ad ministerium cædis. Hic eventus Ætolorum causæ in omnibus Græciæ gentibus populisque eorum, qui partis Romanorum fuerant, inflavit ad intolerabilem superbiam animos; et obnoxios pedibus eorum subjecit,

Molosside Epiri. Στυμφαλία apud Ptol. et Diodor. 20. Στυμφαία Arrian. I, 7. Τυμφαῖοι Strab. VII, et Plin. IV, 10, § 17. Conf. ad XXXII, 13, n. 1, et Intpp. Callim. H. in Dian. 178. — *Elimiotis;* vide ad XXXI, 40, n. 1.

6. *Cultorum ingenia terræ similia;* vide ad IX, 13, n. 2.

7. *Partium usibus separatis*, h. e. commerciis interruptis. — *Quanta universos teneat Macedonas,* forte *quæ universos teneret Macedonas;* Gronovius. — Walchius, cui historia ac sententiarum nexus poscere videntur mentionem abolitæ *regiæ* juris *formulæ*, penitus improbata Gronovii correctione, ipse Emend. Liv. p. 271, conjecturam protulit hanc : *Divisæ itaque Macedoniæ partium usibus separatis, quæ antea universos tenuit Macedonas formula deleta, quum leges quoque se daturum ostendisset.* Büttnerus vero Obss. Livian. pag. 116, Walchianum docet commentum quidvis aliud significare, quam quod Livius significare voluit, et unice probat vulgarem lectionem, cui sententiam hanc inesse dicit : « Macedoniæ, ita pro suis cujusque regionibus usibus divisæ, formula data est ejus ambitus, ut universi macedonici populi complecteretur corpus. » Ed. — *Formula dicta;* vid. cap. 26, n. 9.

Cap. XXXI. 1. *Noxa liberati interfectores,* etc. conf. ad cap. 28. — *Qui partis Rom. fuerant;* vide ad III, 36, n. 4; XXIV, 42, n. 4. — *Inflavit ad intolerabilem superbiam animos;* ita inflavit animos, ut eorum superbia fieret intolerabilis. Sed quum *inflare animos ad intolerabilem superbiam* videatur Doer. insolentius, vir ille doctus *incitavit* suspicatur. Ed.

quos aliqua parte suspicio favoris in regem contigerat. Tria genera principum in civitatibus erant : duo, quæ adulando aut Romanorum imperium, aut amicitiam regum, sibi privatim opes oppressis faciebant civitatibus : medium unum, utrique generi adversum, libertatem et leges tuebatur. His ut major apud suos caritas, ita minor apud externos gratia erat. Secundis rebus elati Romanorum partis ejus fautores, soli tum in magistratibus[2], soli in legationibus erant. Hi quum frequentes et ex Peloponneso, et ex Bœotia, et ex aliis Græciæ conciliis adessent, implevere aures decem legatorum : *Non eos tantum, qui se propalam per vanitatem jactassent, tanquam hospites et amicos Persei, sed multo plures alios ex occulto favisse : reliquos per speciem tuendæ libertatis in conciliis adversus Romanos omnia instruxisse : nec aliter eas mansuras in fide gentes, nisi, fractis animis partium, aleretur confirmareturque auctoritas eorum, qui nihil præter imperium Romanorum spectarent*[3]. Ab his editis nominibus, evocati literis imperatoris ex Ætolia, Acarnaniaque, et Epiro, et Bœotia, qui Romam ad causam dicendam sequerentur : in Achaiam ex decem legatorum numéro profecti duo, C. Claudius et Cn. Domitius, ut ipsi edicto evocarent. Id duabus de causis factum : una, quod fiduciæ plus animorumque esse Achæis ad non parendum credebant, et forsitan etiam in periculo fore Callicratem[4] et cæteros criminum au-

2. *Secundis rebus elati Romanorum partis ejus fautores, soli tum in magistratibus*, etc. cf. Polyb. XXX, 10.

3. *Qui nihil præter imperium Rom. spectarent* ex emend. Gron. pro *exspectarent;* vide ad I, 9, n. 3, et I, 34, n. 5. — *Literis imperatoris;* has literas invitus dedit Æmilius, ut discimus ex Polyb., Legat. 94, qui testatur ei nullo modo placuisse calumnias illas assentatorum romanæ potentiæ, idque eum rebus ipsis satis significasse affirmat. Vide et Nostrum supra, cap. 28. Ed.

4. *In periculo fore Callicratem;* vide ad XLI, 23, n. 2.

ctores delatoresque: altera, cur præsentes evocarent, causa erat, quod ex aliis gentibus principum literas deprehensas in commentariis regiis habebant; in Achæis cæcum erat crimen [5], nullis eorum literis inventis. Ætolis dimissis, Acarnanum citata gens: in his nihil novatum, nisi quod Leucas exempta est Acarnanum concilio. Quærendo deinde latius, qui publice aut privatim partium regis fuissent, in Asiam quoque cognitionem extendere, et ad Antissan in Lesbo insula diruendam, traducendos Methymnam Antissæos, Labeonem miserunt, quod Antenorem, regium præfectum, quo tempore cum lembis circa Lesbum est [6] vagatus, portu receptum commeatibus juvissent. Duo securi percussi viri insignes, Andronicus Andronici filius Ætolus, quod, patrem sequutus, arma contra populum romanum tulisset, et Neo Thebanus, quo auctore societatem cum Perseo junxerant.

XXXII. His rerum externarum cognitionibus interpositis, Macedonum rursus advocatum concilium: pronuntiatum, *Quod ad statum Macedoniæ pertinebat* [1], *senatores, quos Synedros vocant, legendos esse, quorum consilio respublica administraretur.* Nomina

5. *In Achæis cæcum erat crimen*, etc. vide ad XXXIV, 14, n. 6.

6. *Circa Lesbum est vagatus*, forte *esset*. Gronovius conj. *vagabatur*, vel *erat vagus*, vel *errabat vagus*; et Crev. *erat vagatus*.—*Neo Thebanus*; vid. XLIV, 43, n. 3. — *Quo auctore societatem cum Perseo junxerant*; quinam? ait Crev. Excidit nomen vel Thebanorum vel Bœotorum. De Bœotis in universum ut accipiatur, magis inclinat Crever. ob ea quæ habet Livius, supra lib. XLII, capp. 42 et 33: adde et Polyb. Legat. 63. Ed.

Cap. XXXII. 1. *Quod ad statum Maced. pertinebat*, etc. verba Paulli, aut potius legatorum rom. Hinc Crev. conj. *pertineat*, et Duker. *pertineret*. Conf. ad III, 2, n. 1. — Hæc verba, *quod ad statum Macedonia pertinebat* vulgaribus literis excudenda curavit Doering., mutata distinctione, ut sit: « Pronuntiatum, quod ad statum Macedoniæ pertinebat: *senatores, quos Synedros vocant*, etc. » et sic bene se habere *pertinebat* contendit. Walch. vero Emend. Liv. pag. 193, vulgatum defendit, collatis multis Livii exemplis, haud absimilibus. Ed. — *Senatores, quos vocant Synedros*,

deinde sunt recitata principum Macedonum, quos cum liberis, majoribus quam quindecim annos natis, præcedere in Italiam placeret. Id, prima specie sævum, mox apparuit multitudini Macedonum, pro libertate sua esse factum. Nominati sunt enim regis amici purpuratique, duces exercituum, præfecti navium aut præsidiorum, servire regi humiliter, aliis superbe imperare assueti; prædivites alii, alii, quos fortuna non æquarent, his sumptibus pares: regius omnibus victus vestitusque; nulli civilis animus, neque legum neque libertatis æquæ patiens [2]. Omnes igitur, qui in aliquibus ministeriis regiis, etiam qui in minimis legationibus fuerant, jussi Macedonia excedere, atque in Italiam ire: qui non paruisset imperio, mors denuntiata. Leges Macedoniæ dedit[3] cum tanta cura, ut non hostibus victis, sed sociis bene meritis, dare videretur, et quas ne usus quidem longo tempore, qui unus est legum corrector, experiendo argueret. Ab seriis rebus ludicrum, quod ex multo ante præparato[4], et in Asiæ civitates, et ad reges missis, qui denuntiarent, et quum circumiret ipse Græciæ civitates, indixerat principibus, magno apparatu

assessores. Τοὺς πρώτους τοῦ συνεδρίου dixit Diodor. in Exc. Peiresc. pag. 292, ubi vid. Vales. — *Majoribus quam XV annos natis*, forte *majoribus XV annis natu*, ut apud Cic. Acad. II, 19, et Verr. II, 49, vel tantum *m. XV annis;* Duk. Conf. Oudend. ad Frontin. IV, 1, § 10, et intpp. Nep. Hann. 3, et de Reg. 2.

2. *Regis amici purpuratique ... servire regi humiliter... patiens:* aulam aliquam nostræ ætatis adumbrari putes. — *Nulli civilis animus, neque legum neque libertatis æque patiens;* vide ad IV, 5, n. 1; VII, 5, n. 2; XLV, 15, n. 3. — *In aliquibus ministeriis regiis;* editio princeps exhibet *in aliquis*. Pari modo *aliquis* pro *aliquibus* plures codd. præferunt XXVI, 49; quod pro *aliqueis* positum existimat Rhenanus. Sed vid. Drak. ad h. l. et ad XXI, 60, § 7. Ed.

3. *Leges Macedoniæ dedit*, scilic. Æmilius Paullus, quo et seqq. spectant, ut præcedd. — *Unus est legum corrector;* vide ad I, 21, n. 3. — *Experiendo;* vide ad XLIV, 41, n. 3.

4. *Ab seriis rebus* (vid. I, 1, n. 5) *ludicrum, quod ex multo ante præparato*, postquam multo ante illud ap-

Amphipoli fecit: nam et artificum omnis generis, qui ludicram artem faciebant, et toto orbe terrarum multitudo, et athletarum, et nobilium equorum convenit, et legationes cum victimis[5], et quidquid aliud deorum hominumque causa fieri magnis ludis in Græcia solet. Ita factum est, ut non magnificentiam tantum, sed prudentiam in dandis spectaculis, ad quæ rudes tum Romani erant, admirarentur. Epulæ quoque legationibus paratæ et opulentia et cura eadem. Vulgo dictum ipsius ferebant, et convivium instruere, et ludos parare ejusdem esse, qui vincere bello sciret[6].

XXXIII. Edito ludicro omnis generis, clypeisque æreis in naves impositis, cætera omnis generis arma, cumulata in ingentem acervum, precatus Martem, Minervam Luamque matrem[1] et cæteros deos, quibus spolia hostium dicare jus fasque est, ipse imperator, face subdita, succendit. Deinde circumstantes tribuni militum pro se quisque ignes conjecerunt. Notata est in illo conventu Europæ Asiæque, undique partim ad gratulationem, partim ad spectaculum contracta multitudine, tantis navalibus terrestribusque exercitibus, ea copia rerum, ea vilitas annonæ, ut et

paraverat, *et in Asiæ*, etc. conf. ad Epit. lib. LI; Polyb. XXXI, 3, § 1 (ex Athen. V, 5, pag. 194, vel V, 22 pr. ed. Schweigh. Plut.) Æmil. pag. 270 C.

5. *Legationes cum victimis*, θεωροὶ seu θεωρίαι, h. e. legationes, quæ solennium spectaculorum sacrorumque causa, vel ad civitates et reges amicos atque socios, publice mittuntur, ut indicant illa et ad ea invitent; vel a civitatibus regibusque, cum donis plerumque aut victimis, mittuntur, ut spectent ea et præsentia sua cohonestent; vid. Schweigh. ad Polyb. XXVIII, 16, § 4, XXXI, 1, § 12; ad Athen. V, 22, 23, VI, 58; Casaub. ad Athen. V, 5, VI, 13, pag. 194 et 251; Vales. ad Harpocrat. voc. θεωρεῖ· Wessel. ad Diodor. t. I, pag. 267, v. 35; Spanhem. ad Callim. H. in Del. 279, et Ernesti ad Xenoph. Mem. Socr. III, 3, n. 12.

6. *Qui vincere bello sciret;* vide ad XXXVIII, 52, n. 1.

Cap. XXXIII. 1. *Precatus Martem, Minervam Luamque Matrem*, etc. vide ad VIII, 1, n. 2. — *Vilitas annonæ*, ut apud Cic. pro l. Manil. 15. Conf. sup. ad II, 34, n. 10.

privatis, et civitatibus, et gentibus, dona data pleraque ejus generis[2] sint ab imperatore, non in usum modo præsentem, sed etiam quod domos aveherent. Spectaculo fuit ei, quæ venerat, turbæ[3], non scenicum magis ludicrum, non certamina hominum, aut curricula equorum, quam præda Macedonica omnis, ut viseretur, exposita statuarum tabularumque, textilium, et vasorum ex auro, et argento, et ære, et ebore factorum ingenti cura in ea regia[4]; ut non in præsentem modo speciem, qualibus referta regia Alexandriæ erat, sed in perpetuum usum fierent. Hæc, in classem imposita, devehenda Romam Cn. Octavio data. Paullus, benigne legatis dimissis, transgressus Strymonem, mille passuum ab Amphipoli castra posuit: inde profectus, Pellam quinto die pervenit. Prætergressus urbem, ad Spelæum, quod vocant, biduum moratus, P. Nasicam et Q. Maximum filium cum parte copiarum ad depopulandos Illyrios, qui Persea juverant bello, misit, jussos ad Oricum sibi occurrere: ipse, Epirum petens, quintisdecimis castris Passaronem pervenit.

XXXIV. Haud procul inde Anicii castra aberant. Ad quem literis missis, ne quid ad ea, quæ fierent, moveretur, *senatum prædam Epiri civitatium, quæ ad Persea defecissent, exercitui dedisse*[1], submissis centurionibus in singulas urbes, qui se dicerent ad

2. *Dona data pleraque ejus generis;* vide ad X, 13, n. 12. Verba *ejus generis* spectant ad *copiam rerum et annonæ.*

3. *Quæ venerat, turbæ,* forte *convenerat,* ut cap. 32, et paulo ante *in illo conventu;* Duk., cujus emendationem verisimillimam existimat Drak. — *Textilium,* intellige vestes stragulas, peristromata vel peripetasmata. Ed.

4. *In ea regia* nimirum Pellæ, ubi vetus Macedonum fuit regia (vide ad XLII, 41), et ubi gaza regum Macedonum servabatur; vid. XLIV, 10. Ed.

Cap. XXXIV. 1. *Literis missis... senatum... dedisse;* vide ad VIII, 19, n. 10. — *Submissis centurionibus,* etc. vide ad XL, 14, n. 6.

præsidia deducenda venisse, ut liberi Epirotæ, sicut Macedones, essent, denos principes ex singulis evocavit civitatibus: quibus quum denuntiasset, ut aurum atque argentum in publicum proferretur, per omnes civitates cohortes dimisit. Ante in ulteriores, quam in propiores, profecti, ut uno die in omnes perveniretur. Edita tribunis centurionibusque erant, quæ agerentur: mane omne aurum argentumque collatum: hora quarta signum ad diripiendas urbes datum est militibus: tantaque præda fuit, ut in equitem quadringeni denarii [2], peditibus duceni dividerentur, centum quinquaginta millia capitum humanorum abducerentur. Muri deinde direptarum urbium diruti sunt: ea fuere oppida circa septuaginta. Vendita præda omnium, de ea summa militi numeratum est. Paullus ad mare Oricum descendit, nequaquam, ut ratus erat, expletis militum animis, qui, tanquam nullum in Macedonia gessissent bellum, expertes regiæ prædæ esse indignabantur. Orici quum missas cum Scipione Nasica Maximoque filio copias invenisset, exercitu in naves imposito, in Italiam trajecit. Et post paucos dies Anicius, conventu reliquorum Epirotarum Acarnanumque acto, jussisque in Italiam sequi principibus, quorum cognitionem causæ reservarat [3], et ipse, navibus exspectatis, quibus usus Macedonicus exercitus erat, in Italiam trajecit. Quum hæc in Macedonia Epiroque gesta sunt, legati, qui

2. *Quadringeni denarii*, h. e. ex Crev. æstimatione, marcæ argenti nostrates sex, unciæ 2; *duceni*, marcæ tres, uncia 1. Ed. — *Centum quinquaginta millia capitum humanorum abducerentur... muri direptarum urbium diruti sunt: ea fuere oppida circa* (vide ad XXVII, 42, n. 3) *septuaginta;* conf. Polyb. XXX, 15, § 5 (apud Strab. VII, pag. 322), et Plut. Æmil. p. 270, 271. Hic tamen longe minórem prædam fuisse factam et militibus divisam tradit.

3. *Quorum cognitionem causæ reservarat*, adde *senatui;* Duker. Conf. XXXIX, 29. — *Legati, qui cum*

cum Attalo ad finiendum bellum inter Gallos et regem Eumenem missi erant, in Asiam pervenerunt. Induciis per hiemem factis, et Galli domos abierant, et rex in hiberna concesserat Pergamum, gravique morbo æger fuerat. Ver primum ex domo excivit; jamque Synnada pervenerant, quum Eumenes ad Sardes undique exercitum contraxerat. Ibi et Romani Solovettium ducem Gallorum Synnadis alloquuti, et Attalus cum eis profectus; sed castra Gallorum intrare eum non placuit, ne animi ex disceptatione irritarentur. P. Licinius[4] cum regulo Gallorum est loquutus, retulitque, ferociorem eum deprecando factum: ut mirum videri posset, inter tam opulentos reges, Antiochum Ptolemæumque, tantum legatorum romanorum verba valuisse[5], ut extemplo pacem facerent; apud Gallos nullius momenti fuisse.

XXXV. Romam primum reges captivi, Perseus et Gentius, in custodiam cum liberis abducti; dein turba alia captivorum: tum quibus Macedonum denuntiatum erat, ut Romam venirent, principumque Græciæ. Nam hi quoque non solum præsentes exciti erant, sed etiam, si qui apud reges esse dicebantur, literis arcessiti sunt. Paullus ipse post dies paucos regia nave

Attalo, etc. conf. cap. 19, 20.—*Ver primum ex domo excivit*, supple, aut potius adde *Gallos*, quod rem multo clariorem efficeret, ut recte observat Creverius.

4. *P. Licinius*, etc. « Hic princeps erat legationis in Asiam missæ, cujus occultis artibus evenisse suspicio est, ne Galli in potestate Romanorum, pacem inter eos et Eumenem conciliantium, fuerint, ut ita paulatim vires Eumenis a Gallis frangerentur; licet mirum videri Livius profiteatur, verba legatorum apud Gallos nullius momenti fuisse. Metus vero, ne, si Attalus castra Gallorum intraret, animi disceptatione irritarentur, speciosus prætextus arreptus est Attalum procul amovendi, ut, eo absente, tanto commodius legati cum regulo Gallorum agerent, quæ a senatu mandata erant. Suspicionem hanc palam injicit Polyb. XXX, 3, § 7 sq. » Drakenb.

5. *Inter tam opulentos reges... legatorum rom. verba valuisse*, forte leg. *in perquam opulentos*, vel *in tam o.*, etc. ut VII, 6, n. 6.

ingentis magnitudinis, quam sexdecim versus remorum agebant[1], ornata Macedonicis spoliis, non insignium tantum armorum, sed etiam regiorum textilium, adverso Tiberi ad Urbem est subvectus, completis ripis obviam effusa multitudine. Paucos post dies Anicius et Octavius classe sua advecti. Tribus iis omnibus decretus est ab senatu triumphus; mandatumque Q. Cassio prætori, cum tribunis plebis ex auctoritate[2] Patrum ageret, rogationem ad plebem ferrent, ut iis, quo die urbem triumphantes inveherentur, imperium esset. Intacta invidia media sunt; ad summa ferme tendit: nec de Anicii, nec de Octavii triumpho dubitatum est; Paullum, cui ipsi quoque se comparare erubuissent, obtrectatio carpsit. Antiqua disciplina milites habuerat; de præda parcius, quam speraverant ex tantis regiis opibus, dederat nihil relicturis, si aviditati indulgeretur, quod in ærarium deferret. Totus Macedonicus exercitus imperatori erat negligenter adfuturus comitiis ferendæ legis. Sed eos Ser. Sulpicius Galba, qui tribunus militum secundæ legionis in Macedonia fuerat, privatim imperatori inimicus, prensando ipse, et per suæ legionis milites sollicitando, stimulaverat[3], ut frequentes ad

Cap. XXXV. 1. *Regia nave ingentis magnitudinis, quam XVI versus remorum agebant;* vid. XXXIII, 30, n. 4.

2. *Cum tribunis plebis ex auctoritate*, etc. si hic Livius non recessit a consuetudine sua loquendi, scripsit *cum trib. pl. ageret, ex a. Patrum rogationem ad populum ferrent;* Duk. Conf. XXVI, 21; XXXV, 7; XLII, 21. — Non omnino Dukeri conjecturam probat Doering., sed potius vocem *qui* (tribuni pl.) ante *rogationem* excidisse suspicatur. Ed. — *Ut iis, quo die Urbem triumphantes inveherentur, imperium esset;* vid. XXVI, 9, n. 7, et XXVI, 21, n. 3. — *Intacta invidia media sunt*, etc. conf. Vell. I, 9. — *Antiqua disciplina milites habuerat*, continuerat, coercuerat. Cf. cap. 37, n. 1. — *De præda ... dederat nihil relicturis*, etc. de præda parcius dederat militibus, qui si eorum aviditati indulgeretur, nihil quod in ærarium deferret, relicturi fuissent. Alii, *relicturus;* male. Ed.

3. *Prensando ipse... stimulaverat;* vide ad II, 61, n. 4.

suffragium adessent: *Imperiosum ducem et malignum antiquando rogationem, quæ de triumpho ejus ferretur, ulciscerentur. Plebem urbanam sequuturam esse militum judicia. Pecuniam illum dare non potuisse, militem honorem dare posse*[4]? *Ne speraret ibi fructum gratiæ, ubi non meruisset.*

XXXVI. His incitatis, quum in Capitolio rogationem eam[1] Ti. Sempronius tribunus plebis ferret, et privatis lege dicendi locus esset, nec ad suadendum, ut in re minime dubia, quisquam procederet; Ser. Galba repente processit, et a tribuno postulavit, *Ut, quoniam hora jam octava diei esset, nec satis temporis ad demonstrandum haberet, cur L. Æmilium non juberent triumphare, in posterum diem differrent, et mane eam rem agerent*[2]. *Integro sibi die ad causam*

4. *Pecuniam illum dare non potuisse, militem honorem dare posse;* nam qui potest honorem dare, penes eum etiam potestas est non dandi: intelligat igitur Paullus, qui se negat habuisse potestatem dandæ pecuniæ, militem habere potestatem mandandi suffragio triumphi, quem nunquam deferet male merito. Iste sensus magis historico dignus, et argutus, et acris videtur; Turneb. Advers. XVI, cap. 20. Interrogatione verba animant Grut. et Perizonius, eaque ita exponunt: Paullum ab animo maligno impetrare non potuisse, ut liberalius prædam inter milites divideret: milesne ergo ab animo suo impetrare poterit, ut eidem honorem det? *dare non posse* conj. Sigon. et Crev. *Pecuniam illum non dare potuisse: militem honorem non dare posse* malebat Gron. — Welchius, Emend. p. 115, repudiat Periz. sensum, et scribi jubet: *Pecuniam illum dare non potuisse? militem honorem dare non posse!* Ipsius, ait, Paulli sunt, quæ cavillantur verba: « non fuisse in ipsius potestate prædam militibus largiri, quæ sc. pop. rom. fuerit, non ipsius? at in militis potestate esse honorem dare: quam potestatem nunc experiretur. » Simile quid fortasse vidit Turneb. Ed.

Cap. XXXVI. 1. *Rogationem eam*, sc. ut Æmilio imperium esset, quo die Urbem triumphans inveheretur. Conf. cap. 35 med. — *Et privatis lege* (immo *de lege*) *dicendi locus esset, nec ad suadendum, ut in re minime dubia* (forte *dubiosa*, quia in MS et edd. antt. est *dubia si*; vide ad III, 72, n. 2), *quisquam procederet;* Gronov. Conf. cap. 21. — *Quoniam hora jam octava*, etc. conf. ad cap. 37, et Plut. Æmil. pag. 271.

2. *In posterum diem differrent, et mane eam rem agerent:* in præc. et seqq. de uno tantum tribuno pl. agitur. Hinc *differret* et *ageret* emend. Jac. Periz. cui extrema verba cap. adversari putabat Drak.

eam orandam opus esse. Quum tribunus dicere eo die, si quid vellet, juberet, in noctem rem dicendo extraxit, referendo admonendoque, *Exacta acerbe munia militiæ; plus laboris, plus periculi, quam desiderasset res, injunctum; contra in præmiis, in honoribus, omnia arctata; militiamque, si talibus succedat ducibus*[3], *horridiorem asperioremque bellantibus, eamdem victoribus inopem atque inhonoratam futuram. Macedonas in meliore fortuna, quam milites romanos, esse. Si frequentes postero die ad legem antiquandam*[4] *adessent, intellecturos potentes viros, non omnia in ducis, aliquid et in militum manu esse*[5]. His vocibus incitati, postero die milites tanta frequentia Capitolium compleverunt, ut aditus nulli præterea ad suffragium ferendum esset. Intro vocatæ primæ tribus[6] quum antiquarent, concursus in Capitolium principum civitatis factus est, *Indignum facinus esse*, clamitantium, *L. Paullum, tanti belli victorem, dispoliari triumpho: obnoxios imperatores tradi licentiæ atque avaritiæ militari. In uno nimis se per ambitionem peccare*[7]. *Quid, si domini milites imperato-*

3. *Si talibus succedat ducibus;* vide ad VIII, 25, n. 6. — Doering. existimat scripsisse fortasse Livium: *si talia succedant ducibus.* Ed.

4. *Ad legem antiquandam;* vid. IV, 58, n. 10.

5. *Aliquid et in militum manu esse;* vide ad V, 20, n. 1.

6. *Intro vocatæ primæ tribus;* vide ad X, 13, n. 9.

7. *In uno nimis se per ambitionem peccare,* « scribe *ultro nimis sæpe per ambitionem peccare,* sc. imperatores, aut *peccari*, vel *ultro nimis sæpe ambitionem peccare,* sc. imperatorum, h. e. ultro suaque sponte et præter necessitatem peccare imperatores satis frequenter disciplinam ambitionis causa remittendo, et militum favorem et gratiam intempestive captando: quid, si metu cogantur, futurum? » Gron. prob. Drak. Conf. ad II, 27, n. 5; et de *ambitione imperatorum* cap. 37 forte. Sed forte leg. *in unanimis* (h. e. si concordes essent imperatores ac milites) *sæpe ambitionem peccare.* — Büttn. Obss. Liv. p. 118, et Frid. Jacobs. apud Goell. p. 394, conjiciunt: *jam nunc nimis sæpe,* etc. quod sane e vulgato facillime elici potest. *Jam nunc* Büttn. monet simillime usurpari XL, cap. 15, *quid eum, quum regnum*

ribus imponantur? In Galbam pro se quisque probra ingerere. Tandem, hoc tumultu sedato, M. Servilius, qui consul et magister equitum fuerat, ut de integro eam rem agerent, ab tribunis petere, dicendique sibi ad populum potestatem facerent. Tribuni, quum ad deliberandum secessissent [8], victi auctoritatibus principum, de integro agere cœperunt, revocaturosque se easdem tribus renuntiarunt, si M. Servilius aliique privati, qui dicere vellent, dixissent.

XXXVII. Tum Servilius : « Quantus imperator « L. Æmilius fuerit, Quirites, si ex alia re nulla æsti- « mari possit, vel hoc satis erat, quod, quum tam se- « ditiosos et leves milites, tam nobilem, tam temera- « rium, tam eloquentem ad instigandam multitudinem « inimicum in castris haberet, nullam in exercitu se- « ditionem habuit. Eadem severitas imperii, quam « nunc oderunt, tunc eos continuit. Itaque, antiqua « disciplina habiti, neque fecerunt [1]. Ser. quidem « Galba, si in L. Paullo accusando tirocinium ponere, « et documentum eloquentiæ dare voluit, non trium- « phum impedire debuit, quem, si nihil aliud, sena- « tus justum esse judicaverat : sed postero die quam « triumphatum est, privatum eum visurus esset [2], no-

ei tradideris, facturum credis in me esse, qui jam nunc sanguine meo sibi indulgeri æquum censet. Ed.

8. *Trib., quum ad del. secessissent*, seorsum ivissent,... *renuntiarunt*, potius *pronuntiarunt;* Duk. Conf. similia loca XXXVIII, 60, n. 2; Suet. Ner. 15; Cic. Mur. 24, et in Bruto, cap. 22.

Cap. XXXVII. 1. *Itaque antiqua disciplina habiti* (vide ad cap. 35, n. 2) *neque fecerunt*, leg. cum Rubenio *tunc quieverunt;* Gron., Crev. et Drak. Sed vereor ne hæc langueant, et sic eadem sententia bis terve expressa sit. Malim: *in pace fremunt;* et mox *si in L. Paullo accusandi tirocinium ponere*, etc. — Doering. sibi displicere ait repetitam particulam *tunc*. Sic enim Livius idem dixisset quod aliis verbis jam dixerit. Existimat igitur idem in *neque* latere *nunc quoque*, scilicet quum milites nondum a Galba contra Paullum incitati essent; nam, ut Noster narrat, cap. 35, *totus Macedonicus exercitus erat imperatori negligenter adfuturus comitiis ferendæ legis.* Ed.

2. *Privatum eum visurus esset;* pro

« men deferret, et legibus interrogaret; aut serius « paulo, quum primum magistratus ipse cepisset, diem « diceret, inimicum ad populum accusaret. Ita et pre- « tium recte facti triumphum haberet L. Paullus pro « egregie bello gesto, et pœnam, si quid et vetere « gloria sua et nova indignum fecisset. Sed videlicet, « cui crimen nullum, nullum probrum dicere poterat, « ejus obtrectare laudes voluit. Diem integrum he- « sterno die ad accusandum L. Paullum petiit: quatuor « horas, quantum supererat diei, dicendo absumpsit. « Quis unquam tam nocens reus fuit, cujus vitia vitæ « tot horis expromi non possent? Quid interim obje- « cit, quod L. Paullus, si causam dicat, negatum velit? « Duas mihi aliquis conciones parumper faciat: unam « militum Macedonicorum; puram alteram[3], integrio- « ris judicii, et a favore et odio, universo judicante « populo romano. Apud concionem togatam et urba- « nam prius reus agatur. Quid apud Quirites romanos,

eum, alii *quum* ex emend. Sigon. *postero die, quam triumphatum, et quum privatum eum v. e.* conj. Gron. *postero die, quam triumphatum, privatumque quum* vel *eum v. e.* Jac. Periz. *p. die, quam triumphatum et privatum eum v. e.* Drak. Idem mihi in mentem venit, sed et *quum* pro *quam*. — *Nomen deferret;* vide ad IX, 26, n. 5. — *Legibus interrogaret;* vide ad XXVIII, 50, n. 4. *Deferre, interrogare, dicere* et *accusare*, sc. *debuit*, malebat Sigon. Id non contemnendum: sed *deferret* forte pro *deferre potuisset vel debuisset*, et sic cætera; Duker. Livius primum dixit *impedire debuit*, deinde *deferret*, etc. quod referendum ad consuetudinem ejus orationem variandi; Drak. — *Duas mihi aliquis conciones parumper faciat*, h. e. ponamus, duas mihi jam adesse conciones, coram quibus causam dicat Æmilius. « Sed, ait Doering., cur *parumper?* an, quia non opus erat, ut diutius in causam Paulli inquireretur, vel per diem integrum oratio contra eum haberetur? pro *parumper* equidem exspectabam: ad causam Paulli cognoscendam vel dijudicandam, et hinc in *parumper* latere fortasse putabam *pro tempore*, h. e. pro re vel causa præsente, ut v. c. apud Cæs. Bell. Gall. V, 8, *consilium capere pro tempore*, h. e. pro re præsente, dicitur. » Ed.

3. *Puram alteram*, etc. potius, una voce transposita, *alteram integrioris judicii et puram a favore et odio;* Drak. — *Apud concionem togatam* (vide ad III, 50, n. 1) *et u.*

« Ser. Galba, diceres? Illa enim tibi tota abscisa oratio « esset: *In statione severius et intentius institisti*[4]; *vigi-* « *liæ acerbius et diligentius circumitæ sunt; operis plus* « *quam antea, fecisti, quum ipse imperator et exactor* « *circumires; eodem die et iter fecisti, et in aciem ex* « *itinere duxisti. Ne victorem quidem te acquiescere pas-* « *sus est; statim ad persequendos hostes duxit. Quum te* « *præda partienda locupletem facere posset, pecuniam* « *regiam translaturus in triumpho est, et in ærarium* « *laturus*. Hæc sicut ad militum animos stimulandos « aliquem aculeum habent, qui parum licentiæ, pa- « rum avaritiæ suæ inservitum censent; ita apud po- « pulum romanum nihil valuissent, qui, ut[5] vetera « atque audita a parentibus suis non repetat, quæ « ambitione imperatorum clades acceptæ sint, quæ « severitate imperii victoriæ partæ, proximo certe Pu- « nico bello, quid inter M. Minucium magistrum equi- « tum et Q. Fabium Maximum dictatorem interfuerit,

prius reus agatur, scil. Paullus. *Res agatur* conj. Mur. *Prius* ad populum romanum reus defenditur. Deinde orator transit ad alteram concionem, militum; vide ad cap. extr. et cap. 38. — *Abscisa oratio*, quæ vulgo *abrupta* dicitur. Conf. ad IV, 19, n. 5.

4. *In statione severius et intent. institisti; vigiliæ acerbius et diligentius circumitæ sunt... quum ipse imperator et exactor circumires*, etc. vide ad VI, 4, n. 4, et XXII, 1, 10. *Institit*, et *circumiret*, et mox *ductus es* emend. Gronov., Crev. et Drak. Pro *duxisti* possis etiam conjicere *ivisti*, vel *iter fecit et in a. ex i. duxit*. Contra Doujat. existimabat, primum acute a Servilio induci Galbam, objicientem L. Paullo, quæ tum per milites, tum per se ipse fecerit, quasi exprobraretur illi a Galba, quod laudi vertendum erat, et hinc, oratione ex persona Galbæ ad L. Paullum versa, dici *institisti*, *operis plus fecisti*, *circumires*, *iter fecisti*, *in aciem duxisti*; deinde ex persona Servilii Paullum defendentis sermonem ad ipsum Galbam converti, *ne victorem quidem te*, S. Galba, *acquiescere passus est* Paullus, etc.—*Se acquiescere* conjicit vir doctus ad marginem edit. Curionis; at jure observat Drak. superiorem orationem hic *te* requirere. Ed.

5. *Ut vetera* (vid. II, 38, n. 3)... *non repetat* memoria. — *Ambitione imperatorum*; vide ad II, 27, n. 5, et XLV, 36, n. 6. — *Inter M. Minucium magistrum equitum et Q. Fabium Max. diet.* Quomodo Q. Minucius Rufus, magister equitum, erga Q. Fa-

« meminit. Itaque accusatorem id scire potuisse[6], et « supervacaneam defensionem Paulli fuisse. Transea- « tur ad alteram concionem: nec Quirites vos[7], sed « milites videor appellaturus, si nomen hoc saltem « ruborem incutere, et verecundiam aliquam impera- « toris violandi afferre possit.

XXXVIII. « Equidem ipse aliter affectus animo sum, « qui apud exercitum mihi loqui videar, quam paulo « ante eram, quum ad plebem urbanam spectabat ora- « tio. Quid etiam dicitis[1], milites? Aliquis est Romæ, « præter Persea, qui triumphari de Macedonibus no- « lit? et eum non iisdem manibus discerpitis, quibus « Macedonas vicistis? Vincere vos prohibuisset, si po- « tuisset, qui triumphantes Urbem inire prohibet. « Erratis, milites, si triumphum imperatoris tantum, « et non militum quoque et universi populi romani, « esse decus censetis. Non unius hoc Paulli[2]. Multi

bium Maximum dictatorem se gesserit, et quam obtrectationis et temeritatis pœnam ille dederit, narrat Noster supra XXII, 8-30. Ed.

6. *Itaque accusatorem id scire potuisse*, etc. scil. *meminit*, quod tamen parum commodum est: forte leg. *itaque et accusator id scire potuisset, et supervacanea defensio Paulli fuisset;* Gron. Neutrum satisfacit, et locus adhuc mendosus est; Crever. et Drakenb.

7. *Nec Quirites vos*, cives, togatos, contumeliose, *sed milites*, viros militares, *videor appellaturus* honestiori nomine. « Magistratus aliique, cum populo acturi, cives alloquebantur voce *Quirites;* at imperatores exercitum voce *milites* vel *commilitones:* unde milites appellatione *Quiritium* alloqui quasi genus pœnæ erat et signum inhonestæ missionis habebatur. » Drak. Conf. ad I, 13, n. 5; ad Tacit. Ann. I, 42, n. 4; Intpp. Suet. Cæs. 70; Oudend. ad Lucan. V, 358; Brisson. de Form. IV, pag. 347.

Cap. XXXVIII. 1. *Quid etiam dicitis*, forte *quid enim dicitis;* Mur. At Gronov. conj. *Equidem ipse etiam aliter affectus animo sum, quum apud exercitum mihi loqui videor, quam... oratio. Quid dicitis, milites?* Doujatius nihil vitiosum in vulgata lectione deprehendit.

2. *Non unius hoc Paulli* decus est. Id nimis abruptum videbatur Gron. et Crev. Ille post, *imperatoris tantum*, inserere malebat, *si unius hunc Paulli.* Hic post vocem *Paulli* quædam excidisse putabat.—Exponit Doeringius: Hoc decus igitur non unius Paulli, sed militum quoque est; et sic non opus esse ait, ut aliquid in hoc loco excidisse cum Creverio statuatur. Ed.

« etiam, qui ab senatu non impetrarunt triumphum, « in monte Albano triumpharunt. Nemo L. Paullo ma- « gis eripere decus perfecti belli Macedonici potest, « quam C. Lutatio primi Punici belli, quam P. Cor- « nelio secundi, quam illis, qui triumphaverunt. Nec « L. Paullum minorem aut majorem imperatorem « triumphus faciet: militum magis in hoc universique « populi romani fama agitur. Primum ne invidiæ et « ingrati animi adversus clarissimum quemque civem « opinionem habeat, et imitari in hoc populum Athe- « niensem, lacerantem invidia principes suos, videa- « tur. Satis peccatum in Camillo a majoribus vestris « est, quem tamen ante receptam per eum a Gallis « Urbem violarunt[3]: satis insuper a vobis in P. Afri- « cano. Literni domicilium et sedem fuisse domitoris « Africæ! Literni sepulcrum ostendi! Erubescamus, « gloria si par illis viris L. Paullus injuria vestra exæ- « quetur. Hæc igitur primum infamia deleatur, fœda « apud alias gentes, damnosa apud nostros. Quis enim « aut Africani, aut Paulli, similis esse in integra et ini-

— *Quam illis, qui triumphaverunt*, hæc est lectio MSS et edd. antt., haud dubie mutila. *Post eos* ante *triumphaverunt* inserit Sigon. sed plura deesse credebat Gron., v. c. *quam illis sua cuique decora et aliis, sive ante hos sive post eos triumph.* unde Cler. et Crev. edidere *quam (decora cuique sua) illis, qui (ante postve eos) tr.* Forte pro *illis* leg. *aliis*, vel *aliorum aliis.*—*Ne invidiæ* (forte *invidi*, Crever.) *et ingrati animi opinionem*, famam, existimationem, *habeat*, ne existimetur ingratus esse; Drak. Conf. XXVIII, 40, n. 4; XLIII, 1; Cæs. Bell. Gall. VII, 59; Cic. Off. II, 11; Justin. XII, 8. — Post *ne* excidisse *quis* conjicit Doer. Ed.

3. *Quem tamen ante receptam... Urbem violarunt;* ineptum τὸ *tamen*, et forte leg. *tantopere*, vel *temere.* — *Literni domicilium*, etc. scil. quam pudendum nobis est! qualia per vehementem affectum supprimuntur, ut apud Virgil. Æn. I, 97, et aliis locis; Crev. Cf. XXII, 39, n. 8; XXXVIII, 52, n. 1, et XXXVIII, 53, n. 4. — Huic loco, in quo emendando paulo licentius versatus erat Gronov. (vid. Drak. ad hunc locum), et quem intactum Crever. eo modo, quo diximus, exposuit, lenissima emendatione succurri posse putat Doering. si pro *Literni* legatur *Liternine?* facile autem apparet, quomodo *ne* a *ni* absorberi potuerit. *Liternine domici-*

« mica bonis civitate velit? Si infamia nulla esset, et « de gloria tantum ageretur, qui tandem triumphus « non communem nominis romani gloriam habet? « Tot de Gallis triumphi, tot de Hispanis, tot de Pœ« nis, ipsorum tantum imperatorum, an populi ro« mani, dicuntur? Quemadmodum non de Pyrrho « modo, nec de Hannibale, sed de Epirotis Carthagi« niensibusque triumphi acti sunt; sic non[4] M'. Curius « tantum, nec P. Cornelius, sed Romani triumpha« runt. Militum quidem propria est causa, qui et ipsi « laureati, et quisque donis, quibus donati sunt, in« signes, triumphum nomine cient, suasque et impe« ratoris laudes canentes per Urbem incedunt. Si « quando non deportati ex provincia milites ad trium« phum sint, fremunt; et tamen tum quoque se ab« sentes, quod suis manibus parta victoria sit, trium« phare credunt. Si quis vos interroget, milites, ad « quam rem in Italiam deportati, et non statim, con« fecta provincia[5], dimissi sitis? quid Romam fre« quentes sub signis veneritis, quid moremini hic, et « non diversi domos quisque abeatis[6] vestras? quid « aliud respondeatis, quam vos triumphantes videri « velle? Vos certe victores conspici velle debebatis.

lium et sedem fuisse domitoris Africæ! Fierine potuit, ut Literinum domicilium et sedes domitoris Africæ esset? ut ejusdem sepulcrum Literni ostenderetur? sive: Num credibile est, domicilium et sedem domitoris Africæ Literni fuisse, et sepulcrum hujus viri Literni ostendi? usus loquendi, ex quo particulæ interrogativæ *ne* infinitivus jungitur, satis notus, et Terentio inprimis familiaris; v. c. Andr. IV, 3 1, *nihilne esse proprium cuiquam?* Ed.

4. *M' Curius*, qui de Pyrrho triumphavit; vid. Fasti Capit. triumph. ad a. Urbis 578. — *Triumphum nomine cient* acclamantes *io triumphe!* ut Bacchæ ἰὸ Βάκχε. Conf. ad XXI, 62, n. 1; Intpp. Hor. Od. IV, 2, v. 49, 50, et Epod. IX, 21, 23; Brisson. de Form. IV, p. 351.

5. *Confecta provincia*; vide ad II, 40, n. 9.

6. *Diversi domos quisque abeatis*; vide ad III, 60, n. 1. — *Vos certe victores conspici velle debebatis* insulsa et ingrata repetitio; Crev. Ego hic nihil video indignum Livio, qui

XXXIX. « Triumphatum nuper de Philippo, patre « hujus, et de Antiocho est: ambo regnabant, quum « de his triumphatum est. De Perseo capto, in Urbem « cum liberis abducto, non triumphabitur? Quod si « in curru scandentes Capitolium, auratos purpura- « tosque [1], ex inferiore loco L. Paullus in turba toga- « torum unus privatus interroget: L. Anici, Cn. Octa- « vi, utrum vos digniores triumpho esse, an me, cen- « setis? currum ei cessuri, et præ pudore videntur « insignia ipsi sua tradituri. Et vos Gentium, quam « Persea, duci in triumphum [2] mavultis, Quirites, et « de accessione potius belli, quam de bello, trium- « phari? Et legiones ex Illyrico laureatæ Urbem ini- « bunt, et navales socii? Macedonicæ legiones, suo « abrogato, triumphos alienos spectabunt? Quid deinde « tam opimæ prædæ, tam opulentæ victoriæ spoliis fiet? « Quonam abdentur illa tot millia armorum, detracta « corporibus hostium? an in Macedoniam remittentur? « Quo signa aurea, marmorea, eburnea, tabulæ pictæ, « textilia, tantum argenti cælati, tantum auri, tanta

dicit, si id non responsuri essent milites, *certe*, i. e. minimum, saltem, eos decere, ut victores conspici, et spectatorum oculis in solenni tali pompa notari vellent; Drak.

Cap. XXXIX. 1. *Auratos purpuratosque;* vide ad X, 7, n. 9. — Cæterum de hoc loco, Frider. Jacobs. apud Goeller. pag. 401, seqq. « Hæc verba, ait, accuratius pensitantibus, apparebit, prætorum L. Anicii et Cn. Octavii, quorum honor honori consulis opponitur, mentionem præter exspectationem injici. Quo enim, quæso, referenda sunt participia, *auratos purpuratosque?* nam de prætoribus illis ante nihil dictum; nec sponte potest intelligi, quinam sint illi in *curru Capitolium scandentes.* Quare post *triumphabitur* enuntiationem suspicor excidisse fere hanc: *At a prætoribus triumphabitur? Quos si in curru scandentes Capitolium, auratos purpuratosque*, etc. » Ed.

2. *Duci in triumphum;* vide ad XXXIV, 52, n. 2. — *De accessione potius belli;* vide ad VII, 30, n. 3. — — *Legiones ex Illyrico*, Illyriæ; vide ad XXXV, 32, n. 3. — *Suo abrogato*, immo *antiquato*, i. e. non concesso, quia rogatio contra Paulli triumphum lata fuerat: nam *abrogari*, nisi quæ adhuc exstiterunt, proprie nequeunt; Ern. — *Quid deinde tam opimæ prædæ, tam opulentæ victoriæ spoliis fiet;* vide ad XXVII, 16, n. 3.

« pecunia regia? An noctu, tanquam furtiva, in æra-
« rium deportabuntur? Quid illud spectaculum maxi-
« mum, nobilissimus opulentissimusque rex captus,
« ubi victori populo ostendetur? Quos Syphax rex ca-
« ptus, accessio Punici belli[3], concursus fecerit, ple-
« rique meminimus. Perseus rex captus, Philippus et
« Alexander filii regis, tanta nomina, subtrahentur
« civitatis oculis? Ipsum L. Paullum, bis consulem,
« domitorem Græciæ, omnium oculi conspicere Ur-
« bem curru ingredientem avent. Ad hoc fecimus con-
« sulem, ut bellum, per quadriennium ingenti etiam
« pudore nostro tractum, perficeret. Cui sortito pro-
« vinciam, cui proficiscenti præsagientibus animis vi-
« ctoriam triumphumque destinavimus, ei victori
« triumphum negaturi? et quidem non homines tan-
« tum, sed deos etiam suo honore fraudaturi? Diis
« quoque enim, non solum hominibus[4], debetur.
« Utrum majores vestri omnium magnarum rerum et
« principia exorsi ab diis sunt, et finem eum statue-
« runt? Consul proficiscens prætorve, paludatis licto-
« ribus, in provinciam et ad bellum, vota in Capitolio
« nuncupat[5]: victor, perpetrato eodem, in Capitolio
« triumphans ad eosdem deos, quibus vota nuncupa-
« vit, merita dona populi romani traducit[6]. Pars non
« minima triumphi est victimæ præcedentes; ut appa-
« reat, Diis grates agentem imperatorem ob rempubli-

3. *Syphax rex accessio P. belli;* vide ad VII, 30, n. 3. — *Ad hoc fecimus consulem;* vide ad I, 34, n. 5.— *Per quadriennium;* vid. cap. 41, n. 3.

4. *Diis quoque enim, non solum hominibus, debetur* triumphus. *Majores vestri... finem eum*, scil. deos, mentionem et venerationem deorum, *statuerunt.* Ita leg. monet Gron. prob. Drak. quia vox *utrum* hic commodum non recipiat sensum. — *Paludatis lictoribus:* immo *paludatus cum lictoribus*, ex Gronovii conjectura. Vide ad LXI, 10, n. 2.

5. *Vota in Capitolio nuncupat;* vide ad XXI, 63, n. 10.

6. *Merita dona p. r. traducit;* vide ad II, 38, n. 4, et XXIII, 11, n. 5. — *Ob remp. bene gestam;* vide ad II, 64, n. 3.

« cam bene gestam redire. Omnes illas victimas, quas « traducendas in triumpho vindicavit[7], alias alio cæ- « dente, mactate. Illas quidem epulas senatus, quæ « nec privato loco, nec publico profano, sed in Capi- « tolio eduntur, utrum hominum voluptatis[8] causa, « an deorum hominumque, auctore Ser. Galba, tur- « baturi estis? L. Paulli triumpho portæ claudentur? « Rex Macedonum Perseus cum liberis et turba alia « captivorum, spolia Macedonum, citra flumen relin- « quentur[9]? L. Paullus privatus, tanquam rure re- « diens, a porta domum ibit. Et tu, centurio, miles, « quid de imperatore Paullo senatus decrerit potius, « quam quid Ser. Galba fabuletur, audi: et hoc di- « cere me potius, quam illum, audi. Ille nihil, præ- « terquam loqui, et ipsum maledice ac maligne, didi- « cit: ego ter et vicies cum hoste per provocationem « pugnavi; ex omnibus, cum quibus manum conse- « rui, spolia retuli. Insigne corpus honestis cicatrici- « bus, omnibus adverso corpore exceptis[10], habeo. »

7. *Traducendas in triumpho* (vide ad XXXIV, 52, n. 2) *vindicavit:* ita edd. antt. *judicavit* edidere Sigon. et alii. *In triumphum dicavit* conj. Turneb. *traducendas in triumpho dicavit* et *locavit* Gronov. monens, et his apparatibus præbenda fuisse locata. Forte leg. *diis dicavit.*

8. *Utrum hominum voluptatis*, etc. forte *non hominum voluptatis causa, sed deorum honoris;* Crev. Veriorem medicinam ab integriore cod. exspectandam censebat Drak. — Walch. Emend. Liv. pag. 115, distinguit: *Utrum hominum voluptatis causa, an deorum hominumque? auctore Servio Galba*, etc. hoc nempe Nostrum voluisse: « An adeo stolidus quisquam esse potest, ut putet hominum potius voluptatis causa, quam voluptatis causa deorum hominumque epulas in Capitolio celebrari ». Ed. — *L. Paulli triumpho portæ claudentur,* hoc est, Paullum triumphantem inire Urbem prohibebimus?

9. *Citra flumen*, Tiberim, *relinquentur:* forte leg. *ultra flumen:* nam in Urbe et Capitolio concio habebatur. Conf. cap. 36. Mox *at tu, centurio... et hoc dicentem me potius quam illum audi* bene conj. Gron., et deinde *ipsum id maledice.* Froh. e MS *ipsud maledice.* — Pro *decrerit* male legebatur *decrevit.* Contracte *decrerit* dicitur, ut *decresset,* de quo videatur Drak. ad II, 37, § 8. Ed.

10. *Honestis cicatricibus, omnibus adverso corpore acceptis;* vide ad II,

Nudasse deinde se dicitur, et, quo quæque bello vulnera accepta essent, retulisse. Quæ dum ostentat, adapertis forte, quæ velanda erant, tumor inguinum proximis risum movit. Tum, « Hoc quoque, quod ri« detis, inquit, in equo dies noctesque persedendo « habeo; nec magis me ejus, quam cicatricum harum « pudet pœnitetque, quando nunquam mihi impedi« mento ad rempublicam bene gerendam domi mili« tiæque fuit. Ego hoc, ferro sæpe vexatum, corpus « vetus miles adolescentibus militibus ostendi. Galba « nitens et integrum denudet. Revocate, si videtur, « tribuni, ad suffragium tribus; ego ad vos[11], milites, « [descendam, euntesque ad suffragia assectabor, et notabo « improbos ingratosque, et eos, qui non regi se ab impera« tore, sed eum ultro sibi per ambitionem servire æquum « censent». Hac oratione castigata militaris turba ita mutavit animum, ut tribus ad suffragium revocatæ ad unam omnes rogationem de triumpho juberent. Victa igitur inimicorum malevolentia et obtrectatione, triumphavit Paullus de Perseo rege et Macedonibus per triduum, IV. III et pridie Kalendas Decembres. Fuit hic triumphus, sive magnitudinem victi regis, sive speciem simulacrorum, sive modum pecuniæ spectes, longe magnificentissimus, ut omnium ante actorum comparationem amplitudine superaret. Populus, exstructis per forum et cætera Urbis loca, qua traduci pompam oportebat, tabulatis theatrorum in modum, spectavit in candidis togis. Aperta templa omnia et sertis coronata

23, n. 5, et Plutarch. Æmil. p. 272.

11. *Ego ad vos milites* ** lacuna explenda e Plut. l. l. ἐγὼ δὲ καταβὰς (*descendens* sc. templo vel e loco superiori, unde concionabatur) παρακολουθήσω πᾶσι (*comitabor singulos*, sc. in suffragium eantes, quasi *rogitator*, *diribitor*, *custos*, de quibus vocc. vid. Ernest. Clav. Cic.) καὶ γνώσομαι (distinguam, notabo) τοὺς κακοὺς καὶ ἀχαρίστους, καὶ δημαγωγεῖσθαι μᾶλλον ἐν τοῖς πολέμοις ἢ στρατηγεῖσθαι βουλομένους, *qui in bellis coli quam regi*, vel ambitiose quam sub imperio et disciplina haberi, *malunt*; Gron. Excidit etiam, quod idem Plut. adjicit, Paullum tulisse suffragia omnium tribuum.

thure fumabant. Lictores satellitesque confluentem temere turbam et vage discurrentem summoventes e medio, patentes late vias vacuasque præbebant. Quum in tres, ut diximus, dies distributa esset pompa spectaculi, primus dies vix suffecit transvehendis signis tabulisque captivis, in ducentos quinquaginta currus impositis. Sequenti die, multis plaustris translatum, quidquid Macedonicorum armorum pulcherrimum et magnificentissimum fuit, quæ et ipsa ferri aut æris recens tersi nitore splendebant, et ita structa erant inter se, ut quum acervatim potius cumulata, quam artificiose digesta, viderentur, miram quamdam hac ipsa velut temeraria et fortuita concursione speciem objicerent oculis: galeæ scutis, et loricæ ocreis, et peltæ Creticæ, et Thracicæ cetræ, et pharetræ equestribus permistæ frenis, strictique gladii hinc inde mucrone exerto minaces, et e lateribus eminentes sarissæ. Atque hæc omnia quum laxius vincta inter se forent, si quando in transvehendo sibi mutuo alliderentur, martium quemdam ac terribilem edebant sonum, ut ne victa quidem conspici possent, sine quodam animorum horrore. Tum onusta argento signato vasa quinquaginta supra septingenta a tribus millibus hominum portabantur. Tria talenta in singulis, a quaternis gestata hominibus. Erant et qui crateras argenteos, et phialas, et calices, et cornua ferebant, tum apte inter se collocata, tum magnitudine, et pondere, et exstantis insigniter cælaturæ artificio conspicua. Tertio autem die ducere agmen primo statim mane cœpere tubicines, non festos solennium pomparum modos, sed bellicum canentes, quasi in aciem procedendum foret. Post hos agebantur pingues, cornibus auratis, et vittis sertisque redimiti boves centum et viginti. Ducebant eos cincti fasciis eximio opere textis juvenes, quibus comites additi pueri pateras aureas argenteasque gestabant. Sequebantur ii, qui signatum aurum in vasis septem et septuaginta ferebant, quorum unumquodque, quemadmodum et ea, in quibus argentum translatum fuerat, tria talenta habebat. Tum visebatur sacra phiala decem talentorum pondo auri, pretiosis distincta gemmis, quam Paullus faciendam

curaverat, et Antigonides, Seleucidesque, et Thericlea, cæteraque pocula ex auro, quibus Persei triclinia ornabantur. Subibat Persei currus ejus armis onustus, addito diademate. Sequebatur captivorum agmen: Bitis, Cotyis regis filius, obses in Macedoniam a patre missus, ac deinde cum Persei liberis captus a Romanis; tum ipsi Persei liberi, comitante educatorum et magistrorum agmine, manus ad spectatores cum lacrymis miserabiliter tendentium, et docentium pueros, implorandam suppliciter victoris populi misericordiam. Filii erant duo, puella una, qui eo majorem movebant miserationem spectantibus; quod ipsi per ætatem vix mala sua intelligere poterant. Itaque plurimi lacrymas tenere non potuerunt, et omnibus confudit animum tacitus quidam mœror, qui sincero eos frui gaudio, quamdiu sub oculis pueri fuerunt, non sineret. Pone filios incedebat cum uxore Perseus, pullo amictu, cum crepidis Græci moris, stupenti et attonito similis, et cui magnitudo malorum mentem omnino eripuisse videretur. Sequebatur amicorum et familiarium turba, quorum in vultu dolor gravis eminebat, quique, quum semper oculos in eum figerent, lacrymis rigantes ora, satis indicabant, sese illius dolere malis, suorum immemores. Hanc quidem ignominiam deprecatus erat Perseus, missis ad Æmilium, qui orarent, ne in triumpho duceretur. Risit Æmilius hominis ignaviam, et, id quidem, inquit, in ipsius et pridem fuit, et nunc est, manu ac potestate: tacite monens, ut generosa morte id, quod metuebat, dedecus effugeret. Sed forte consilium non admisit mollis animus, et nescio qua spe delenitus, maluit in prædæ suæ parte ipse numerari. Quadringentæ inde coronæ aureæ portabantur, Paullo ab omnibus fere Græciæ et Asiæ civitatibus, in gratulationem victoriæ, per legatos dono missæ: grandis sane, si per se ipsæ spectarentur, pretii, sed mediocris accessio immanium opum, quæ in hoc triumpho transvectæ fuerant.]

Suppl. Plut. Æm. — Fasti Capit. — Vell. Paterc. I, 9. — Polyb. Excerpt. Leg. 96. — Zonaras.

XL. Summam omnis captivi[1] auri argentique translati sestertium millies ducenties fuisse[2], Valerius Antias tradit: quæ haud dubie major aliquanto summa ex numero plaustrorum ponderibusque auri, argenti, generatim ab ipso scriptis, efficitur. Alterum tantum, aut in bellum proximum absumptum, aut in fuga, quum Samothracen peteret, dissipatum tradunt: eoque id mirabilius erat, quod tantum pecuniæ intra triginta annos post bellum Philippi cum Romanis,

Cap. XL. *Summam omnis captivi*, etc. hæc adnexa descriptioni triumphi Paulli, quæ intercidit, petenda e Plut. l. l. Paullum vero per triduum triumphasse, IV, III, et prid. Cal. Dec., docent tabulæ Capitol.

2. *Sestertium millies ducenties:* at *bis millies centies* apud Vell. I, 9; *ter millies*, vel potius *bis millies trecenties* ap. Plin. XXXIII, 3, seu 17. Sex millia talentorum ap. Suidam: atque e Cic. Off. II, 22, Plin. l. l. et aliis, qui tradunt, populum rom. desiisse ab eo tempore tributum pendere, credibile fit, neminem unum ante Paullum egisse opulentiorem triumphum; at bis millies L. Scipio devicto Antiocho intulerat, ut ipse Liv. XXXVII, 59 tradit; Gron. Hinc ille in notis ad h. l. et in comm. de Sestert. p. 103, in Livio et Velleio legendum censet *sestertii* (vide ad cap. 4, n. 1) *bis millies ducenties* vel *trecenties*. Enimvero Livium h. l. ostendere, multo minorem pecuniæ summam a Valerio Antiate, quam ab aliis scriptoribus edi, et aliquanto majorem ex numero plaustrorum ponderibusque auri et argenti generatim ab ipso memoratis effici, jam monuere Crev. et Drak.—Cæterum, *sestertium millies ducenties*, fieri ait Crev. sestertios 120,000,000; libras argenti pondo romanas 300,000, marcas nostrates 468,750. Ed. — *Quæ* (immo *qua*, Gron.) *haud dubie major aliquanto summa ex numero plaustrorum... generatim*, etc. forte *speciatim*, Pigh. Ann. ad a. 586. Pro *plaustrorum* Jac. Periz. conjicit *Philippeorum*: horum enim mentionem in omnibus Græcis Asiaticisque triumphis fieri (XXXIV, 52; XXXVII, 59; XXXIX, 5, n. 7), et præcipue in Macedonicos convenire; neque pecuniæ summam ex vehiculorum multitudine exacte cognosci posse; præterea Plut. l. l. docere, omnem pecuniam non plaustris vectam, sed ab aliquot hominum millibus ἐν ἀγγείοις, in vasis portatam esse. « Satis probabilis est conjectura ejus. Sed cum ea parum convenit, quod in Diss. de Ære gravi, § 23, scripsit, pecuniam illam, quam Servilius, cap. 39, in præda Maced. fuisse dicit, in ponderibus auri et argenti constitisse, vel certe iis æstimatam fuisse. Nam si hic legendum est *Philippeorum*, apertum est, pecuniam ab *auro et argento* distingui, et *numerum* ad Philippeos, *pondera* ad aurum et argentum pertinere; nec pecuniam, sed aurum et argentum non signatum æstimatum fuisse, ut ad rationes et summam pecuniæ signatæ redigi posset. » Duker. — *In bellum proximum*, forte *potissimum*, aut *romanum*.

partim ex fructu metallorum, partim ex vectigalibus aliis, coacervatum fuerat. Itaque admodum inops pecuniæ Philippus, Perseus contra prædives, bellare cum Romanis cœpit. Ipse postremo Paullus in curru magnam, quum dignitate alia corporis, tum senecta ipsa, majestatem præ se ferens : post currum inter alios illustres viros filii duo, Q. Maximus et P. Scipio : deinde equites turmatim, et cohortes peditum suis quæque ordinibus [3]. Pediti in singulos dati centeni denarii [4], duplex centurioni, triplex equiti. Tantum pediti daturum fuisse credunt, et pro rata aliis, si aut non refragati honori ejus fuissent, aut benigne, hac ipsa summa nuntiata [5], acclamassent. Sed non Perseus tantum per illos dies documentum humanorum casuum fuit, in catenis ante currum victoris ducis per urbem hostium ductus; sed etiam victor Paullus, auro purpuraque fulgens. Nam duobus e filiis, quos, duobus datis in adoptionem [6], solos nominis, sacrorum,

3. *Ipse postremo Paullus... ordinibus :* hæc verba ante prima hujus cap. *Summam omnis captivi auri... cum Romanis cœpit* ponenda putabat Crever. nam secundo die translatum fuisse aurum et argentum, tertio Perseum et captivos ante currum victoris esse ductos; adeoque verisimile non esse, Livium post mentionem Persei factam, ante quam de Paullo, qui proxime sequebatur, diceret, reliquisse descriptionem incedentis pompæ, ut de summa auri argentique, pridie translati, et de opibus Persei dissereret, ac tum denique ad Paullum reverteretur.

4. *Pediti in singulos dati centeni denarii,* etc. inserui vocem *denarii,* etc. suadentibus Gronov. et Drakenb. qui monet, eam forte per notam *X* scriptam omissamque fuisse, et in opulentis horum temporum spoliis non, ut olim, nummos æreos, sed denarios memorari XXXVII, 59; XXXIX, 5, 7; XL, 43; XLI, 7, 13; XLV, 43. — *Tantum pediti daturum fuisse,* sc. quantum equiti datum est; Jac. Periz. *tantumdem* et *alterum tantum* (scil. ducentos) conj. Gron. — *Pro rata*, scilic. parte (ut *pro portione* XXXIV, 50, et *pro portione* al.), *aliis*, h. e. duplex centurioni, triplex equiti.

5. *Hæc ipsa summa nuntiata*, potius *pronuntiata;* quod jam alii monuere. Conf. ad XXI, 45, n. 4.

6. *Duobus* natu majoribus *datis in adoptionem* Fabio et Scipioni: unde paulo ante *filii duo, Q. Maximus et P. Scipio*. Conf. Vell. I, 10. — *Sa-*

familiæque heredes retinuerat domi, minor, ferme duodecim annos natus, quinque diebus ante triumphum, major, quatuordecim annorum, triduo post triumphum decessit : quos prætextatos[7] curru vehi cum patre, sibi ipsos similes prædestinantes triumphos, oportuerat. Paucis post diebus[8], data a M. Antonio tribuno plebis concione, quum de suis rebus gestis more cæterorum imperatorum disseruisset, memorabilis ejus oratio et digna romano principe fuit.

XLI. « Quanquam et quam feliciter rempublicam « administraverim, et quod duo fulmina domum meam « per hos dies perculerint[1], non ignorare vos, Quirites, « arbitror, quum spectaculo vobis nunc triumphus « meus, nunc funera liberorum meorum fuerint; ta- « men paucis, quæso, sinatis me cum publica felicitate « comparare eo, quo debeo, animo privatam meam « fortunam. Profectus ex Italia, classem a Brundisio « sole orto solvi; nona diei hora cum omnibus meis « navibus Corcyram tenui[2]. Inde quinto die Delphis « Apollini pro me exercitibusque et classibus lustra

crorum heredes; vide ad IV, 2, n. 6. — *Minor, ferme XII annos natus*, etc. conf. Appian. Maced. XVII, et Plut. Æmil. pag. 273, 274, et in Apophthegm. p. 198, qui Livio non plane consentiunt.

7. *Quos prætextatos* (vid. XXII, 57, n. 10) *curru vehi*, etc. quo eos tamen vectos fuisse tradit Eutrop. IV, 8. — *Sibi ipsos similes prædestinantes triumphos*, potius *ipsis*, more Ciceronis: nempe ut nunc *patri*, ita et ipsis olim fore talem honorem; Bauer.

8. *Paucis post diebus*, etc. ita et Plut. atque Appian. ll. ll. At Velleius, I, 10 alia refert. — *Data ei concione*, convocata ejus causa, ut *senatum alicui dare*, de quo vide ad VIII, 5, n. 1.

Cap. XLI. 1. *Et quod duo fulmina domum meam per hos dies perculerint;* vide ad VI, 39, n. 4. Baueri nota est : « Non satis probum *quod* pro infinitivo, etsi *quam feliciter* præcedat, et sequatur *non ignorare vos*, a quo minus commode pendeat novus infinitivus : nec placet Gronovianum *quæ duo fulmina*. Certe *duo* tunc abesset. Intellige, ac si foret *hoc*, vel *hanc rem, hunc casum, quod... perculerint.* » Locutio *ignoro quod* viros doctos offendit; vide ad III, 52, n. 2.

2. *Corcyram tenui;* vide ad I, 1, n. 8. — *Lustra sacrificavi*, sacrificium piaculare obtuli. Sed τὸ *lustra* non satis placet. *Vestris* conj. Sigon. Ma-

« sacrificavi. A Delphis quinto die in castra perveni: « ubi exercitu accepto, mutatis quibusdam, quæ ma- « gna impedimenta victoriæ erant, progressus, quia « inexpugnabilia castra hostium erant, neque cogi pu- « gnare poterat rex, inter præsidia ejus saltum ad Pe- « tram evasi, et, ad pugnam rege coacto, acie vici; « Macedoniam in potestatem populi romani redegi, « et, quod bellum per quadriennium quatuor ante « me consules[3] ita gesserunt, ut semper successori « traderent gravius, id ego quindecim diebus perfeci. « Aliarum deinde secundarum rerum velut proventus « sequutus. Civitates omnes Macedoniæ se dediderunt; « gaza regia in potestatem venit; rex ipse, tradentibus « prope ipsis diis, in templo Samothracum cum liberis « est captus. Mihi quoque ipsi nimia jam fortuna mea « videri, eoque suspecta esse. Maris pericula timere « cœpi in tanta pecunia regia in Italiam trajicienda, et « victore exercitu transportando. Postquam omnia se- « cundo navium cursu in Italiam pervenerunt, neque « erat, quod ultra precarer, illud optavi, ut, quum ex « summo retro volvi fortuna consuesset[4], mutationem « ejus domus mea potius, quam respublica, sentiret. « Itaque defunctam esse fortunam publicam mea tam « insigni calamitate spero; quod triumphus meus, vel-

lim *hostias:* nisi vox plane delenda, et mox leg. *ubi exercitu accepto lustratoque, mutatis*, etc. Ita legisse videntur Plut. et Appian. ll. ll. — *Saltum ad Petram*, locus vocatur *Pythium*, supra lib. XLIV, cap. 35. Plutarchus in Æmilio, ubi saltum hunc superatum narrat, utrumque nomen conjungit τὴν (εἰσβολὴν) παρὰ τὸ Πύθιον καὶ τὴν Πέτραν. Ed.

3. *Per quadriennium quatuor ante me consules*, lege *per triennium tres a. me c.;* tot enim tantum fuerunt, P. Licinius Crassus, A. Hostilius Mancinus, Q. Marcius Philippus; Sigon. Ita et cap. 39, n. 3, legendum; Drak. — *Aliarum secundarum rerum velut proventus*, φορὰ, larga messis, lætum incrementum, copia larga tenorque; Bauer. Conf. Oros. IV, 20. — *Sequutus*, sc. est. Conf. Drak.

4. *Quum ex summo* fastigio *retro volvi fortuna consuesset*, etc. vid. Mitscherl. ad Hor. Od. III, 10, n. 10,

« ut ad ludibrium casuum humanorum, duobus funeribus liberorum meorum est interpositus. Et, quum « ego et Perseus nunc nobilia maxime sortis mortalium exempla spectemur, ille, qui ante se captivos « captivus ipse duci liberos vidit, incolumes tamen eos « habet : ego, qui de illo triumphavi, ab alterius funere filii curru in *** [5] ex Capitolio prope jam exspirantem veni : neque ex tanta stirpe liberum superest, qui L. Æmilii Paulli nomen ferat. Duos enim, « tanquam ex magna progenie liberorum in adoptionem datos, Cornelia et Fabia gens habent; Paulli in « domo, præter se, nemo superest [6]. Sed hanc clade domus meæ vestra felicitas et secunda fortuna « publica consolatur. »

XLII. Hæc, tanto dicta animo, magis confudere audientium animos [1], quam si miserabiliter orbitatem suam deflendo loquutus esset. Cn. Octavius Calendis Decembribus de rege Perseo navalem triumphum egit. Is triumphus sine captivis fuit, sine spoliis. Dedit so-

et in Tac. Ann. ad I, 35, n. 4.—*Defunctam fortunam*, etc. vide ad II, 35, n. 2, et conf. Plut. l. l. — *Ad ludibrium casuum humanorum;* vide ad XXX, 30, n. 3.

5. *Ab alterius funere filii curru in* *** adjice *Capitolium, ad alterum*, Ursin. Crever. et Drakenb. vel *Capitolium acto, ad alterum;* Bauer. vel *currum escendi, ad alterum;* Gron. *currum* in MS unico : *curru in* edd. antt. *curru ex Capitolio ad alterum prope* edidit Sigon. — Büttn. Obss. Liv. pag. 120, hunc locum ita reficiendum censet: *ab alterius funere filii curru in Capitolium vectus, alterum, rediens ex Capitolio, prope jam exspirantem inveni.* Ed.

6. *Paulli in domo præter se nemo superest*, « pron. *se* pro *illum, ipsum*, ut XXXIX, 40, n. 4, *orationes pro se*, sc. exstant, i. e. ab ipso pro se dictæ, et apud Cic. pro Rosc. Am. II, *hunc sibi ex animo scrupulum, qui se dies noctesque stimulet ac pungat, ut evellatis, postulat*, pro *qui eum dies*, etc. » Bauer. Ingeniose vir doctus in Misc. Obss. t. I, pag. 150, conj. *præter senem* (h. e. unum et qui aliorum liberorum procreandorum spem non habeat) *nemo superest.*

Cap. XLII. 1. *Magis confudere audientium animos;* vide ad VI, 34, n. 7; et Lucret. lib. II, 945 ; « grandior ictus Corporis atque animi pergit confundere sensus ». — *Sociis navalibus ;* vide supra ad librum IX, cap. 38, n. 1. — *Denarios septuagenos*

ciis navalibus in singulos denarios septuagenos quinos; gubernatoribus, qui in navibus fuerant, duplex; magistris navium quadruplex. Senatus deinde habitus est. Patres censuerunt, ut Q. Cassius Persea regem cum Alexandro filio[2] Albam in custodiam duceret, comites, pecuniam, argentum, instrumentum quod haberet. Bitis, regis Thracum filius, cum obsidibus in custodiam Carseolos est missus. Cæteros captivos, qui in triumpho ducti erant, in carcerem condi placuit. Paucos post dies, quam hæc acta, legati ab Cotye rege Thracum venerunt, pecuniam ad redimendum filium aliosque obsides apportantes. Eis, in senatum introductis, et id ipsum argumenti prætendentibus[3] orationi, non sua voluntate Cotyn bello juvisse Persea, quod obsides dare coactus esset, orantibusque, ut eos pretio, quantum ipsi statuissent Patres, redimi paterentur, responsum ex auctoritate senatus est: *Populum romanum meminisse amicitiæ, quæ cum Cotye majoribusque ejus et gente Thracum fuisset. Obsides datos crimen, non criminis defensionem, esse, quum Thracum genti ne quietus quidem*

quinos; ex æstimatione Crev. uncias argenti 9, grossos, ut vocant, 3. Ed. — *Magistris navium;* vide ad XLIII, 8, n. 2.

2. *Persea regem cum Alex. filio,* etc. Plures contendunt virum hunc principem inedia sponte interiisse. E tribus autem liberis, duo, filia scilicet et filiorum natu major Philippus, qui sanguine frater erat, filius adoptione, paulo post mortui sunt. Junior, Alexander, de quo hic agitur, vitam primo manuum mercede toleravit; deinde, quum didicisset linguam latinam, tabularius sub magistratibus Albæ factus est. O miram fortunæ conversionem in tanti regis sobole! quid invenias, quo certius retundatur hominum superbia! Ed. — *Bitis, regis Thracum* Cotyis *filius cum* aliis *obsidibus* (vide ad III, 25, n. 4), a Cotye cum filio ad Persea missis, et captis una cum Persei liberis. Conf. ad hæc et seqq. Polyb. XXX, 12. Sed *Bithys* omnino scribendum esse, idque nomen in Thracia et Bithynia (quæ a Bithy, Martis et Setæ filio, sic dicta credebatur) jam tempore mythico usitatum fuisse, docet Drak. Conf. Zonar. IX, 24; Steph. Byz. voc. Βίθυαι et Βιθυνία; Appian. Mithrid. 1, ibique Schweigh.

3. *Id ipsum argumenti orationis prætendentibus,* forte *argumentum,* aut *orationi;* vide ad III, 45, n. 1.

Perseus, nedum bello romano occupatus, timendus fuerit. Cæterum, etsi Cotys Persei gratiam prætulisset amicitiæ populi romani, magis, quid se dignum esset, quam quid merito ejus fieri posset, æstimaturum: filium atque obsides ei remissurum. Beneficia gratuita esse populi romani; pretium eorum malle relinquere in accipientium animis, quam præsens exigere[4]. Legati nominati T. Quintius Flamininus, C. Licinius Nerva, M. Caninius Rebilus, qui obsides in Thraciam reducerent; et Thracibus munera data in singulos binum millium æris. Bitis, cum cæteris obsidibus a Carseolis arcessitus, ad patrem cum legatis missus. Naves regiæ, captæ de Macedonibus invisitatæ ante magnitudinis[5], in campo Martio subductæ sunt.

XLIII. Hærente adhuc, non in animis modo, sed pæne in oculis, memoria Macedonici triumphi, L. Anicius Quirinalibus triumphavit[1] de rege Gentio Illyriisque. Similia omnia magis visa hominibus, quam paria. Minor ipse imperator, et nobilitate Anicius cum Æmilio, et jure imperii prætor cum consule collatus: non Gentius Perseo, non Illyrii Macedonibus, non spolia spoliis, non pecunia pecuniæ, non dona donis comparari poterant. Itaque sicut præfulgebat huic triumphus recens; ita apparebat ipsum per se intuentibus

4. *Quam præsens exigere;* vide ad I, 12, n. 6. — *T. Quintius Flamininus*, « forte is, qui Philippum vicit, cujus tamen legationem ad Prusiam ultimam ejus in toga et armis actionem fuisse dicit Plut. Quint. p. 381, aut *C.* pro *T.* legendum. *C. Licinius Nerva* forsan præter hujus anni cap. 16, si legatio hæc in annum seq. excessit. » Drak. — *Binum millium æris*, marcarum argenti nostratium 3, unciæ 1, ex Crev. rationibus. Ed.

5. *Invisitatæ* (Romanis) *ante magnitudinis* scripsi suadente Gron. pro vulg. *inusitatæ*, a quo vox *ante* aliena est. Conf. ad IV, 33, n. 1, et XLV, 35, n. 1. — *Subductæ;* vide ad VIII, 26, n. 1.

Cap. XLIII. 1. *L. Anicius Quirinalibus triumphavit*, i. e. *XII* Cal. Mart. Conf. Ovid. Fast. II, 527 sq. et Fest. Idem Anicius victoriæ causa memorabiles edidit ludos, de quibus vid. fragm. Polyb. XXX, 13; apud Athen.

nequaquam esse contemnendum. Perdomuerat intra paucos dies terra marique ferocem locisque munitis fretam gentem Illyriorum : regem regiæque omnes stirpis ceperat : transtulit in triumphum[2] multa militaria signa spoliaque alia et supellectilem regiam; auri pondo viginti et septem, argenti decem et novem pondo[3]; denarium tria millia, et centum viginti millia Illyrii argenti. Ante currum ducti Gentius rex cum conjuge et liberis, et Caravantius frater regis et aliquot nobiles Illyrii. De præda militibus in singulos quadragenos quinos denarios, duplex centurioni, triplex equiti, sociis nominis latini quantum civibus, et sociis navalibus dedit quantum militibus. Lætior hunc triumphum est sequutus miles, multisque dux ipse carminibus celebratus. Sestertium ducenties ex ea præda redactum esse, auctor est Antias, præter aurum argentumque, quod in ærarium sit latum : quod quia unde redigi potuerit, non apparebat, auctorem pro re posui. Rex Gentius cum liberis et conjuge et fratre Spoletium in custodiam ex senatusconsulto du-

lib. XIV, 1, ed. Schweigh. XIV, 4.

2. *Transtulit in triumphum;* vide ad XXXIV, 52, n. 2.

3. *Auri XXVII, argenti decem et novem pondo,* etc. argenti minus, quam auri, pondus fuisse, haud probabile. Conf. ipse Liv. XXXVIII, 55. Etiamsi *argenti mille et novem pondo, denarium triginta millia* legas, una cum auro nondum septinginta millia nummum effeceris; Gron. Denariorum forte non tanta Gentio copia fuit, quia nummi romani sunt; Drakenb. Vox *pondo* iteratur, ut XXXVI, 40; XXXVII, 59, al. — *Auri viginti et septem pondo* æquiparat Crev. marcis nostratibus 42, semunciis 3; *argenti decem et novem,* marcis 29, unciis 5, cum semuncia 1. Idem æstimat *denarium tria millia* marcis argenti 46, unciis 7. Ed. — *Centum viginti millia Illyrii argenti;* Crev. nota est: « Non abs re suspicatur Doujatius hic desiderari Victoriatos, quos ex Illyrico primum advectos esse memorat Plinius, lib. XXXIII, cap. 3. Victoriatus autem erat quinarius, sive dimidia pars denarii. Itaque centum viginti millia Victoriatorum efficiunt marcas argenti 937, uncias 4 ». Vide cæterum ad XXXIV, 10, n. 2. Ed. — *Quadragenos quinos denarios,* h. e. ex æstimatione Creverii, uncias argenti 5, grossos, ut vocant, 5. Mox

ctus, cæteri captivi Romæ in carcerem conjecti; recusantibusque custodiam Spoletinis, Igiturvium[4] reges traducti. Reliquum ex Illyrico prædæ ducenti viginti lembi erant. De Gentio rege captos eos Corcyræis et Apolloniatibus et Dyrrachinis Q. Cassius ex senatusconsulto tribuit.

XLIV. Consules eo anno, agro tantum Ligurum populato, quum hostes exercitus nunquam eduxissent[1], nulla re memorabili gesta, Romam ad magistratus subrogandos redierunt, et primo comitiali die consules crearunt M. Claudium Marcellum, C. Sulpicium Gallum. Deinde prætores postero die L. Julium, L. Appuleium Saturninum, A. Licinium Nervam, P. Rutilium Calvum, P. Quintilium Varum, M. Fonteium. His prætoribus duæ urbanæ provinciæ sunt decretæ, duæ Hispaniæ, Sicilia ac Sardinia. Intercalatum eo anno: postridie Terminalia intercalares[2] fuerunt. Augur eo anno mortuus est C. Claudius: in ejus locum augures legerunt T. Quintium Flamininum. Et flamen Quirinalis mortuus Q. Fabius Pictor. Eo anno rex Prusias venit Romam cum filio Nicomede. Is, magno comitatu Urbem ingressus, ad forum a porta tribunalque Q. Cassii prætoris perrexit; concursuque undique facto, *deos, qui urbem Romam incolerent, senatumque et populum romanum salutatum se* dixit *venisse, et gratulatum, quod Persea Gentiumque reges vicissent, Macedonibusque et Illyriis in ditionem*

idem *sestertium ducenties* æquiparat libris argenti 50,000, marcis Parisiensibus 78,125. Ed.

4. *Igiturvium reges* (vid. I, 39, n. 2) *traducti:* immo *Iguvium*, Umbriæ opp., hod. *Eugubio*; Turneb. et Sigon. vide ad Sil. VIII, 459. — *Ex Illyrico prædæ*, Illyriæ; vid. XXXV, 32, n. 3.

Cap. XLIV. 1. *Exercitus nunquam eduxissent*, forte *nusquam;* Duker. et Crever. — *Ad magistratus subrogandos;* vide ad II, 8, n. 4.—*L. Julium* Drakenborch. edidit pro vulgari *L. Livium.*

2. *Postridie Terminalia intercalares fuerunt;* vide ad XLIII, 11, n. 7; Pigh. Ann. ad a. 587, et Drak.

redactis, auxissent imperium. Quum prætor senatum ei, si velit, eo die daturum dixisset, biduum petiit, quo templa deum urbemque et hospites amicosque viseret. Datus, qui circumduceret eum, L. Cornelius Scipio quæstor[3], qui et Capuam ei obviam missus fuerat; et ædes, quæ ipsum comitesque ejus benigne reciperent, conductæ. Tertio post die senatum adit; gratulatus victoriam est; merita sua in eo bello commemoravit; petiit, *Ut votum sibi solvere, Romæ in Capitolio decem majores hostias, et Præneste unam Fortunæ, liceret (ea vota pro victoria populi romani esse); et ut societas secum renovaretur, agerque sibi, de rege Antiocho captus, quem nulli datum a populo romano Galli possiderent, daretur.* Filium postremo Nicomedem senatui commendavit. Omnium, qui in Macedonia imperatores fuerant[4], favore est adjutus. Itaque cætera, quæ petebat, concessa: de agro responsum est, *Legatos ad rem inspiciendam missuros. Si ager populi romani fuisset, nec cuiquam datus esset, dignissimum eo dono Prusiam habituros esse. Si autem Antiochi non fuisset, eo ne populi quidem romani factum apparere; aut si datus Gallis esset, ignoscere Prusiam debere, si ex nullius injuria[5] quidquam ei datum vellet populus romanus. Ne quod detur quidem, gratiam esse donum posse, quod eum, qui det, ubi vellet, ablaturum esse sciat. Facile Nicomedis*

3. *L. Cornelius Scipio quæstor,* qui *P.* dicitur Val. Max. V, 1, § 1. Sed vid. Pigh. in Annal. ad a. 586. — *Ædes, quæ ipsum comitesque ejus benigne reciperent,* hoc mihi mire de ædibus videtur dici, et forsan *benigne* ante *conductæ* ponendum: sed ne hoc quidem valde placet; Duk. *Benigne* est laxe, commode; Ern. Vide ad III, 63, n. 3, ubi citatur Sueton. Calig. 55. Ed. — *Senatum adit,* forte *adiit,* ut mox *gratulatus est, commemoravit, petiit;* Drak.

4. *Omnium, qui in Macedonia imperatores fuerant* pro *omnium imperatorum, qui in M. f.* Conf. ad XL, 20, n. 2.

5. *Ex,* cum, *nullius injuria,* etc. — *Ne quod detur quidem,* forte *quoi;* Mur. Potius *cui;* Crev.

commendationem accipere. Quanta cura regum amicorum liberos tueatur populus romanus, documento Ptolemæum Ægypti regem esse. Cum hoc responso Prusias est dimissus. Munera ei ex * sestertiis[6] jussa dari, et vasorum argenteorum pondo quinquaginta. Et filio regis Nicomedi ex ea summa munera dari censuerunt, ex qua Masgabæ filio regis Masinissæ data essent; et ut victimæ aliaque, quæ ad sacrificium pertinerent, seu Romæ, seu Præneste immolare vellet, regi ex publico, sicut magistratibus romanis, præberentur; et ut ex classe, quæ Brundisii esset, naves longæ viginti assignarentur, quibus uteretur, donec ad classem, dono datam ei, rex pervenisset. L. Cornelius Scipio ne ab eo abscederet, sumptumque ipsi et comitibus præberet, donec navem conscendisset. Mire lætum et ea benignitate[7] in se populi romani regem fuisse, ferunt: munera sibi ipsum emisse[8]; filium jussisse donum populi romani accipere. Hæc de Prusia nostri scriptores. Polybius, eum regem indignum[9] majestate nominis tanti, tradit, pileatum, capite raso, obviam ire legatis solitum, libertumque se populi romani ferre, et ideo insignia ordinis ejus gerere[10]: Romæ quoque, quum veniret in curiam, sub-

6. *Munera ei ex * sestertiis*, forte *ex C. HS.*, i. e. ex centum millibus nummorum, vel *ei decies sestertii;* sed ea nimia videtur summa pro hoc tempore; Gron. — *Pondo quinquaginta*, scilicet, ex Crev. rationibus, marcæ nostrates 78, uncia 1. Ed. — *Ex qua Masgabæ*, etc. vid. sup. cap. 14. — *Ad classem, dono datam ei;* ex hoc loco, observat Crev., si modo sanus est, discimus datam esse a Romanis Prusiæ regi classem, ex navibus nimirum Perseo ereptis. Ed.

7. *Mire lætum et ea benignitate*, etc. τὸ *et* forte del. aut leg. *lætum tanta b.* Manutius conj. *ex* pro *et.* Sed Livium *lætum ex aliqua re* alibi dixisse non memini; Drak.

8. *Munera sibi ipsum emisse*, immo *renuisse;* Gron.

9. *Polybius eum regem indignum*, etc. conf. Polyb. XXX, 16 (ex quo eadem ad verbum pæne descripserunt Diodor. Legat. 22, t. II, p. 625, ed. Wessel. et Appian. Mithrid. cap. 2), et XXXVII, 2, ubi vid. Schweigh. de Prusia patre et filio.

10. *Pileatum, capite raso... gerere;*

misisse se, et osculo limen curiæ contigisse [11], et *deos servatores suos* [12] senatum appellasse, aliamque orationem, non tam honorificam audientibus, quam sibi deformem, habuisse. Moratus circa Urbem triginta haud amplius dies, in regnum est profectus.

vide supra ad librum XXIV, cap. 16, n. 9.

11. *Submisisse se, et osculo limen curiæ contigisse*, etc. καθεὶς τὰς χεῖρας ἀμφοτέρας προσεκύνησε τὸν οὐδὸν καὶ τοὺς καθημένους, ἐπιφθεγξάμενος, χαίρετε, θεοὶ σωτῆρες, Polyb. l. l. ubi nota Reiskii est hæc: « Qui deos adibant, manibus demissis limina templorum osculabantur; vid. Dio Chrysost. pag. 313, 16. Mos ille adhuc obtinet apud Orientales, et obtinuit adhuc sæc. XVI in America; vid. Morini Diss. de osculatione manuum in Comment. Acad. Inscr. t. II ». Conf. sup. ad IX, 18, n. 2. Polybius significare videtur, Prusiam, corpore ad limen inclinato (*submittentem se*), illud utraque manu contigisse atque ita osculatum esse; Duk.

12. *Deos servatores suos*, etc. χαίρετε θεοὶ σωτῆρες Polyb. de quo cognomine deorum hominumque vide ad Tac. Ann. XV, 64, n. 10, et Spanhem. de usu et pro num. Diss. VII, pag. 415.

T. LIVII PATAVINI

FRAGMENTA

DRAKENBORCHII STUDIO COLLECTA

ET NUNC PASSIM AUCTA.

I. QUÆ LAUDANTUR CUM INDICIO LIBRORUM UNDE PETITA SUNT.

LIBRI XIV.

Privato nos tenuissemus.

Vid. Priscian. lib. XV Gramm. p. 1009.

LIBRI XVII.

Pridie nonas. Pridie Idus.

Priscian. lib. XIV Gramm. p. 992.

LIBRI XVIII.

Imberbes.

Putsch. in Corpore vett. Gramm. p. 74 et 2789, et ant. Gramm. apud Barth. Advers. XXXVII, 14.

LIBRI LVI.

Qui Pompeium morbum excusasse ferunt, ne quum interesset deditioni, animos Numantinorum irritaret.

Priscian. lib. XVIII Gramm. pag. 1198, ed. Putsch. ubi male legitur *ex Livio CVII* et *XXVI* pro *LVI*. Nota Drak. est : « Omnino verba hæc referenda

ad Livii lib. LVI, et ad deditum Numantinis Mancinum: nam P. Furius Philus consul, qui Hispaniam citeriorem nactus Mancinum dediturus erat, Q. Pompeium et Q. Metellum legatos secum illuc ire coegit; vid. Val. Max. III, 7, § 5. Pompeius autem quinquennio ante consul eamdem provinciam obtinuerat, et, re male gesta, pacem cum Numantinis inierat, quam postea a se initam esse negavit; vid. Appian. Hisp. 79 sq. et Cic. de Fin. II, 17. Ne igitur, cum Furio cos. legatus in Hispaniam profectus, Mancini deditioni interesse deberet, et, præsentia sua nuperæ fraudis ac perfidiæ memoria revocata, animos Numantinorum irritaret, morbum excusare potuit.

LIBRI XCI.

Tamen insequenti ipso pervigilante eodem loco alia excitata turris prima luce miraculo hostibus fuit, simul et oppidi turris, quæ maximum propugnaculum fuerat, subrutis fundamentis, dehiscere ingentibus rimis, et tu . . . . jus . . um igni cœpit : incendiique simul et ruinæ metu territi Contrebienses de muro trepidi effugerunt; et ut legati mitterentur ad dedendam urbem, ab universa multitudine conclamatum est. Eadem virtus, quæ irritantes oppugnaverat, victorem placabiliorem fecit. Obsidibus acceptis pecuniæ modicam exegit summam, armaque omnia ademit; transfugas liberos vivos ad se adduci jussit et fugitivos, quorum major multitudo erat. Ipsis imperavit, ut interficerent. Jugulatos de muro dejecerunt. Cum magna jactura militum quatuor et quadraginta diebus Contrebia expugnata, relictoque ibi L. Justeio . . ad Hiberum flumen copias adduxit. Ibi hibernaculis secundum oppidum, quod Castra Ælia vocatur, ædificatis, ipse in castris manebat; interdiu conventum sociarum civitatium in oppido agebat. Arma ut fierent pro copiis cujusque populi, per totam provinciam edixerat. Quibus inspectis referre cætera arma milites jussit, quæ aut itineribus crebris aut oppu . . . f . . . an . . . . . tione inita, qu . di . culo effici possit.

Itaque omnes simul justa . . m . . . . tur, neque materia artificibus, præparatis ante omnibus . nixo civitium [civitatium vel civium] . . idio, nec suo quisque operi artifex deerat . . . . . quæque in oppugnandis urbibus hostium gessisset, exposuit, et ad reliqua belli cohortatus est paucis edoctos, quantum Hispaniæ provinciæ interesset, suas partes superiores esse. Dimisso deinde conventu, jussisque omnibus ibi . . . . . re suas principio veris M. Perpernam cum viginti millibus peditum, equitibus mille quingentis in Ilurcaonum [Ilernaonum] gentem misit ad tuendam regionis ejus maritimam oram, datis præceptis, quibus itineribus duceret ad defendendas socias urbes, quas Pompeius oppugnaret, quibusque ipsum agmen Pompeii ex insidiis aggrederetur.

Eodem tempore et ad Herennuleium, qui in iisdem locis erat, literas misit, et in alteram provinciam ad L. Hertuleium [Hirtuleium] præcipiens, quemadmodum bellum administrare [administrari vel administrare ipsum] vellet, ante omnia ut ita socias civitates tueretur, ne acie cum Metello dimicaret, cui neque auctoritate, neque viribus par esset . . . . m consilium . . . . versum . . . neque in aciem descensurum eum credebat, si traheretur bellum : hosti, quum mare ab tergo provinciasque omnes in potestate haberet, navibus undique commeatus venturos; ipsi autem, consumptis priore æstate, quæ præparata fuissent, omnium rerum inopiam fore.

Perpernam in maritimam regionem sub . . tum . . . . . a geri, quum ab se oppugnarentur Celtiberi ut . . . . . armis . . . . . æmu . . . . . maritimamne oram, ut Pompeium ab Ilercaonia et Contestania arceat, utraque socia gente,

an ad Metellum et Rusitaniam [Lusitaniam] se convertat? Hæc secum agitans Sartorius præter Hiberum amnem per pacatos agros quietum exercitum sine ullius noxa duxit. Profectus inde in Bursaonum et Casuantinorum [Gascantinorum] et Graccuritanorum fines, evastatis omnibus proculcatisque segetibns, ad Calagurim Nasicam sociorum urbem benit [venit], transgressusque amnem propinquum urbi, ponte facto, castra posuit.

Postero die M. Masium quæstorem in Arvacos [Arevacos] et Cerindones [Pelendones] misit ad conscribendos ex iis gentibus milites frumentumque inde Contrebiam (Leucada appellatur) comportandum, præter quam urbem opportunissimus ex Beronibus transitus erat, in quamcumque regionem ducere exercitum statuisset; et C. Instelum [Insteium] præfectum equitum Segoviam et in Vacreorum [Vacæorum s. Vaccæorum] gentem ad equitum conquisitionem misit, jussum cum equitibus Contrebiæ sese opperiri. Dimissis iis ipse profectus, per Umconum [Vasconum] agrum ducto exercitu, in confinio Vironum [Beronum] posuit castra. Postero die cum equitibus prægressus ad itinera exploranda, jusso pedite quadrato agmine sequi, ad Vareiam validissimam regionis ejus urbem venit. Haud inopinantibu . . . . advenerat, undique et suæ gentis et Autrig . . . . . .

Hoc est fragmentum illud, quod a se in Biblioth. Vatic. Romæ an. 1773 inventum esse et P. Jac. *Bruns* et Vit. Mar. *Giovenazzi* gloriatur. Ab illo editum est Hamb. 1773; ab hoc bis, Romæ et Neap. 1773, cum permultis verbosisque notis cura Franc. Cancellieri; quæ editio repetita est Lips. 1775, cum præf. J. A. Ernesti. Emendationes *Giovenazzi* abbatis inserui uncinis inclusas; sed alias adjecit J. *Ihre*, qui idem fragmentum notis criticis illustravit Upsalæ 1777. Is lin. 1 post *insequente* excidisse putabat *nocte*, et deinde alias commendavit lectiones, v. c. *vetera arma*, etc. Conf. Gotting. *gel. Anz.* a. 1774, p. 11 sq. et a. 1777, Additam. p. 669 sq.

LIBRI XCIV.

Livius, in libro XCIV, Inarimem in partibus Mæoniæ esse dicit; ubi per quinquaginta millia terræ igni exustæ sunt. Hoc etiam Homerum significasse vult.

Serv. ad Virg. Æn. IX, 715. — Conf. Salmas. ad Solin. p. 68, 6.

LIBRI CIII.

Horrendus magis est, premit qui corpora, carbo.
Urit hic inclusus, vitalia rumpit acerbus.
Hunc veteres quondam variis pepulere medelis.
Tertia namque Titi simul et centesima Livi
Charta docet, ferro talem candente dolorem
Exactum, aut poto raporum semine pulsum;
Infecti dicens vix septem posse diebus
Vitam produci: tanta est violentia morbi.

Q. Seren. Samon., de Medic. cap. 39, v. 725 sq.

LIBRI CXII.

Castra quoque diversis partibus Cassius et Bogud adorti haud multum abfuere, quin opera perrumperent.

Quo tempore firmandi regni Bogudis causa exercitum in Africam velociter trajicere conatus sit.

Cassius gessisset cum Trebonio bellum, si Bogudem trahere in societatem furoris potuisset.

Priscian. Gramm. lib. VI, p. 686 et 687.

LIBRI CXIII.

Et ipse circa Pulpud oram tuebatur.

Priscian. l. l. qui etiam lib. V, p. 643, docet, *Livium Bogud, Bogudis declinasse in CXIII;* nisi leg. *CXII.*

LIBRI CXVIII.

Adversus interfectores C. Cæsaris ultoribus manum comparans concibat.

Priscian. Gramm. lib. IX, p. 865, ubi male in MSS legitur *ex Livii libro XIIX*, et *XVIII*, et *XCVIII*. Conf. Barth. Gramm. V, 35, et ad Stat. Theb. IV, 146.

LIBRI CXXVII.

Quoniam inter Augustum et Antonium reliquiæ adhuc erant dissensionis, Cocceius Nerva, proavus Nervæ, qui postea imperavit Romæ, mandavit Augusto, ut mitteret Tarracinam, qui de summa rerum tractarent. Ergo missus est Mæcenas cum Agrippa, qui utrumque exercitum juxta Brundisium in una castra cum magna lætitia coegerunt, ut ait Livius libro CXXVII. Intelligendum autem, quod, Fonteio misso ab Antonio, Augustus Mæcenatem et cæteros ad eumdem locum emiserit.

Acro, Porphyrio et commentator vetus Cruquii ad Horat. Sat. I, 5, 29, verbis paulum variantibus.

LIBRI CXXXVI.

Eodem anno ludos seculares Cæsar ingenti apparatu fecit; quos centesimo quoque anno (is enim terminus seculi) fieri mos.

Censorin. de Die natali, cap. 17. Horum ludorum mentio facta videtur in deperdita Epit. Liv. lib. CXXXVI.

II. QUÆ PROBABILI CONJECTURA AD SUOS LIBROS REFERRI POSSUNT EX EPITOMIS LIBRI LIVII.

AD. LIB. XIII.

Curribus falcatis usos esse majores, et Livius et Sallustius docent.

Serv. ad Virg. Æn. I, 476. — Conf. Freinsh. Suppl. XIII, 38.

AD LIB. XIII, AUT XIV.

Ni Pyrrhus unicus pugnandi artifex magisque in prælio, quam bello, bonus.

Serv. ad Virg. Æn. I, 456.

AD LIB. XVI.

Sichæus dictus est Sicharbas; Belus, Didonis pater, Methres; Carthago a Carthada, ut lectum est: quod invenitur in historia Pœnorum et in Livio.

Carthago est lingua Pœnorum nova civitas, ut docet Livius.

Bitias classis Punicæ fuit præfectus, ut docet Livius.

Serv. ad Virg. Æn. I, 343, 366, 738.

AD LIB. XVIII.

Serpentis quoque a Tito Livio curiose pariter ac facunde relatæ fiat mentio. Is enim ait, in Africa apud Bagradam flumen tantæ magnitudinis anguem fuisse, ut Atilii Reguli exercitum usu amnis prohiberet; multisque militibus ingenti ore correptis, compluribus caudæ voluminibus elisis, quum telorum jactu perforari nequiret, ad ultimum balistarum tormentis undi-

que petitam, silicum crebris et ponderosis verberibus procubuisse, omnibusque et cohortibus et legionibus ipsa Carthagine visam terribiliorem. Atque etiam cruore suo gurgitibus imbutis, corporisque jacentis pestifero afflatu vicina regione polluta, romana inde submovisse castra. Dicit belluæ etiam corium centum viginti pedes longum in urbem missum.

Val. Max. I, 8, extr. 19.

AD LIB. XIX.

Tertii ludi seculares fuerunt, Antiate Livioque auctoribus, P. Claudio Pulchro et C. Junio Pullo consulibus.

Censorin. de Die nat. cap. 17. — Cf. Freinsh. Suppl. XIX, 31.

Est in Livio, quod, quum quidam cupidus belli gerendi a tribuno plebis arceretur, ne iret, pullos jussit afferri. Qui quum missas non ederent fruges, irridens consul augurium ait: Vel bibant, et eos in Tiberim præcipitavit. Inde navibus victor revertens ad Africam in mari cum omnibus, quos ducebat, exstinctus est.

Serv. ad Virg. Æn. VI, 198. Hoc ad Claudium Pulchrum spectare, sed ab aliis aliter narrari, monet ibi Burm. Conf. Intpp. Suet. Tib. 2, et Duker. ad Flor. II, 2, § 29, cui totum hoc, quod ex Livio refert Servius, suspectum videbatur, tamquam ex Claudii Pulchri historia fictum, vel male descriptum.

AD LIB. XLIX.

De quartorum ludorum secularium anno triplex opinio est. Antias enim et Varro et Livius relatos esse prodiderunt L. Marcio Censorino, M. (M'.) Manilio consulibus, post Romam conditam a. DCV.

Censorin. de Die nat. cap. 17. — Conf. Epit. Liv.

AD. LIB. LXXVII.

Sulla nobilissimum contrahit conjugium Cæcilia ducta, Metelli pontificis maximi filia. Hinc cecinit multa in eum probrose vulgus, multique ex primoribus inviderunt ei, indignum illa femina existimantes, ut Titus ait, quem consulatu judicassent dignum.

Plut. in vita Sullæ, p. 455. — Cf. Freinsh. Suppl. LXXVII, 2.

Sulla quum primum ad Urbem contra Marium castra movisset, adeo læta exta immolanti fuisse scribit Livius, ut custodiri se Postumius haruspex voluerit, capitis supplicium subiturus, nisi ea, quæ in animo Sulla haberet, diis juvantibus implevisset.

Augustin. de Civ. Dei, II, 24. — Conf. Plut. l. l. p. 457.

AD LIB. LXXXIII.

Eversis quippe et incensis omnibus cum oppido (Ilio a Fimbria) simulacris, solum Minervæ simulacrum sub tanta ruina templi illius, ut scribit Livius, integrum stetisse perhibetur.

Augustin. de Civ. Dei, III, 7. — Cf. Epit. et Freinsh. Supplem. LXXIII, 7. — Auctor de Viris ill. cap. 70. — Appian. Bell. Mithrid. cap. 53 et 61. — Obseq. de Prod. cap. 116.

AD LIB. XCI.

Hoc primum prælium inter Sertorium et Pompeium fuit. Decem millia hominum de Pompeii exercitu amissa et omnia impedimenta, Livius auctor est.

Frontin. Strat. II, 5, 31. — Cf. Freinsh. Suppl. XCI, 19.

AD LIB. XCVII.

Triginta quinque millia armatorum (fugitivorum a

Crasso devictorum) eo prælio interfecta cum ipsis ducibus [Casto et Gannico vel Granico], Livius tradit, receptas quinque Romanorum aquilas, signa sex et viginti, multa spolia, inter quæ quinque fasces cum securibus.

Frontin. Strat. II, 5, 34. — Conf. ad Epit. Liv.

AD LIB. XCVIII.

Livius dicit, nunquam Romanos signa cum hostibus contulisse tanto numero inferiores: nam vigesimam vix militum partem, immo minorem, fuisse victoribus.

Plut. in Lucullo, pag. 511, ubi memoratur prælium inter Lucullum et Tigranem ad Tigranocerta. — Conf. Epit. et Freinsh. Suppl. XCVIII, 49.

Livius auctor est, priore prælio [ad Tigranocerta] plures fuisse, in hoc [ad Artaxata] nobiliores hostium cæsos et captos.

Plut. l. l. p. 513. — Conf. Epit. et Freinsh. Suppl. cap. 73.

AD LIB. XCIX.

Creta primo quidem centum habuit civitates; unde Hecatompolis dicta est: post viginti quatuor; inde, ut dicitur, duas, Gnoson et Hierapidnam. Quamvis Livius plures a Metello expugnatas dicat.

Serv. ad Virg. Æn. III, 106. — Conf. Epit.

AD LIB. CII.

Quod quum diluisset.

Agroetius, de Orthogr. in Putschii Corp. Gramm. p. 2267, et Gothofred. Auct. Ling. Lat. pag. 1352, qui Livium de morte Mithridatis id dixisse tradunt.

Etenim capta urbe (Hierosolyma a Cn. Pompeio) ter-

tio demum mense, die jejunii, Olympiade CLXXIX, C. Antonio et M. Tullio Cicerone consulibus, quum hostes vi ingressi eos, qui erant in templo, jugularent, nihilo secius rem hi divinam facere perseverabant, neque metu vitæ amittendæ, neque ob multitudinem hominum jam cæsorum in fugam compulsi, et satius esse rati, quidquid pati esset necesse, ad ipsas perferre aras, quam aliquid legibus patriis præceptum negligere. Hæc autem non esse fabulosa, unice ad falsam pietatem prædicandam spectantia, sed vera, testimonio sunt, qui res a Pompeio gestas memoriæ prodiderunt; in his Strabo et Nicolaus, ac præter hos T. Livius, historiæ romanæ scriptor.

Joseph. Ant. Jud. XIV, 4, 3, p. 689.

AD LIB. CV.

Britanniæ licet magnitudinem olim nemo, ut refert Livius, circumvectus est, multis tamen data est varia opinio de ea loquendi.

Jornandes, de Rebus Get. cap. 2.

AD LIB. CVIII.

Septingentesimo conditionis suæ anno XIV vicos ejus (Romæ) incertum unde consurgens flamma consumpsit: nec unquam, ut ait Livius, majore incendio vastata est, adeo ut post aliquot annos Cæsar Augustus ad reparationem eorum, quæ tunc exusta erant, magnam vim pecuniæ ex ærario publico largitus sit.

Oros. VI, 14, et VII, 2, coll. Obseq. de Prod. cap. 125, ex quibus colligitur, hoc incendium fuisse anno proximo ante bellum civile inter Pompeium et Cæsarem, cujus initium memoratur primis verbis Epit. CIX.

AD LIB. CIX.

Cæsar, Rubicone flumine transmeato, mox ut Ariminum venit, quinque cohortes, quas tunc solas habebat, cum quibus, ut ait Livius, orbem terrarum adortus est, quid facto opus esset, edocuit.

Oros. VI, 15. — Idem refert Guilelmus Malmesburiensis, Rer. Angl. lib. II, p. 183: forte non ex Livio, sed Orosio.

AD LIB. CXI.

Primus hostem percussit nuper pilo sumpto primo C. Crastinus.

Schol. vet. Lucani, VII, 471. — Crastinus, qui anno priore primum pilum duxerat, primus telum emisit in pugna Pharsalica. — Vid. Appian. Bell. Civ. II, 82. — Plut. Cæs. p. 729. — Cæs. Bell. Civ. III, 91, 99.

Patavii C. Cornelius, auguralis scientiæ peritus, Livii historici civis et familiaris, sub idem forte tempus operam dabat auspicio. Hic primum, ut Livius tradit, tempus prælii (Pharsalici) cognovit, præsentibusque geri dixit nunc rem, et prælium duces committere. Ubi iterum cepit augurium conspexitque signa, fanaticus exsiliit clamans: Vincis, Cæsar. Obstupescentibus illis, qui aderant, detracta capiti corona juravit, non prius se repositurum eam, quam arti respondisset eventus. Hoc Livius verum esse affirmat.

Plut. in Cæs. p. 730. — Conf. Freinsh. Suppl. CXI, 72. — Gell. XV, 18. — Lucan. VII, 192. — Dio et Obseq.

AD LIB. CXII.

Quadringenta millia librorum Alexandriæ arserunt, pulcherrimum regiæ opulentiæ monimentum. Alius

laudaverit, sicut Livius, qui elegantiæ regum curæque egregium id opus ait fuisse.

Seneca, de Tranq. An. cap. 9. — Conf. Oros. VI, 15. — Dio, XLII, 38. — Heynii Opusc. Acad. t. I, p. 119 sq.

AD LIB. CXIV.

Hæc de Basso produnt nonnulli; Livius vero, militasse eum Pompeii auspiciis: quo victo privatum egisse Tyri, corruptisque quibusdam legionariis effecisse, ut, interfecto Sexto, ipsum sibi ducem sumerent.

Appian. Bell. Civ. III, 77, ubi pro Αἰδῶνι legendum esse Ἀιδίῳ recte, opinor, conjecit Schweigh. et jam ante eum Periz. Animadv. hist. cap. 4, p. 177.

Optarem mihi contingere, quod T. Livius scribit de Catone; cujus gloriæ neque profuit quisquam laudando, nec vituperando quisquam nocuit, quum utrumque summis præditi fecerint ingeniis. Significat autem M. Ciceronem et C. Cæsarem, quorum alter laudes, alter vituperationes supra dicti scripsit viri.

Hieron. Prol. lib. II in Hoseam.

AD LIB. CXVI.

Ædibus Cæsaris ornatus majestatisque causa ex SCto adjunctum erat fastigium, ut auctor est Livius. Id per quietem Calpurnia collabi imaginata videbatur sibi lamentari et flere. Itaque orta luce rogavit Cæsarem, si qua fieri posset, ne prodiret in publicum, sed in aliud tempus senatum rejiceret.

Plut. Cæs. p. 738. — Conf. Suet. Cæs. 81, ibique Intpp.

Malum omen est, quoties Ætna, mons Siciliæ, non fumum, sed flammarum egerit globos; et, ut dicit Livius, tanta flamma ante mortem Cæsaris ex Ætna monte defluxit, ut non tantum vicinæ urbes, sed etiam

Rhegina civitas, quæ multo spatio ab ea distat, afflaretur.

Serv. ad Virg. Georg. I, 471.

Quod de Cæsare olim majore vulgo dictitatum est et a T. Livio positum, in incerto esse, utrum illum magis nasci reipublicæ profuerit, an non nasci, dici etiam de ventis potest.

Seneca, Nat. Quæst. V, 18.

AD LIB. CXX.

M. Cicero sub adventum triumvirorum cesserat Urbe, pro certo habens, id quod erat, non magis Antonio eripi se, quam Cæsari Cassium et Brutum, posse. Primo in Tusculanum fugit, inde transversis itineribus in Formianum, ut ab Caieta navim conscensurus, proficiscitur. Unde aliquoties in altum provectum quum modo venti adversi retulissent, modo ipse jactationem navis, cæco volvente fluctu, pati non posset, tædium tandem eum et fugæ et vitæ cepit; regressusque ad superiorem villam, quæ paulo plus mille passibus a mari abest, « Moriar, inquit, in patria sæpe servata ». Satis constat, servos fortiter fideliterque paratos fuisse ad dimicandum; ipsum deponi lecticam et quietos pati, quod fors iniqua cogeret, jussisse. Prominenti ex lectica præbentique immotam cervicem caput præcisum est. Nec satis stolidæ crudelitati militum fuit. Manus quoque, scripsisse in Antonium aliquid exprobrantes, præciderunt. Ita relatum caput ad Antonium, jussuque ejus inter duas manus in Rostris positum, ubi ille consul, ubi sæpe consularis, ubi eo ipso anno adversus Antonium, quanta nulla unquam humana vox, cum admiratione

eloquentiæ auditus fuerat. Vix attollentes [præ] lacrymis oculos homines intueri trucidata membra ejus poterant.

Vixit tres et sexaginta annos, ut, si vis, abfuisset ne immatura quidem mors videri possit : ingenium et operibus et præmiis operum felix : ipse fortunæ diu prosperæ, et in longo tenore felicitatis magnis interim ictus vulneribus, exsilio, ruina partium, pro quibus steterat, filiæ morte, exitu tam tristi atque acerbo. Omnium adversorum nihil, ut viro dignum erat, tulit præter mortem ; quæ vere æstimanti minus indigna videri potuit, quod a victore inimico nil crudelius passus erat, quam quod ejusdem fortunæ compos ipse fecisset. Si quis tamen virtutibus vitia pensavit; vir magnus, acer, memorabilis fuit, et in cujus laudes persequendas Cicerone laudatore opus fuerit.

M. Seneca, Suasor. VII. — Conf. Gron. Obss. IV, 13, p. 213.

AD LIB. CXXXIII.

Livius refert, Cleopatram, quum ab Augusto capta indulgentius de industria tractaretur, idemtidem dicere solitam : Οὐ θριαμβεύσομαι, Non triumphabor.

Acron, Porphyrio et commentator vetus Cruquii ad Horat. Od. I, 37, 30. — Conf. Flor. IV, 11 extr.

III. INCERTA EX QUIBUS LIVII LIBRIS DESUMPTA SINT.

Vir ingenii magni magis, quam boni.

Seneca, de Ira, I, 16.

Profiteor, mirari me, T. Livium, auctorem celeberrimum, in historiarum suarum, quas repetit ab origine Urbis, quodam volumine sic exorsum : Satis jam

sibi gloriæ quæsitum, et potuisse se desinere, ni animus inquies pasceretur opere.

Plin. in Præfat. lib. I Hist. Nat.

T. Livius ac Nepos Cornelius latitudinis (freti Gaditani) tradiderunt, ubi minimum, septem millia passuum; ubi vero plurimum, decem millia.

Plin. Præf. lib. III Hist. Nat.

Completis consulibus.

Serv. ad Virg. Georg. III, 1.

Verba sunt, ut habemus in Livio, imperatoris transfugam recipientis in fidem: Quisquis es, noster eris.

Serv. ad Virg. Æn. II, 148.

Impubes libripens esse non potest, neque antestari.

Priscian. lib. VIII Gramm. p. 792. De sensu horum verborum vide viros doctos ad Caii Institut. l. 1, tit. 6, p. 57, 58, et inpr. Gerard. Meerman. in Diss. de rebus mancipi et nec mancipi, § 268 et 273.

Imperatorem me mater mea, non bellatorem peperit.

Hoc Scipionis dictum ex Livio afferre videtur Guilelmus Malmesburiensis, Rer. Angl. lib. II, p. 162.

Dic mihi, quum sæpe numero in romanis historiis legatur, Livio auctore, sæpissime in hac Urbe exorta pestilentia infinita hominum millia deperiisse, atque eo frequenter ventum, ut vix esset, unde illis bellicosis temporibus exercitus potuisset adscribi, illo tempore deo tuo Februario minime litabatur? An etiam cultus hic omnino nihil proderat? Illo tempore Lupercalia non celebrabantur? Nec enim dicturus es, hæc sacra adhuc illo tempore non cœpisse, quæ ante Romulum ab Evandro in Italiam perhibentur illata. Lupercalia autem propter quid instituta sint (quantum ad ipsius superstitionis commenta respectant),

Livius secunda decade loquitur : nec propter morbos inhibendos instituta commemorat, sed propter sterilitatem mulierum, quæ tunc acciderat, exsolvendam.

Ex Gelasii Papæ Epist. adversus Andromachum in Baronii Annal. Eccles. ad an. 496, num. 35.

IV. ALIA QUÆ AN LIVII SINT NOSTRI, AUT CERTE EX HISTORIA EJUS DEPROMPTA, DUBIUM EST.

Apud Nympham Atlantis filiam Calypsonem.

Priscian. lib. VI Gramm. p. 685.

Et reparando suggressu manu haud magna Allifæ mœnia, quasi palans perveniens, ex oppido bellum instructa armamentis erupit, quam consul vi captam, trucidatis, qui in ea constiterant, reservat ad pugnam. Sed oppidani, sicut quibus curæ pusillum inerat, in diem alterum umbonibus belluatis paucos fugaces invadunt, elephantemque omine meliori receptant, et Allifas, Rufium quondam vocitatas, ab dextro sequente sinistrum, augurio nomen imponunt accolæ.

Hæc verba Liv. XXII, 18, 5, post illa *super Allifas loco alto ac munito consedit* inserta legi in cod. Laudino I monuit *Hearne*. Eadem deprehendit Drak. in MS Recanatiano, sed sic variata :

Et reparando suggressus haud magis Alifæ mœnia quum palans perveniens ex oppido bellua constā a Romanis erupit, quam consul vi captam, trucidatis, qui in ea constiterant, reservat ad pugnam. Sed oppidani, sicut queis curæ pusillum inerat in diem altam umbonibus beluatis paucos fugaces invadunt, elephantemque meliorem receptant. Et Alifas Rufrium quondam vocitatas ab dextro sequente sinisteriorum augurio nomen imponunt accolæ.

Fragmentum hoc spurium esse censebant Cuper. de elephantis in nummis, cap. 4; *Hearne*, Drakenb., Stroth. et alii : sed genuinum Dodwell. in singulari

dissert., quæ etiam in edit. Livii Drak. t. VII, p. 182 sq. reperitur. In ea explicare quidem conatur obscurissima hæc verba; sed multis tentatis tandem profitetur, se vereri, ne operam luserit et non ipsum forte Livium, sed Æthiopem lavarit.

T. Livius tam iniquus Sallustio fuit, ut hanc ipsam sententiam, *Res secundæ mire sunt vitiis obtentui* et tanquam translatam, et tanquam corruptam dum transfertur, objiceret Sallustio. Nec hoc amore Thucydidis facit, ut illum præferat. Laudat, quem non timet, et facilius putat posse a se Sallustium vinci, si ante a Thucydide vincatur.

Seneca, Controv. XXIV.

T. Livius de oratoribus, qui verba antiqua et sordida consectantur, et orationis obscuritatem severitatem putant, aiebat, Miltiadem rhetorem eleganter dixisse Ἐπὶ τῷ πλησίον μαίνονται.

Seneca, Controv. XXV.

EPITOMÆ

LIBRORUM LIVII

EPITOMÆ*

LIBRORUM LIVII.

EPITOME LIBRI I.

Adventus Æneæ in Italiam, et ejus res gestæ referuntur. Ascanii regnum Albæ, et deinceps Silviorum[1]. Numitoris filia, a Marte compressa, nati Romulus et Remus. Amulius obtruncatus. Urbs a Romulo condita. Senatus lectus. Cum Sabinis bellatum. Opima spolia Jovi Feretrio lata. In curias populus[2] divisus. Fidenates et Veientes victi. Romulus consecratus. Numa Pompilius ritus sacrorum tradidit; Jano templum constituit; ejusque portam, pacatis omnibus circa populis, primus clausit. Cum dea Egeria sibi congressus nocturnos esse simulans, feroces populi

* *Epitomæ*, i. e. brevia singulorum librorum argumenta, sive a Livio, sive a Floro, sive ab alio quo scripta sunt (hæc enim omnia traduntur), ad romanas certe res illustrandas accommodatissimæ sunt; præsertim vero ubi Liviana historia excidit. Qua in parte Livianam apud quemque obtinere debent auctoritatem. Ed.

Epit. I. 1. *Adventus Æneæ in Italiam et res ab eo gestæ; Ascanii regnum Albæ et Sylvii Æneæ, ac deinceps Sylviorum regum primo libro continentur:* hæc est lectio editionum tantum non omnium. Sed e MSS legendum esse: *A. A. in I. et ejus res gestæ* (vel *res ab eo gestæ*) *referuntur. Ascanii r. A. et deinceps Silviorum*, et in seqq. etiam multa interpolatoribus deberi, probabile fecit Drakenb. — *Nati Romulus et Remus;* unus ab Hearnio inspectus codex habet *nati ex ea.* Ed.

2. *In curias populus divisus* ex emend. Sigon. quam firmat Livius, I, 13, et probavit Duker. ad Flor. I, 6, § 3. *In centurias* male MSS et vett. edd. ut contra apud Flor. l. l. *curiis*

animos ad religionem perpulit. Tullus Hostilius Albanos bello petiit. Post hæc trigeminorum pugna[3]. Horatius absolutus. Metti Fuffetii supplicium. Alba diruta, Albani in civitatem recepti. Sabinis bellum indictum. Ad postremum fulmine Tullus absumptus. Ancus Marcius ceremonias, a Numa institutas, renovavit. Latinis victis et ad civitatem adscitis montem Aventinum assignavit. Politorium, urbem Latinorum, bello repetitam, quam prisci Latini occupaverant, diruit. Pontem sublicium in Tiberim fecit[4]. Janiculum collem Urbi addidit. Fines imperii protulit. Ostiam condidit. Regnavit annos viginti quatuor[5]. Eo regnante Lucumo, Damarati Corinthii filius, a Tarquiniis, Etruriæ civitate, Romam venit; et, in amicitiam Anci receptus, Tarquinii nomen ferre cœpit; et post mortem Anci regnum excepit. Centum additis, Patrum numerum auxit. Latinos subegit, circum designavit, ludos edidit. Sabinorum bello petitus equitum centurias ampliavit. Tentandæ scientiæ causa Atti Navii auguris, consuluisse fertur, an id, de quo cogitaret, effici posset: quod quum ille fieri posse respondisset, jussisse, eum novacula cotem præcidere; idque protinus ab Atto factum. Sabinos præterea acie vicit, urbem muro circumdedit, cloacas fecit. Occisus est ab Anci filiis, quum regnasset annos triginta octo. Successit ei Ser. Tullius, natus ex captiva nobili Corniculana; cui

pro *centuriis*, quem errorem ex compendio scribendi ortum suspicabatur Drakenb.

3. *Trigeminorum pugna*, al. *tergem. p.* vide ad Liv. I, 24, n. 1. — *Politorium, urbem Latinorum*, etc. Hæc notat Crever. ob nimiam brevitatem obscuriora. Res clare narratur cap. 33 hujus libri. Ed.

4. *Pontem sublicium in Tiberim fecit;* vide ad Liv. I, 33, n. 8; pag. 104, primi vol. hujus editionis. Ed.

5. *Regnavit annos viginti quatuor;* vett. edd. præferebant *annos triginta quatuor*, sed male; vide nempe infra ad cap. 34. Nostram cæterum lectionem Hearnius testatur se in uno MS reperisse. Ed.

puero, adhuc in cunis posito, caput arsisse traditum est. Veientes atque Etruscos prælio fudit. Censum primus egit. Lustrum condidit, quo civium capita censa octoginta millia esse dicuntur. Classes centuriasque descripsit. Pomœrium protulit. Colles Urbi, Quirinalem, Viminalem, Esquilinumque adjecit. Templum Dianæ cum Latinis in Aventino fecit. Interfectus est a L. Tarquinio, Prisci filio, consilio filiæ suæ Tulliæ, quum regnasset annos quadraginta quatuor. Post hunc L. Tarquinius Superbus, neque Patrum, neque populi jussu, regnum invasit: quo die scelerata Tullia per patris jacentis corpus carpentum egit. Armatos circa se ad custodiam corporis sui habuit. Turnum Herdonium fraude interemit. Bellum cum Volscis gessit; et ex eorum præda templum Jovi in Capitolio fecit. Terminus et Juventas non addixere: quorum aræ moveri non potuerunt. Filii Sex. Tarquinii dolo Gabios in potestatem suas redigit. Hujus filiis Delphos profectis, et consulentibus, quis eorum regnaturus esset Romæ, dictum est, eum regnaturum, qui primus matrem osculatus esset. Quod responsum quum ipsi aliter interpretarentur, Junius Brutus, qui cum iis profectus erat, prolapsum se simulavit, et terram osculatus est: idque factum ejus eventus rei comprobavit. Nam quum, impotenter se gerendo, Tarquinius Superbus omnes in odium sui adduxisset, ad ultimum, propter expugnatam nocturna vi a Sexto filio ejus Lucretiæ pudicitiam (quæ, vocato patre ad se Tricipitino et viro Collatino, obtestata, ne inulta mors esset, cultro se interemit) Bruti opera maxime expulsus est, quum regnasset annos viginti quinque. Tunc consules primum creati sunt L. Junius Brutus et L. Tarquinius Collatinus.

EPITOME LIBRI II.

Brutus jurejurando populum adstrinxit, neminem regnare Romæ passuros. Tarquinium Collatinum, collegam suum, propter affinitatem Tarquiniorum suspectum, coegit consulatu se abdicare, et civitate cedere. Bona regum diripi jussit : agrum Marti consecravit, qui Campus Martius nominatus est. Adolescentes nobiles, in quibus suos quoque et sororis filios [1], quia conjuraverant de recipiendis regibus, securi percussit. Servo indici, cui Vindicio nomen fuit, libertatem dedit : ex cujus nomine vindicta est appellata. Quum adversus reges, qui, contractis Veientium et Tarquiniensium copiis, bellum intulerant, exercitum duxisset, in acie cum Arunte, filio Superbi, commortuus est; eumque matronæ annum luxerunt. P. Valerius consul legem de provocatione ad populum tulit. Capitolium dedicatum est. Porsena, rex Clusinorum, bello pro Tarquiniis suscepto, quum ad Janiculum venisset, ne Tiberim transiret, virtute Coclitis Horatii prohibitus est; qui, dum alii pontem sublicium rescindunt, solus Etruscos sustinuit; et, ponte rupto, armatus se in flumen misit, et ad suos tranavit. Alte-

Epit. II. 1. *Suos quoque et sororis filios* ex emend. Sigon. pro vulg. *et fratris filios.* Neutra lectio aliorum scriptorum auctoritate firmatur, et Sigon. perperam provocat ad Liv. IV, 15, ubi vid. n. 3. Aquillii Vitelliique ex sororibus duabus, vel soli Aquillii ex sorore Tarquinii Collatini consulis, non Bruti, nati erant. Illud tradit Plut. in Poplic. pag. 98, hoc Dionys. lib. IV, pag. 281, 283. Vitelliorum vero soror Bruti uxor dicitur Liv. II, 4; Plut. et Dionys. ll. ll. Hinc Drakenb. suspicatur, e cod. Voss. 1, legendum esse *suos quoque fratres et filios*, et *fratres* dici fratres uxoris, qui singulare nomen apud Romanos non habuerint; vid. Isidor. Orig. X, 8. — *Exercitum duxisset, in acie cum Arunte*, etc. *Exercitum deduxisset* Voss. pr. et Berg. *Exercitum traduxisset in aciem* Boend. *in aciem* etiam habent antiquiores editi. Male, ait Drak. Vulgatum recte indicat, Brutum in acie cecidisse : ut Livius quoque narrat mox cap. 6. Ed.

rum accessit virtutis exemplum a Mucio: qui, quum ad feriendum Porsenam castra hostium intrasset, occiso scriba, quem regem esse putabat, comprehensus, impositam altaribus manum, in quibus sacrificatum erat, exuri passus est; dixitque, tales trecentos esse conjuratos in mortem ipsius regis. Quorum admiratione coactus Porsena pacis conditiones ferre, bellum omisit, acceptis obsidibus. Ex quibus virgo una Cloelia, deceptis custodibus, per Tiberim ad suos tranavit: et, quum reddita esset, a Porsena honorifice remissa, equestri statua donata est. Ap. Claudius ex Sabinis Romam transfugit: ob hoc Claudia tribus adjecta est. Numerus tribuum ampliatus est, ut essent viginti una[2]. Adversus Tarquinium Superbum, cum Latinorum exercitu bellum inferentem, A. Postumius dictator prospere pugnavit apud lacum Regillum. Plebs, quum propter nexos ob æs alienum in Sacrum montem secessisset, consilio Menenii Agrippæ a seditione revocata est. Idem Agrippa, quum decessisset, propter paupertatem publico impendio elatus est. Tribuni plebis quinque creati sunt. Oppidum Volscorum Corioli captum est virtute et opera C. Marcii, qui ob hoc Coriolanus vocatus est. Ti. Atinius, vir de plebe, quum in visu admonitus esset, ut de quibusdam religionibus ad senatum perferret, et neglexisset, amisso filio, debilis factus, postquam, delatus ad senatum lectica, eadem illa indicaverat, usu pedum recepto, domum reversus est. Quum C. Marcius Coriolanus, qui in exsilium erat pulsus, dux Volscorum factus, exerci-

2. *Ap. Claudius ex Sabinis... viginti una*, hæc in omnibus MSS et priscis edd. leguntur post extrema verba periodi seq. verba *apud lacum Regillum*. Aldus ea transposuit, quia hic est ordo rerum in Livio. Eumdem sæpe ab auctore harum Epitomarum fuisse turbatum, sed ubivis, si ultima verba Epit. *CIII* excipiantur, restitutum ab editoribus, Drak. ad h. l. et passim monuit. Nos id semel monuisse sufficiat.

tum hostium urbi Romæ admovisset, et missi ad eum primum legati, postea sacerdotes frustra deprecati essent, ne bellum patriæ inferret; Veturia mater et Volumnia uxor impetraverunt ab eo, ut recederet. Lex agraria primum lata est. Sp. Cassius consularis regni crimine damnatus est necatusque. Oppia, virgo Vestalis, ob incestum viva defossa est. Quum vicini hostes Veientes incommodi magis, quam graves, essent, familia Fabiorum id bellum gerendum depoposcit; misitque in id trecentos sex armatos, qui ad Cremeram[3] ad unum ab hostibus cæsi sunt, uno impubere domi relicto. Ap. Claudius consul, quum adversus Volscos contumacia exercitus male pugnatum esset, decimum quemque militum fuste percussit[4]. Res præterea adversum Volscos et Æquos et Veientes, et seditiones inter Patres plebemque continet.

EPITOME LIBRI III.

Seditiones de agrariis legibus factæ. Capitolium, ab exsulibus et servis occupatum, cæsis iis receptum est. Census bis actus est: priore lustro censa sunt civium capita centum quatuor millia ducenta quatuordecim, præter orbos orbasque. Sequenti, centum septemdecim millia ducenta novemdecim[1]. Quum adversus Æquos res male gesta esset, L. Quintius Cincinnatus dictator factus, quum rure intentus rustico operi es-

3. *Ad Cremeram* flumen (quam vocem non nisi cod. Boend. addit.) *ad unum ab hostibus cæsi sunt*, in 8 MSS *præter unum*, ut apud Oros. II, 5. Sed conf. ad Liv. II, 50, n. 12.

4. *Decimum quemque militum fuste percussit*, ut apud Frontin. Strat. IV, I, n. 34, et Dionys. lib. IX, p. 606. Conf. ad Liv. I, 26, n. 6, et II, 59, n. 7. *Militem* duo MSS, ut apud Front.

Eptt. III. 1. *Sequenti, CXVII millia CCXIX*, at *CXVII millia CCCXIX* apud Eutrop. I, 16 (in tribus MSS et in Pæonii metaphr.), et apud Liv. III, 24 extr. ubi libri tamen admodum

set, ad id bellum gerendum arcessitus est. Is victos hostes sub jugum misit. Tribunorum plebis numerus ampliatus est, ut essent decem, trigesimo sexto anno a primis tribunis plebis. Petitis per legatos et allatis Atticis legibus, ad constituendas eas proponendasque decemviri pro consulibus sine ullis aliis magistratibus creati, altero et trecentesimo anno, quam Roma condita erat: et, ut a regibus ad consules, ita a consulibus ad decemviros translatum imperium. Hi, decem tabulis legum positis, quum modeste se in eo honore gessissent, et ob id in alterum quoque annum eumdem esse magistratum placuisset, duabus tabulis ad decem adjectis, quum complura impotenter fecissent, magistratum noluerunt deponere, et in tertium annum retinuerunt: donec inviso eorum imperio[2] finem attulit libido Ap. Claudii. Qui, quum in amorem virginis incidisset, submisso, qui eam in servitutem peteret, necessitatem patri ejus Virginio imposuit[3], rapto ex taberna proxima cultro, ut filiam interimeret, quum aliter eam tueri non posset, ne in potestatem stuprum illaturi veniret. Hoc tam magnæ luxuriæ[4] exemplo plebs incitata montem Aventinum occupavit, coegit-

variant, ut et h. l. Conf. Drak. qui etiam post alios jam monuit, Livium auctoremque Epitomarum sæpe in diversa abire. — *Decem tabulis legum positis*, immo *propositis;* Creverius: et quidem Livius, cap. 34 hujus libri, eo utitur verbo, quod solenne est in ejus modi rebus. Ed. — *Duabus tabulis ad decem adjectis;* hæc quæ non reperiebantur in veteribus editis, concinnavit Sigonius partim ex vestigiis depravatæ antiquæ lectionis, partim ex ipso Livio. Ed.

2. *Inviso eorum imperio* ex emend. Drak. Conf. Liv. III, 38. *Invito* MSS. *Invicto* edd. antt. quod Doujat. exponit, pertinaci; et Gron. coll. VI, 16, quod sine provocatione erat. Hic tamen et Mur. malebant *injusto*. Mox *in amorem Virginiæ* et *Virginiæ virginis* quidam MSS.

3. *Necessitatem patri ejus Virginio imposuit*, etc. in plerisque MSS *imposuit: rapto enim ex taberna proxima cultro filiam occidit;* prob. Drak. modo ante *necessitatem* inseratur *miseram*, vel *extremam*, vel *ultimam*.

4. *Magnæ luxuriæ*, incontinentiæ in re venerea, libidinis; nisi ex quibusdam MSS leg. *magnæ injuriæ*,

que decemviros abdicare se magistratu. Ex quibus Appius et unus collegarum[5], qui præcipue pœnam meruerant, in carcerem conjecti; cæteri in exsilium acti. Res præterea contra Sabinos et Volscos et Æquos prospere gestas continet, et parum honestum populi romani judicium. Qui, judex inter Ardeates et Aricinos sumptus, agrum, de quo ambigebatur, sibi adjudicavit.

EPITOME LIBRI IV.

Lex de connubio Patrum et plebis a tribunis plebis contentione magna, Patribus repugnantibus, perlata est. Tribuni militares[1]. Aliquot annis res populi romani domi militiæque per hoc genus magistratus administratæ sunt. Item Censores tunc primum creati sunt. Ager Ardeatibus populi romani judicio ablatus, missis in eum colonis, restitutus est. Quum fame populus romanus laboraret, Sp. Mælius, eques romanus, frumentum populo sua impensa largitus est: et, ob id factum conciliata sibi plebe, regnum affectans a C. Servilio Ahala, magistro equitum, jussu Quintii Cincinnati dictatoris occisus est. L. Minucius index

h. e. vel stupri, libidinis (vid. Burm. ad Quintil. Declam. 259, pag. 476), vel injustitiæ, iniquitatis; Drak. — *Decemviros abdicare se magistratu;* teste Drak., Voss. sec. tert. et quart. *abdicare magistratus* præferunt, et certe *abdicare magistratum* æque dici, atque *abdicare se magistratu*, monuimus ad lib. II, 28, n. 6. Ed.

5. *Et unus collegarum:* hæc verba in nullo MS exstant, et a primis editoribus ex Liv. III, 57, 58 adjecta videntur. *Appius, qui... meruerat, in c. conjectus est* MSS. Mox verba *et Æquos* primus addidit Aldus, forte ex Liv. III, 60.

Errr. IV. 1. *Tribuni militares;* vox ultima, ait Crev., addita est a nescio quo. Sigonius locum mancum reperit in suis libris, nec explevit. Judicet lector, an his verbis satis clare designentur tribuni militum consulari potestate, hoc præsertim loco, ubi hujus generis magistratuum prima mentio occurrit. Si unum tantum hic vocabulum deerat, libentius legeremus *tribuni consulares*. Vide ad IV, 55, n. 3. Ed. — *Jussu Quintii C. d.*

bove aurata donatus est. Legatis romanis a Fidenatibus occisis, quoniam ob rempublicam occubuerant, statuæ in Rostris positæ sunt. Cossus Cornelius[2] tribunus militum, occiso Tolumnio rege Veientium, opima spolia secunda retulit. Mam. Æmilius dictator, censuræ honore, qui antea per quinquennium gerebatur, anni et sex mensium spatio finito, ob eam rem a censoribus notatus est. Fidenæ in potestatem redactæ, eoque coloni missi sunt[3]. Quibus occisis, Fidenates, quum defecissent, a Mam. Æmilio dictatore victi sunt, et Fidenæ captæ. Conjuratio servorum oppressa est. Postumius, tribunus militum, propter crudelitatem ab exercitu occisus est. Stipendium ex ærario tum primum militibus datum est. Res præterea gestas adversus Volscos, et Fidenates, et Faliscos, continet.

EPITOME LIBRI V.

In obsidione Veiorum hibernacula militibus facta sunt. Ea res quum esset nova, indignationem tribunorum plebis movit, querentium non dari plebi nec per hiemem militiæ requiem. Equites tum primum equis suis merere cœperunt. Quum inundatio ex lacu Albano facta esset, vates, qui eam rem interpretaretur, de hostibus captus est[1]. Furius Camillus dictator

occisus est: « id non patet ex narratione Liv. IV, 14, 15; et Val. Max. V, 3, § 2: verum affirmant Flor. I, 26, § 7 (ubi conf. Duker.); Aurel. Vict. de Viris illust. cap. 17; et Ampel. cap. 27: dubitat Zonar. Annal. VII, 20, quo auctore Ahala Mælium interfecit ἢ αὐτογνωμονήσας, ἢ τοῦτο κεκελευσμένος πρὸς τοῦ Δικτάτορος ». Drakenb.

2. *Cossus Cornelius;* vide ad Liv. III, 1, n. 1.

3. *Eoque coloni missi sunt,* scilic. novi. Conf. Liv. IV, 30, 31. Sed non esse, quod hæc vox adjiciatur, docet Drak. coll. Liv. XXXVII, 46, et XXXIX, 23.

Epit. V. 1. *De hostibus captus est,* alii MSS *ex,* et plerique perperam

decem annos obsessos Veios cepit: simulacrum Junonis Romam transtulit: decimam partem prædæ Delphos Apollini misit. Idem tribunus militum, quum Faliscos obsideret, proditos hostium filios parentibus remisit; statimque deditione facta, Faliscorum victoriam[2] justitia consequutus est. Quum alter ex censoribus C. Julius decessisset, in locum ejus M. Cornelius suffectus est. Nec id postea factum est, quoniam eo lustro a Gallis Roma capta est. Furius Camillus, quum ei dies a L. Appuleio tribuno plebis dicta esset, in exsilium abiit. Quum Senones Galli Clusium obsiderent, et legati, a senatu missi ad componendam inter eos et Clusinos pacem, pugnantes contra Gallos in acie Clusinorum stetissent, hoc facto eorum concitati Senones Urbem infesto exercitu petierunt; fusisque ad Alliam flumen Romanis, cepere urbem præter Capitolium, in quod se juventus contulerat: majores natu, cum insignibus honorum, quos quisque gesserat, in vestibulis ædium sedentes, occiderunt. Et quum per aversam partem Capitolii jam in summum evasissent, proditi clangore anserum, M. Manlii præcipue opera dejecti sunt. Coactis deinde propter famem[3] Romanis descendere, ut mille pondo auri darent, et hoc pretio finem obsidionis emerent, Furius Camillus, dictator absens creatus, inter pendendum aurum cum exercitu venit, et Gallos post sextum mensem Urbe expulit ceciditque. Ædes Aio Loquutio[4] facta, quo loco

ab hostibus: nam vates ex hostibus fuit.

2. *Faliscorum victoriam*, de Faliscis, ut apud Justin. V, 4.

3. *Coactis deinde propter famem Romanis descendere*, forte leg. *eo descendere;* Gron. Conf. ad Liv. XXIII, 14, n. 5.

4. *Aio Loquutio;* Liviani libri veteres habebant *Alloquutio*, testibus Sigon. Crever. et Drak. Restitutum est huic novo numini suum nomen ex cap. 50 hujus libri. Vocatur *Aius loquens*, Cic. de Divin. lib. I, cap. 45, et lib. II, cap. 32; A. Gell. lib. XVI, cap. 17. Ed.

ante Urbem captam vox audita erat, *adventare Gallos*. Dictum est, ad Veios migrandum esse propter incensam et dirutam Urbem; quod consilium Camillo auctore discussum est. Movit populum vocis quoque omen ex centurione auditæ, qui, quum in forum venisset, manipulariis suis dixerat, *Sta miles; hic optime manebimus.*

EPITOME LIBRI VI.

Res adversus Volscos et Æquos et Prænestinos prospere gestas continet. Quatuor tribus additæ sunt, Stellatina, Sabatina, Tromentina, Arniensis. M. Manlius, qui Capitolium a Gallis defenderat, quum obstrictos ære alieno liberaret, nexos exsolveret, crimine affectati regni damnatus, de saxo Tarpeio dejectus est: in cujus notam senatusconsultum factum est[1], ne cui de Manlia gente Marco cognomen esset[2]. C. Licinius et L. Sextius tribuni plebis legem promulgarunt, ut consules etiam ex plebe fierent, qui ex Patribus creabantur; eamque legem cum magna contentione, repugnantibus Patribus, quum iidem tribuni plebis per quinquennium soli magistratus fuissent, pertulerunt; et primus ex plebe consul L. Sextius creatus est[3]. Lata est et altera lex, ne cui plus quingentis jugeribus agri liceret possidere.

Epit. VI. 1. *In cujus notam senatusconsultum factum est, ne... esset*, vel vitiosa est hæc periodus et del. τὸ *senatus;* vel defecta est, ac tum verba SCti aliave exciderunt; Jac. Gron. Potius auctorem hujus Epit. ipsum errasse puto, quem a Livio sæpe diversa tradidisse, ad Epit. lib. XLV videbimus: quin et Livius publicam notam, præter privatam, non tamen per SCtum, sed per legem, mortuo adjectam esse tradidit; Drak.

2. *Ne cui de Manlia gente Marco cognomen esset;* vide ad Liv. VI, 20, not. 13; tom. II, p. 280. Ed.

3. *L. Sextius;* sic semper hoc libro scribi hujus tribuni nomen notat Crever. male ergo hic vulgo legi *L. Sestius;* de quo juvene strenuo vid. Liv. VI, 34, 35 et seqq. Ed.

EPITOME LIBRI VII.

Duo novi magistratus adjecti sunt, prætura et curulis ædilitas. Pestilentia civitas laboravit [1], eamque insignem fecit mors Furii Camilli. Cujus remedium et finis quum per novas religiones quæreretur, ludi scenici tunc primum facti sunt. Quum dies L. Manlio dicta esset a M. Pomponio tribuno plebis propter delectum acerbe actum, et T. Manlium filium rus relegatum sine ullo crimine, adolescens ipse, cujus relegatio patri objiciebatur, venit in cubiculum tribuni, strictoque gladio coegit eum in verba sua jurare, non perseveraturum se in accusatione. Quum telluris hiatu tota ad ultimum territa patria foret [2], tunc omnia pretiosa missa sunt in præaltam voraginem urbis romanæ. In eam Curtius armatus, sedens equo, se præcipitavit, eaque expleta est. T. Manlius adolescens, qui patrem a tribunitia vexatione vindicaverat, contra Gallum provocantem aliquem ex militibus romanis, in singulare certamen descendit, eique occiso torquem aureum detraxit; quem ipse postea tulit, et ex eo Torquatus est nuncupatus. Duæ tribus additæ, Pomptina et Publilia. Licinius Stolo lege ab ipso lata damnatus est, quod plus quingentis jugeribus agri possideret. M. Valerius tribunus militum Gallum, a quo provocatus erat, insidente galeæ corvo, et unguibus rostroque hostem infestante, occidit, et ex eo Corvi nomen accepit; consulque proximo anno, quum annos vi-

Epit. VII. 1. *Pestilentia civitas laboravit;* vide ad Liv. III, 31, n. 1.— *T. Manlium f. rus relegatum;* deerat in vett. edd. vox *rus* quam adjecit Crev. ex Sigonii auctoritate, qui hanc sit in veteribus libris exstare. Drakenb. quoque in multis quos laudat codd. reperit. Ed.

2. *Telluris hiatu tota ad ultimum territa patria*, h. e. universa civitas, ut sæpe apud posterioris ævi scriptores invenimus. Cf. Drak.

ginti tres haberet, ob virtutem creatus est. Amicitia cum Carthaginiensibus juncta. Campani, quum urgerentur a Samnitibus bello, auxilio adversus eos a senatu petito, quum id non impetrarent, urbem atque agros populo romano dediderunt. Ob quam causam ea, quæ populi romani facta essent, defendi bello adversus Samnites placuit. Quum ab A. Cornelio consule exercitus in iniquum locum deductus in magno discrimine esset, P. Decii Muris tribuni militum opera servatus est. Qui, occupato colle super id jugum, in quo Samnites consederant, occasionem consuli in æquiorem locum evadendi dedit: ipse ab hostibus circumsessus erupit. Quum milites romani, qui Capuæ in præsidio erant relicti, de ea occupanda urbe conspirassent, et, detecto consilio, metu supplicii a populo romano defecisssent; per M. Valerium Corvum dictatorem, qui consilio suo eos a furore revocaverat, patriæ restituti sunt. Res præterea contra Hernicos, et Gallos et Tiburtes et Privernates et Tarquinienses et Samnites et Volscos prospere gestas continet.

EPITOME LIBRI VIII.

Latini cum Campanis defecerunt, et, missis legatis ad senatum, conditionem tulerunt, ut, si pacem habere vellent, alterum ex Latinis consulem facerent. Qua legatione perlata, prætor eorum Annius de Capitolio ita prolapsus est, ut exanimaretur. T. Manlius consul filium quod contra edictum adversus Latinos, quamvis prospere, pugnasset, securi percussit. Laborantibus in acie Romanis [1], P. Decius, tunc consul cum

Epit. VIII. 1. *Laborantibus in acie Romanis;* vid. Liv. III, 31, n. 1, in qua de vocibus *laborare* et *laborari* plura dicta sunt. Ed.

Manlio, devovit se pro exercitu: et, concitato equo quum in medios hostes se intulisset, interfectus morte sua Romanis victoriam restituit. Latini in deditionem venerunt. T. Manlio in Urbem reverso nemo ex juventute obviam processit. Minucia virgo Vestalis incesti damnata est. Ausonibus victis, in oppidum ex iis captum Cales colonia deducta est. Item Fregellæ colonia deductæ sunt[2]. Veneficium complurium matronarum deprehensum est: quarum plurimæ statim epotis medicaminibus perierunt. Lex de veneficio tunc primum constituta est[3]. Privernatibus, quum rebellassent, victis civitas data est. Palæpolitani, bello et obsidione victi, in deditionem venerunt. Q. Publilio, qui eos obsederat, primo et imperium prolatum, et pro consule decretus triumphus. Plebs nexu liberata est propter L. Papirii creditoris libidinem, qui C. Publilio debitori suo stuprum inferre voluerat. Quum L. Papirius dictator reversus in Urbem ab exercitu esset propter auspicia repetenda, Q. Fabius magister equitum, occasione rei bene gerendæ invitatus, contra edictum ejus prospere adversus Samnites pugnavit. Ob eam causam quum dictator de magistro equitum supplicium sumpturus videretur, Fabius Romam profugit: et, quum causa parum proficeret, po-

2. *Cales colonia deducta est: item Freg. colonia deductæ sunt*, 4 MSS *coloniæ deductæ sunt*, male (vid. Drak.), nisi potius verba *colonia deducta est* delenda sunt.

3. *Lex de veneficio tunc primum constituta est:* copiose et docte h. l. docet Dukerus, legis tum de veneficiis latæ mentionem non facere Livium VIII, 18, n. 7, et admodum probabile esse, quod interpretes juris civilis contendant, hoc maleficium jam ante hoc tempus Romæ non modo cognitum, sed etiam lege *XII* Tabularum vindicatum fuisse, etsi contrarium tradat Val. Max. II, 5, § 3. — *Q. Publilio... primo et imperium prolatum, et pro consule*, etc. Hujus loci emendatio debetur Sigonio, quum prius legeretur: *Q. Publilio...primum imperium prolatum et per consules ei decretus triumphus.* Hanc suam lectionem statuit Sigonius ex Capitolinis tabulis et Livio ipso infra cap. 23, et

puli precibus donatus est[4]. Res præterea contra Samnites prospere gestas continet.

EPITOME LIBRI IX.

L. Veturius et Sp. Postumius apud Caudinas Furcas, deducto in locum artum[1] exercitu, quum nulla spes evadendi esset, fœdere cum Samnitibus facto, et sexcentis equitibus romanis obsidibus datis, ita exercitum abduxerunt, ut omnes sub jugum mitterentur. Iidemque, auctore Sp. Postumio consule, qui in senatu suaserat, ut eorum deditione, quorum culpa tam deforme fœdus ictum erat, plublica fides liberaretur, cum duobus tribunis plebis et omnibus, qui fœdus spoponderant, dediti Samnitibus, non sunt recepti. Nec multo post, fusis a Papirio Cursore Samnitibus et sub jugum missis, receptisque sexcentis equitibus romanis, qui obsides dati erant, pudor prioris flagitii abolitus est. Tribus duæ adjectæ sunt, Ufentina et Falerina. Suessa et Pontia coloniæ deductæ sunt. Ap. Claudius censor aquam perduxit; viam stravit, quæ Appia vocata est; libertinorum filios in senatum legit. Ideoque, quoniam is ordo videbatur inquinatus indignis, sequentis anni consules in senatu legendo observaverunt, quemadmodum ante per proximos censores observatum fuerat. Res præterea contra Apulos, Etruscos, Umbros, Marsos, Pelignos, Æquos et Samnites, quibus fœdus erat restitutum, prospere gestas continet. Flavius scriba, libertino patre natus,

cap. 26, not. 6, in qua de his honoribus insolitis diximus. Ed.

4. *Populi precibus donatus est;* vide ad Liv. II, 35, n. 5.

Epit. IX. 1. *In locum arctum*, plerique MSS *in l. iniquum*, non improb. Duk. Sed *angustiæ saltusque angustos* et *arctiores* dixit etiam Liv. cap. 2. —*In senatu legendo observaverunt, quemadmodum ante observatum fuerat.* Non hæc satis latina oratio Creverio videtur. Ed.

ædilis curulis fuit per forensem factionem creatus: quæ quum comitia et campum turbaret, et in iis propter nimias vires dominaretur, a Q. Fabio censore in quatuor tribus redacta est, quas urbanas appellavit: eaque res Fabio Maximo nomen dedit[2]. In hoc libro mentio Alexandri Magni, qui temporibus his fuit; et, æstimatis populi romani viribus, quæ tunc erant, colligitur, si Alexander in Italiam trajecisset, non tam facilem ei victoriam de populo romano fore, quam de iis gentibus, quas ad Orientem imperio suo subjecerat.

EPITOME LIBRI X.

Coloniæ deductæ sunt Sora, et Alba, et Carseoli. Marsi in deditionem accepti sunt. Collegium augurum ampliatum est, ut essent novem, quum antea quaterni fuissent. Lex de provocatione ad populum a Valerio consule tunc tertium lata est[1]. Duæ tribus adjectæ sunt, Aniensis et Terentina. Samnitibus bellum indictum, et adversus eos sæpe prospere pugnatum est. Quum adversus Etruscos, Umbros, Samnites, Gallos, P. Decio et Q. Fabio ducibus, pugnaretur, romanusque exercitus in maximo esset discrimine, P. Decius, sequutus exemplum patris, devovit se pro exercitu, et morte sua victoriam ejus pugnæ populo romano dedit. Papirius Cursor Samnitium exercitum, qui jurejurando obstrictus, quo majore constantia virtutis pugnaret, in aciem descenderat, fudit. Census actus est. Lustrum conditum. Censa sunt civium capita ducenta sexaginta[2] duo millia et trecenta viginti duo.

2. *Eaque res Fabio nomen dedit Maximo*, cognomen Maximi, ut apud Liv. IX, 46 extr. Sic in Epit. II, *cui Vindicio nomen fuit*, et similia.

Epit. X. 1. *Tunc tertium lata est*; olim *tunc primum* legebatur. Correxit Sigonius ex Livii et historiæ fide. Ed. — *Jurejurando obstrictus*, ut apud Liv. X, 38, 4, 1 al.

2. *Capita ducenta sexaginta*, etc.

EPITOME LIBRI XI.

Quum Fabius Gurges consul male adversus Samnites pugnasset, et senatus de removendo eo ab exercitu ageret, Fabius Maximus pater, deprecatus[1] hanc filii ignominiam, eo maxime senatum movit, quod iturum se filio legatum pollicitus esset, idque præstitit. Ejus consiliis et opera filius consul adjutus, cæsis Samnitibus, triumphavit. C. Pontium, imperatorem Samnitium, ductum in triumpho securi percussit. Quum civitas pestilentia laboraret, missi legati, ut Æsculapii signum Romam ab Epidauro transferrent, anguem, qui se in navem eorum contulerat, in quo ipsum numen esse constabat, deportavere: eoque in insulam Tiberis egresso, eodem loco ædes Æsculapio consecrata est. L. Postumius consularis[2], quoniam, quum exercitui præesset, opera militum in agro suo usus erat, damnatus est. Cum Samnitibus pacem petentibus fœdus quarto renovatum est. Curius Dentatus consul, Samnitibus cæsis, et Sabinis, qui rebellaverant, victis, et in deditionem acceptis, bis in eodem magistratu triumphavit. Coloniæ deductæ sunt, Castrum, Sena[3], Hadria. Triumviri capitales tunc primum creati sunt. Censu acto, lustrum conditum est. Censa sunt civium capita ducenta septuaginta duo mil.

ex MSS leg. *c. d. septuag. duo m. et t. viginti.* Numerus ab Aldo mutatus ex Liv. X, 47.

Epit. XI. 1. *Fabius Max. pater, deprecatus,* etc. cf. Val. Max. V, 7; IV, 1; Oros. III, 22, et inpr. Zonar. VIII, 1. — *Triumphavit;* cujus currum equo sequebatur pater, pompæ auctor. Ed.

2. *L. Postumius consularis,* etc. cf. Dionys. Exc. Peiresc. p. 531 sq.

3. *Coloniæ deductæ sunt, Castrum, Sena;* conf. Vell. I, 14, et Polyb. II, 19, § 12. — *Triumviri capitales tunc primum creati sunt;* conf. ad Livium, XXV, 1, n. 7, et Varr. Ling. Lat. IV, p. 22. « Nihil omnino certi de anno, quo primum creati sunt, constitui posse, existimat Pigh. in Ann. ad a. 464, p. 405, quia Pomponius, l. 2, § 30, D. de Or. Jur. eos post præto-

lia. Plebs propter æs alienum, post graves et longas seditiones, ad ultimum secessit in Janiculum : unde a Q. Hortensio dictatore deducta est[4], isque in ipso magistratu decessit. Res præterea contra Volsinienses gestas continet : item adversus Lucanos, contra quos auxilium Thurinis ferre placuerat[5].

EPITOME LIBRI XII.

Quum legati Romanorum a Gallis Senonibus interfecti essent, bello ob id Gallis indicto, L. Cæcilius prætor[1] cum legionibus ab iis cæsus est. Quum a Tarentinis classis romana direpta esset, duumviro, qui præerat classi, occiso[2], legati, ad eos a senatu, ut de iis injuriis quererentur, missi, pulsati sunt. Ob id, bellum iis indictum est. Samnites defecerunt. Adversus eos, et Lucanos, et Bruttios, et Etruscos aliquot

rem peregrinum creatos esse dicat. Sed quum id chronologiæ adversari videatur, vide, qua ratione JCtum excuset Rupert. in Encheirid. c. 16. » Drakenb.

4. *A Q. Hortensio dict. deducta est*, forte *reducta*, scil. in Urbem; solent nempe hæc verba *reducere* et *deducere* sæpe commutari. Vid. Drak. ad VI, 25, § 8. Ed. — De hoc dictatore et lege Hortensia, ab eo lata, vide ad Liv. II, 60, n. 2; Plin. XVI, 10; Gell. XV, 27; Intpp. Institutt. ad § 4 de Jur. Nat. Gent. et ad l. 2, § 8, D. de Or. Jur.

5. *Contra quos auxilium Thurinis ferre placuerat;* conf. Plin. XXXIV, 6; Pigh. Ann. ad ann. 463, p. 404; Cluver. Ital. Ant. IV, 14, p. 1264; Val. Max. I, 8, § 6; Dionys. in Exc. Legat. p. 306; Vales. — Cæterum pro *placuerat* cl. Freinshemius contra fidem omnium codicum edidit *placuit*, quam lectionem improvide amplexi sunt Doujatius et Clericus. Ed.

Epit. XII. 1. *L. Cæcilius prætor*, etc. Conf. Oros. III, 22, et Augustin. III, 17. Alios annales sequutum esse Polyb. II, 19; neque probabilem esse diversas narrationes conciliandi rationem, a Merula ad Ennii fragmenta, p. 309, 310, propositam docet Drak.

2. *Duumviro, qui præerat classi, occiso*, alii *duce*. Duumviri navales a. U. 433 creari cœpti; Sigonius. — *Bruttios;* aliquot codd. et editiones *Brutios* præferunt cum uno tantum *t*. Sed *Bruttii* duobus *tt* in Capitolinis lapidibus scribuntur, itemque in nummis argenteis compluribus antiquissimis. Præterea Eustathius in Dionys. (v. 362) docet, omnino Βρεττίους διὰ τῶν δύο ττ esse scribendos. Confer Drak. ad h. l. Ed.

præliis a compluribus ducibus bene pugnatum est. Pyrrhus Epirotarum rex, ut auxilium ferret Tarentinis, in Italiam venit. Quum in præsidium Rheginorum legio Campana cum præfecto Decio Jubellio missa[3] esset, occisis Rheginis, Rhegium occupavit.

EPITOME LIBRI XIII.

Valerius Lævinus[1] consul parum prospere adversus Pyrrhum pugnavit, elephantorum maxime inusitata facie[2] territis militibus. Post id prælium quum corpora Romanorum, qui in acie ceciderant, Pyrrhus inspiceret, omnia versa in hostem invenit, populabundusque ad urbem Romam processit. C. Fabricius, missus ad eum a senatu, ut de redimendis captivis ageret, frustra, ut patriam desereret, a rege tentatus est. Captivi sine pretio remissi sunt. Cineas, legatus[3] a Pyrrho ad senatum missus, petiit, ut componendæ pacis causa rex in Urbem reciperetur[4]. De qua re quum ad frequentiorem senatum referri placuisset, Ap. Claudius, qui propter valetudinem oculorum jam diu consiliis pu-

3. *In præsidium Rheginorum* (duo MSS *Reginorum;* vide ad Liv. XXIII, 30, n. 5) *legio C. cum præfecto Decio Jubellio missa;* conf. ad Liv. XXVIII, 28, n. 1, inf. Epit. XV; Diodor. Exc. Vales. ex lib. XXII, pag. 562 edit. Wessel. et Polyb. I, 7, § 7, ubi vid. Schweigh.

Epit. XIII. 1. *Valerius Lævinus,* etc. conf. Plut. Pyrrh. pag. 392, et Zonar. VIII, cap. 3, quibus mendose Ἀλβῖνος et Λαουῖνος dicitur pro Λαιβῖνος.

2. *Inusitata facie,* forte *invisitata;* vide ad Liv. IV, 33, n. 1.

3. *Cineas, legatus,* al. *Cyneas.* Gr. Κινέας. Conf. Davis. ad Cic. Tusc. I, 24; Val. Max. IV, 3, § 6; Appian. Samnit. Exc. X, 11; Plut. et Suid.

4. *Ut c. p. c. rex in Urbem reciperetur;* ita quidam: alii tradunt, eum nihil aliud, quam amicitiam et fœdus, petiisse; Drak. Conf. Duk. ad Flor. I, 18, § 16.—*Propter valetudinem oculorum;* ante Gruter. qui primus *valetudinem* in edit. anni 1628 recepit, edebatur *invâletudinem,* quod servavere Freinsh. Douj. Cleric. et Crever. Utrumque, ait Drak., habet quo se tueatur. Certe *invaletudo* est apud Ciceronem ad Attic. VII, 2 et 5, et de Amic. cap. 2. Quum vero Livius pas-

blicis se abstinuerat, venit in curiam, et sententia sua tenuit, ut id Pyrrho negaretur. Cn. Domitius[5] censor primus ex plebe lustrum condidit. Censa sunt civium capita ducenta septuaginta octo millia, ducenta viginti duo. Iterum adversus Pyrrhum dubio eventu pugnatum est. Cum Carthaginiensibus quartum fœdus renovatum est[6]. Quum C. Fabricio consuli is, qui ad eum a Pyrrho transfugerat[7], polliceretur, se regi venenum daturum, cum indicio ad regem remissus est. Res præterea contra Etruscos, Lucanos, Bruttios, et Samnites prospere gestas continet.

EPITOME LIBRI XIV.

Pyrrhus in Siciliam trajecit. Quum inter alia prodigia fulmine dejectum esset in Capitolio Jovis signum[1], caput ejus per aruspices inventum est. Curius Dentatus, quum delectum haberet, ejus, qui citatus non responderat, bona primus vendidit[2]. Pyrrhum iterum ex Sicilia in Italiam reversum vicit, et Italia expulit. Fabricius censor P. Cornelium Rufinum consularem senatu movit, quod is decem pondo ar-

sim *valetudo*, nunquam vero, quod meminerim *invaletudo* pro morbo usus sit, credibile fit vulgatum ibi retinendum, et auctorem Epitom. ejus verba imitatum, adeoque et hic et altero loco similiter legendum esse. Ed.

5. *Cn. Domitius censor*, etc. Conf. Pigh. Ann. ad a. 473.

6. *Cum Carthaginiensibus quartum fœdus r. est;* conf. Polyb. III, 25; et ad Liv. VII, 27, n. 2.

7. *Qui ad eum a Pyrrho transfugerat*, quem alii Timocharem, alii Nicciam appellant. Conf. Gell. III, 8.

Epit. XIV. 1. *Fulmine dejectum in Capitolio Jovis signum.* Ryck. de Capit. cap. 15, eamdem putat historiam referri a Cic. de Div. I, 10; II, 19. Vid. Val. Max. nostr. Edit. Tom. II, Part. poster. pag. 46. Ed.

2. *Ejus, qui citatus non responderat, bona primus vendidit;* conf. Val. Max. VI, 3, § 4; ubi non solum bona adolescentis, sed ipsum venditum fuisse addit: videatur et Lips. Mil. Rom. I, 4. — *Iterum reversum* pro simpl. *reversum*. Conf. ad Liv. II, 45, n. 10. Cave jungas *iterum vicit*: nam Pyrrhum bis a Curio victum, nemo prodidit; Duk.

genti facti haberet. Lustro a censóribus condito, censa sunt capita civium ducenta septuaginta unum millia, ducenta viginti quatuor. Cum Ptolemæo, Ægypti rege, societas juncta est. Sextilia, virgo Vestalis, damnata incesti, viva defossa est. Coloniæ deductæ sunt Posidonia et Cosa[3]. Carthaginiensium classis auxilio Tarentinis venit[4]. Quo facto ab iis fœdus violatum est. Res præterea contra Lucanos, Samnites, et Bruttios feliciter gestas, et Pyrrhi regis mortem continet.

EPITOME LIBRI XV.

Victis Tarentinis pax et libertas data est. Legio Campana, quæ Rhegium[1] occupaverat, obsessa, deditione facta, securi percussa est. Quum legatos Apolloniatium ad senatum missos quidam juvenes pulsassent, dediti sunt Apolloniatibus. Picentibus victis pax data est. Coloniæ deductæ, Ariminum[2] in Piceno, Beneventum in Samnio. Tunc primum populus romanus argento uti cœpit[3]. Umbri et Sallentini victi in deditionem accepti sunt. Quæstorum numerus[4] ampliatus est, ut essent octo.

EPITOME LIBRI XVI.

Origo Carthaginiensium et primordia urbis eorum referuntur; contra quos et Hieronem regem Syracu-

3. *Cosa;* olim legebatur *Consa* aut *Conssa* quod Sigonius emendavit ex Vell. I, et Plin. III, 5. Ed.

4. *Auxilio Tarentinis venit;* vide ad Liv. XXI, 10, n. 10.

Epit. XV. 1. *Legio Campana, quæ Rhegium*, etc. vide ad Epit. XII, 3.

2. *Coloniæ deductæ Ariminum in Pic., Beneventum*, etc. cf. Vell. I, 14.

3. *Argento uti cœpit* signato. Conf. Plin. XXXIII, 3.

4. *Quæstorum numerus ampliatus*, etc. vide ad Liv. II, 41, n. 12. — *Ut essent octo;* numerum, qui deerat, hunc adjecit Sigon. ex Taciti Ann. XI, 22. Ed.

sanorum auxilium Mamertinis ferendum[1] censuit senatus, quum de ea re inter suadentes, ut id fieret, dissuadentesque contentio fuisset. Transgressis tum primum mare equitibus romanis[2], adversus Hieronem sæpius bene pugnatum[3]. Petenti pax data est. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita ducenta octoginta duo millia, ducenta triginta quatuor. D. Junius Brutus[4] munus gladiatorium in honorem defuncti patris edidit primus. Colonia Æsernia deducta est. Res præterea contra Pœnos et Vulsinios prospere gestas continet.

EPITOME LIBRI XVII.

Cn. Cornelius consul, a classe Punica[1] circumventus et per fraudem velut in colloquium evocatus, captus est. C. Duilius consul[2] adversus classem Pœnorum prospere pugnavit, primusque omnium roma-

Epit. XVI. 1. *Auxilium Mamertinis ferendum*, etc. Vide ad Liv. XXI, 10, 11, et Schweigh. ad Polybium, I, 11, § 1.

2. *Transgressis tum primum mare equitibus rom.*, non satis intelligo, cur solos *equites*, neque etiam, ut alii, pedites memoret; Duk. — Rescribendum *exercitibus* satis probabiliter conjicit Creverius. Ed.

3. *Adversus Hieronem sæpius bene pugnatum*, semel tantum, si fides habenda Polyb. I, 11; Flor. II, 2; Oros. IV, 7. Hieronem vicisse tradit Philinus apud Polyb. I, 5; eumdem vero, simul ac Appius cos. in Siciliam venisset, Syracusas aufugisse Diodor. lib. XXIII, ecl. 4.

4. *D. Junius Brutus*, etc. immo *M. et D. Junius Brutus*. Conf. Val. Max. II, 4, § 7; ubi notat in foro boario datum, Ap. Claudio et M. Fulvio consulibus: vid. et Lips. Sat. I, 8. Quod is addit, ex Epit. Liv. liquere, Livium tradidisse, tria gladiatorum paria a Juniis fuisse data, id potius in conjectura, nec illa tamen improbabili, positum; Duk. — *Vulsinios;* hoc debetur Sigonio, qui testatur ita habere vet. lib. Adstipulatur unus e codd. Hearnii, et alii quos laudat Drak. Antea legebatur *Volscos;* sed Volsci jamdiu perdomiti erant. De Vulsiniensibus triumphat M. Fulvius consul primo anno Punici belli. Vide infra cap. 39, hujus lib. XVI. Ed.

Epit. XVII. 1. *Cn. Cornelius consul, a classe Punica*, etc. Cf. Polyæn. XVI, 5; Polyb. I, 21, VIII, 1; Zonar. VIII, 10.

2. *C. Duilius consul*, etc. vide ad Sil. VI, 663 sq. Polyb. I, 22 sq.

norum ducum navalis victoriæ duxit triumphum. Ob quam causam ei perpetuus honos habitus[3] est, ut revertenti a cœna, tibicine canente, funale præferretur. L. Cornelius consul[4] in Sardinia et Corsica contra Sardos et Corsos et Hannonem Pœnorum ducem feliciter pugnavit. Atilius Calatinus consul, quum in locum iniquum, a Pœnis circumsessum, temere duxisset exercitum, M. Calpurnii tribuni militum[5] virtute et opera evasit: qui, cum trecentis militibus eruptione facta, hostes in se converterat. Hannibal dux Pœnorum victa classe, cui præfuerat, a militibus suis in crucem sublatus est. Atilius Regulus consul[6], victis navali prælio Pœnis, in Africam trajecit.

EPITOME LIBRI XVIII.

Atilius Regulus in Africa serpentem[1] portentosæ magnitudinis cum magna militum clade occidit, et, quum aliquot præliis bene adversus Carthaginienses pugnasset, successorque ei a senatu prospere bellum gerenti non mitteretur, id ipsum per literas ad senatum missas questus est. In quibus inter causas petendi

3. *Ei perpetuus honos habitus*, etc. ab ipso potius privato, nemine prohibente, sumptus, si fides habenda Catoni apud Cic. de Sen. 13. Conf. ad Sil. l. l. Plin. XXXIV, 5; Flor. II, 2, § 10; ibique Freinsh. et Duk. — *Tibicine canente, funale præferretur.* Antea legebatur *tibicines canerent et funale præferretur;* nostram lectionem e vetere libro eruit Sigonius. Utrolibet tamen legatur modo, parum interest. Ed.

4. *L. Cornelius consul*, etc. conf. Zonar. VIII, 11.

5. *Atilius Calatinus consul.....M. Calpurnii trib. mil.* etc. vide ad Liv. XXII, 60, n. 7.

6. *C. Atilius Regulus consul* a. U. 495, quem de Pœnis navalem triumphum egisse, Fasti Capitol. et Triumphales docent: at in Epit. XVIII pr. agitur de M. Atilio Regulo cos. a. U. 496; Drak. Hunc vero *in Africam trajecisse* constat, non illum. Forte eos confudit auctor Epit.

Epit. XVIII. 1. *Atilius Regulus in Africa serpentem*, etc. vide ad Sil. VI, 122-302; Gell. VI, 3; Valer. Maxim. I, 8, § 19; Plin. VIII, 14; Flor. II, 2.

successoris erat, quod agellus ejus a mercenariis desertus esset[2]. Quærente deinde fortuna, ut magnum utriusque casus exemplum in Regulo proderetur, arcessito a Carthaginiensibus Xanthippo, Lacedæmoniorum duce, victus prælio et captus est[3]. Res deinde a ducibus romanis omnibus terra marique prospere gestas deformaverunt naufragia classium. Ti. Coruncanius[4] primus ex plebe pontifex maximus creatus est. P. Sempronius Sophus[5], M'. Valerius Maximus censores, quum senatum legerent, tredecim senatu moverunt. Lustrum condiderunt, quo censa sunt civium capita ducenta nonaginta septem millia, septingenta nonaginta septem. Regulus missus[6] a Carthaginiensibus ad senatum, ut de pace, et, si eam non posset impetrare, de captivis commutandis ageret, et jurejurando adstrictus, rediturum se Carthaginem, si commutari captivos non placuisset, utrumque negandi auctor senatui fuit: et, quum fide custodita reversus esset, supplicio a Carthaginiensibus de eo sumpto, periit.

EPITOME LIBRI XIX.

Cæcilius Metellus, rebus adversus Pœnos prospere gestis, speciosum egit triumphum, tredecim ducibus hostium et centum viginti elephantis in eo[1] ductis.

2. *Petendi successoris, quod agellus ejus a mercenariis desertus esset;* conf. Val. Max. IV, 4, § 6, et Sen. Consol. ad Helv. 12.

3. *Victus prælio et captus est;* vide ad Sil. VI, 302 sq.

4. *Ti. Coruncanius*, etc. cf. Pompon. l. 2, § 35, 39, D. de Orig. Jur.; Ernesti Clav. Cic. et Pigh. Ann. ad annum 396.

5. *P. Sempronius Sophus*, etc. cf. Val. Max. II, 9, § 7, et Pigh. Annal. ad a. 501, p. 44.

6. *Regulus missus*, etc. vide ad Sil. VI, 346-544. — *Et jurejurando adstrictus, rediturum;* sic Campanus, et veteres libri Sigonii. Vulgo *jurejurando adstrictus est rediturum.* Ed.

Epit. XIX. 1. L. *Cæc. Metellus... ductis;* conf. Polyb. I, 39, 40; Plin.

Claudius Pulcher consul[2], contra auspicia profectus, jussis mergi pullis, qui cibari nolebant, infeliciter adversus Carthaginienses classe pugnavit; et, revocatus a senatu, jussusque dictatorem dicere, Claudium Gliciam dixit[3], sortis ultimæ hominem: qui, coactus abdicare se magistratu, postea ludos prætextatus spectavit. Atilius Calatinus primus dictator extra Italiam exercitum duxit. Cum Pœnis captivorum commutatio facta est. Coloniæ deductæ sunt Fregenæ, in agro Sallentino Brundusium[4]. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita ducenta quinquaginta unum millia, ducenta viginti duo. Claudia, soror P. Claudii[5], qui, contemptis auspiciis, male pugnaverat, a ludis revertens, quum turba premeretur, dixit: *Utinam frater meus viveret, iterumque classem duceret!* ob eam causam mulcta ei dicta est. Duo prætores tum primum creati sunt. Cæcilius Metellus pontifex maximus A. Postumium consulem, quoniam idem et flamen Martialis erat, quum is ad bellum gerendum proficisci vellet, in Urbe tenuit, nec passus est a sacris recedere[6]. Rebus adversus Pœnos a pluribus ducibus prospere gestis, summam victoriæ C.[7] Lutatius

VIII, 6, et Pigh. Ann. ad an. 503. — Pro *speciosum triumphum* legebatur antea in omnibus edd. *speciosissimum*. At nullus codex iis concinit. Credit igitur Drak. idem huic loco, quod multis aliis harum Epitomarum, evenisse, librarios loco positivi superlativum posuisse. Codicum itaque scripturam servavit. Ed.

2. *Claudius Pulcher consul*, etc. Conf. Cic. Nat. Deor. II, 3, de Div. I, 16, II, 8, 33; ad Suet. Tib. 2.

3. *Dictatorem Claudium Gliciam dixit*, etc. conf. Duker. ad h. l.; Intpp. Suet. Tib. 2; Pigh. Ann. ad a. 504; Otto ad l. 4, D. de inoffic. test.; Cujac. Obss. II, 21, XIV, 14.

4. *Coloniæ deductæ Fregenæ* et *Brundusium*; cf. ad Sil. VIII, 475; Drakenb. ad h. l. Vell. 1, 14; Zonar. VIII, 7; Cluver. Ital. Ant. II, 2, pag. 499 sq. Pigh. Ann. ad a. 509.

5. *Claudia, soror P. Claudii*, etc. conf. Sueton. Tib. 2; Val. Max. VIII, 1, § 4; Gell. X, 6.

6. *Cæcilius Metellus..... recedere*; vide ad Liv. XXIV, 8, n. 4.

7. *C. Lutatius consul*, etc. vide ad Sil. I, 34, VI, 687. Cæterum miteris, neque in hac, neque in superio-

consul, victa ad Ægates insulas classe Pœnorum, imposuit. Petentibus Carthaginiensibus pax data est. Quum templum Vestæ arderet, Cæcilius Metellus pontifex maximus ex incendio sacra[8] rapuit. Duæ tribus adjectæ sunt, Velina et Quirina[9]. Falisci quum rebellassent, sexto die perdomiti, in deditionem venerunt.

EPITOME LIBRI XX.

Spoletium colonia deducta est. Adversus Ligures tunc primum exercitus promotus est. Sardi et Corsi, quum rebellassent, subacti sunt. Tuccia virgo Vestalis incesti damnata[1] est. Bellum Illyriis, propter unum ex legatis[2], qui ad eos missi erant, occisum, indictum est: subactique in deditionem venerunt. Prætorum numerus ampliatus est, ut essent quatuor. Galli Transalpini, qui in Italiam irruperant, cæsi sunt. Eo bello populus romanus sui[3] Latinique nominis trecenta millia armatorum habuisse dicitur. Exercitibus romanis tum primum trans Padum ductis, Galli Insubres, aliquot præliis fusi, in deditionem venerunt. M. Claudius Marcellus consul, occiso Insubrium Gallorum duce Virdomaro, opima[4] spolia retulit. Istri subacti

ribus Epitomis ullam Hamilcaris mentionem fieri.

8. *Metellus ex incendio sacra rapuit*, Palladium. Conf. Val. Max. I, 4, § 4; Plin. VII, 43; Oros. IV, 11; Sen. Contr. Exc. IV, 2; Lips. de Vesta, cap. 9.

9. *Velina et Quirina*, al. *Exquilina*. Conj. *Sapinia* Gruch. de Comitiis, II, 1. — *Falisci quum rebellassent, sexto die perdomiti, in deditionem venerunt.* Hæc periodus ad Epitomen XX refertur in quibusdam codicibus, teste Drak. Ed.

Epit. XX. 1. *Tuccia virgo Vestalis incesti damnata*; conf. Hard. ad Plin. XXVIII, 2, et Intpp. Val. Max. VIII, 1, § 6. In MSS et edd. antt. *Lucia*, *Luceia*, *Tutia*, *Tucia*.

2. *Bellum Illyriis, propter unum ex legatis*, etc. Conf. Polyb. II, 8; Plin. XXXIV, 6, n. 11; Pigh. Annal. ad annum 523.

3. *Eo tempore populus romanus sui*, etc. Conf. Polyb. II, 24, § 14 sq. ibique Schweigh.

4. *Occiso Insubrium Gallorum duce Virdomaro* (al. *Viridomaro* et in lapid.

sunt. Item Illyrii, quum rebellassent[5], domiti in deditionem venerunt. Lustrum a censoribus conditum est, quo censa sunt civium capita ducenta septuaginta millia, ducenta tredecim. Libertini in quatuor tribus[6] redacti sunt, quum antea dispersi per omnes fuissent, Esquilinam, Palatinam, Suburranam, Collinam. C. Flaminius censor viam[7] Flaminiam munivit, et circum Flaminium exstruxit[8]. Coloniæ deductæ in agro de Gallis capto, Placentia et Cremona.

EPITOME LIBRI XXI.

In Italiam[1] belli Punici secundi ortus narratur, et Hannibalis Pœnorum ducis contra fœdus per Iberum amnem transitus, a quo Saguntum, sociorum populi

Capit. *Virdumaro*), *opima*, etc. conf. Broekh. ad Propert. IV, 10, vs. 41. Plut. Marcell. p. 301; Pigh. Annal. ad annum 531.

5. *Iterum Illyrii, quum rebellassent*, etc. Conf. Polyb. III, 16-19, 107; IV, 37, 66.

6. *Libertini in quatuor tribus*, etc. « Humillimos et omnem forensem turbam in quatuor urbanas tribus ante annos quasi *CXXX* conjecerant censores Q. Fabius et P. Decius; vid. Liv. IX, 46. Hoc nomine etiam libertinos comprehendi, recte tradunt Manutius, Sigonius, Gruchius et Pighius. Nam hos a Fabio *tribubus emotos* auctor est Aurel. Vict. cap. 32. Quomodo ergo nunc rursus per omnes tribus dispersi fuerunt? Probabilis est sententia Sigonii de Ant. Jur. Civ. Rom. II, 4, hoc vel negligentia vel temeritate censorum post Fabium ac Decium factum fuisse ». Duk. — *Quum antea dispersi per omnes fuissent*; adjecit Sigonius ex veteris libri auctoritate *per omnes*; quæ duæ voces sensum clariorem et rotundiorem efficiunt. Adstipulatur Sigonio unus Hearnii codex. Ed.

7. *C. Flaminius censor viam*, etc. Has omnes voces, testibus Crever. et Drak., supplevit Sigonius ex historiæ fide, quum olim nullum hic earum vestigium exstaret. Hanc ejus conjecturam, nixam Cassiodoro et Festo auctoribus, deinceps omnes post illum editi receperunt. Vide ad Liv. XXII, 11, n. 3. Ed.

8. *Circum Flaminium exstruxit*; vide ad Liv. III, 54, n. 8.

Epit. XXI. 1. *In Italiam*, h. e. adversus Italiam, seu Romanos, eorumque socios in Italia; Drak. qui ita in pluribus codd. legi monet *in Italiam* lib. XXIII, 35 pr. *in Siciliam* lib. XXVII, 5; *in Africam* lib. XXXI, 4. Sed vereor, ut hæc multis arrideant. *In Italia* MS Boend. et ed. Mogunt. prob. Gronov. si duo hæc vocab. ad finem Epit. præc. revocen-

romani civitas, obsessa octavo mense capta est. De quibus injuriis missi legati ad Carthaginienses, qui quererentur. Quum satis facere nollent, bellum iis indictum est. Hannibal, superato Pyrenæo saltu, per Gallias, fusis Volscis, qui obsistere conati erant, ad Alpes venit; et laborioso per eas transitu (quum montanos quoque Gallos obvios aliquot prœliis repulisset) descendit in Italiam, et ad Ticinum amnem Romanos equestri prœlio fudit : in quo vulneratum P. Cornelium Scipionem protexit filius, qui Africani postea nomen accepit. Iterumque exercitu romano ad flumen Trebiam fuso, Hannibal Apenninum quoque, per magnam militum vexationem propter vim tempestatum, transiit [2]. Cn. Cornelius Scipio in Hispania contra Pœnos prospere pugnavit, duce hostium Magone capto [3].

EPITOME LIBRI XXII.

Hannibal, per continuas vigilias in paludibus oculo amisso, venit in Etruriam : per quas paludes quatriduo et tribus noctibus sine ulla requie iter fecit. C. Flaminius consul, homo temerarius, contra auspicia profectus, signis militaribus effossis, quæ tolli non poterant, et ab equo, quem conscenderat, per caput devolutus, insidiis ab Hannibale circumventus, ad Trasimenum lacum cum exercitu cæsus est. Sex mil-

tur, ut ita loquatur, quod alii fuerint Galli extra Italiam. Bellum vero Punicum II, simul in Italia, Hispania, Gallia et Sicilia ortum monet. — *Obsessa octavo mense capta est;* vox *obsessa* in veteribus editionibus deest, sed in membranis pæne omnibus occurrit, testibus Delrio et Drak. Ed.

2. *Hannibal Apenninum quoque... transiit;* eum id frustra tentasse tradit Liv. XXI, 58, 59. — De transitu Apennini, vid. Exc. ad calcem hujus voluminis; hinc nova lux huic loco nondum intellecto veniet. Ed.

3. *Duce hostium Magone capto;* vide ad Liv. XXI, 60, n. 5.

lia, quæ eruperant, fide ab Maharbale data, perfidia Hannibalis vincta sunt. Quum ad nuntium cladis Romæ luctus esset, duæ matres, ex insperato receptis filiis, gaudio mortuæ sunt. Ob hanc cladem ex Sibyllinis libris ver sacrum votum. Quum deinde Q. Fabius Maximus dictator, adversus Hannibalem missus, nollet acie cum eo confligere, ne, contra ferocem tot victoriis hostem, territum adversis præliis militem pugnæ committeret, et, opponendo se tantummodo, conatus Hannibalis impediret, M. Minucius magister equitum, ferox et temerarius, criminando dictatorem tanquam segnem et timidum, effecit, ut populi jussu æquaretur ei cum dictatore imperium; divisoque exercitu, quum iniquo loco[1] conflixisset, et in maximo discrimine legiones ejus essent, superveniente cum exercitu Fabio Maximo discrimine liberatus est. Quo beneficio victus castra cum eo junxit, et *patrem* eum salutavit; idemque facere milites jussit. Hannibal, vastata Campania, inter Casilinum oppidum et Calliculam montem a Fabio clausus, sarmentis ad cornua boum alligatis et incensis, præsidium Romanorum, quod Calliculam insidebat, fugavit; et sic transgressus est saltum: idemque Q. Fabii Maximi dictatoris, quum circumposita ureret, agro pepercit, ut illum tanquam proditorem suspectum faceret. Æmilio deinde Paullo et Terentio Varrone consulibus et ducibus, cum maxima clade adversus Hannibalem ad Cannas pugnatum est: cæsaque eo prælio Romanorum quadraginta quinque millia, cum Paullo consule et senatoribus octoginta, consularibus atque prætoriis aut ædiliciis triginta. Post quam cladem quum a nobilibus adolescentibus

Epit. XXII. 1. *Quum iniquo loco.* Vulgati habent *quum in iniquo.* Inutilem et ingratam hic voculam, quam a veteribus libris abesse Sigonius, Sanctius, et Drakenborchius testantur, jure sustulimus. Ed.

propter descriptionem consilium de relinquenda Italia iniretur, P. Cornelius Scipio tribunus militum, qui postea Africanus nuncupatus est, stricto super capita deliberantium ferro, juravit, se pro hoste habiturum eum, qui in verba sua non jurasset; effecitque, ut omnes minime relictum iri a se Italiam jurejurando adstringerentur. Præterea trepidationem Urbis et luctum, et res in Hispania meliore eventu gestas continet. Opimia et Floronia, Vestales virgines, incesti damnatæ sunt. Propter paucitatem vero militum servorum octo millia armata sunt. Captivi, quum potestas esset redimendi, redempti non sunt. Varroni obviam itum est, et gratiæ actæ, quod de republica non desperasset.

EPITOME LIBRI XXIII.

Campani ad Hannibalem defecerunt. Nuntius Cannensis victoriæ Mago Carthaginem missus annulos aureos, a digitis occisorum Romanorum detractos, in vestibulo curiæ effudit: quos excessisse modii mensuram [1] traditur. Post quem nuntium Hanno, vir ex Pœnis nobilissimus, suadebat senatui Carthaginiensium, ut pacem a populo romano peterent: nec tenuit, obstrepente Barcina factione. Claudius Marcellus prætor ad Nolam, eruptione adversus Hannibalem ex oppido facta, prospere pugnavit. Exercitus Hannibalis per hiberna Capuæ ita luxuriatus est, ut corporum viribus atque animorum enervaretur. Casilinum, a Pœnis obsessum, ita fame vexatum est, ut lora et pelles scutis detractas, item mures, essent; et nu-

Epit. XXIII. 1. *Excessisse modii mensuram;* vide ad Liv. XXIII, 12, n. 1. — *Nec tenuit, obstrepente,* etc. vide ad Liv. XXII, 42, n. 2.

cibus, per Vulturnum amnem a Romanis missis, vixerint. Senatus ex equestri ordine hominibus centum nonaginta septem suppletus[2] est. L. Postumius prætor a Gallis cum exercitu cæsus est. Cn. et P. Scipiones in Hispania Hasdrubalem vicerunt, et Hispaniam suam fecerunt. Reliquiæ Cannensis exercitus in Siciliam relegatæ sunt, ne recederent inde, nisi finito bello. Inter Philippum[3] Macedonum regem et Hannibalem societas juncta est. Sempronius Gracchus consul Campanos cecidit. Præterea in Sardinia feliciter a T. Manlio prætore adversus Pœnos Sardosque res gestas continet: a quo Hasdrubal dux et Mago et Hanno capti. Claudius Marcellus prætor[4] Hannibalis exercitum ad Nolam prælio fudit et vicit: primusque tot cladibus fessis Romanis meliorem spem belli dedit.

EPITOME LIBRI XXIV.

Hieronymus, Syracusanorum rex, cujus avus Hiero amicus populi romani fuerat, ad Carthaginienses defecit; et propter crudelitatem superbiamque a suis interfectus est. Ti. Sempronius Gracchus proconsul prospere adversus Pœnos et Hannonem ducem ad Beneventum pugnavit, servorum maxime opera, quos liberos esse jussit. Claudius Marcellus consul in Sicilia, quæ prope tota ad Pœnos defecerat, Syracusas obsedit. Philippo Macedonum regi bellum indictum est; qui, ad Apolloniam nocturno prælio oppressus

2. *Senatus ex equestri ordine hom. CXCVII s.* vide ad Liv. XXIII, 23, n. 7; ubi varias lectiones indicamus: in textu numerantur tantum *CLXXVII.* Ed. — *Ne recederent inde;* Leid. et Exc. Pithœi *decederent*, nec male, quod *decedere* de militibus ex præsidio vel provincia abeuntibus solenne sit; Drak. Eamdem etiam lectionem probavit Crev. Ed.

3. *Inter Philippum.....dedit.* Hæc verba in MSS longe alio ordine leguntur, quem mutavit Aldus. Ed.

4. *Claudius Marcellus prætor,* etc., potius consul. Conf. Liv. XXIII, 31 et 44 sq.

fugatusque, Macedoniam cum prope inermi exercitu perfugit. Ad id bellum gerendum Valerius prætor missus est. Res præterea in Hispania a P. et Cn. Scipionibus adversus Carthaginienses gestas continet. Syphax, rex Numidarum, in amicitiam adscitus, et a Masinissa, rege Massylorum, pro Carthaginiensibus pugnante, victus, in Maurusios[1] cum magna manu transiit contra Gades, ubi angusto freto Africa et Hispania dirimuntur. Celtiberi quoque in amicitiam recepti sunt: quorum auxiliis adscitis, tunc primum mercenarium militem romana castra habuerunt.

EPITOME LIBRI XXV.

P. Cornelius Scipio, postea Africanus, ante[1] annos ædilis factus est. Hannibal urbem Tarentum, præter arcem, in quam præsidium Romanorum fugerat, per Tarentinos juvenes, qui se noctu venatum ire simulaverant, cepit. Ludi Apollinares ex Marcii carminibus, quibus Cannensis clades prædicta fuerat, instituti sunt. A Q. Fulvio et Ap. Claudio consulibus adversus Hannonem Pœnorum ducem prospere pugnatum est. Ti. Sempronius Gracchus proconsul, ab hospite suo Lucano in insidias deductus, a Magone interfectus est. Centenius Penula, qui centurio militaverat, quum petisset a senatu, ut sibi exercitus daretur, pollicitusque esset, si hoc impetrasset, de Hannibale victoriam, octo millibus acceptis, militum dux factus, conflixit

Epit. XXIV. 1. *In Maurusios;* pro his verbis reperimus in vett. editis *in Hispaniam ad Scipionem.* « Quis mutaverit, ait Creverius, incertum. Sed hæc emendatio desumpta est procul dubio ex cap. 49 hujus libri. Forsitan hic aliquod gravius mendum latebat: aliquot verba intercidisse suspicamur. Ed.

Epit. XXV. 1. *Ante annos* legitimos, quam vocem addunt edd. antt. Conf. Liv. XXV, 2.

acie cum Hannibale, et cum exercitu cæsus est. Cn. Fulvius prætor male adversus Hannibalem pugnavit. In quo prælio hominum sexdecim millia[2] ceciderunt: ipse cum equitibus ducentis effugit. Capua obsessa est a Q. Fulvio et Ap. Claudio consulibus. Claudius Marcellus Syracusas expugnavit anno tertio, et ingentem se virum gessit. In eo tumultu urbis captæ Archimedes, intentus formis, quas in pulvere descripserat, interfectus est. P. et Cn. Scipiones in Hispania tot tantarumque rerum feliciter gestarum tristem exitum tulerunt, prope cum totis exercitibus cæsi anno octavo quam[3] in Hispaniam iverant. Amissaque ejus provinciæ possessio foret, nisi L. Marcii equitis romani virtute et industria, contractis exercituum reliquiis, ejusdem hortatu, bina castra hostium expugnata essent. Ad triginta septem millia cæsa; ad mille octingentos triginta capti; præda ingens parta. Dux Marcius appellatus est.

EPITOME LIBRI XXVI.

Hannibal ad tertium ab urbe Roma lapidem super Anienem castra posuit. Ipse vero cum duobus millibus equitum usque ad ipsam Capenam portam, ut urbis situm exploraret, obequitavit[1]: et quum per triduum in aciem utrimque exercitus omnis descen-

2. *Sexdecim millia ceciderunt* Aldus substituit ex Liv. XXV, 21, pro *XX millia*, quod in MSS legitur.

3. *Anno octavo quam*, etc. vide ad Liv. XXV, 36, n. 8.

Epit. XXVI. 1. *Usque ad ipsam Capenam portam... obequitavit*, forte *adequitavit;* Drak. « Id factum dicit Val. Max. III, 7, § 10, *Capenam portam armis Hannibale pulsante.* Vix tamen credibile est, Pœnum præter castra Fulvii et Esquilinam portam pergere potuisse ad Capenam, nec id Livius concedit; adeo ut, si Epitomator quoque innuere voluerit, eum ab Aniene versus Romam propius accessisse, haud dubie etiam scripserit *Collinam portam*, ut Livius, cap. 10; Plin. XV, 20, et Serv. ad Virgil. Æn. VIII, 110. » Periz. Cf. ejusdem Anim. Hist. cap. 9, pag. 379. — *Per triduum*, at *per biduum* Liv. cap. 11.

disset, certamen tempestas diremit; nam quum in castra rediissent[2], statim serenitas erat. Capua capta est a Q. Fulvio et Ap. Claudio consulibus. Principes Campanorum veneno sibi consciverunt mortem. Quum senatus Campanorum deligatus esset ad palos, ut securi feriretur, literas a senatu missas[3] Q. Fulvius consul, quibus jubebatur parcere, antequam legeret, in sinu posuit, et lege agi jussit, et supplicium peregit. Quum in comitiis apud populum quæreretur, cui mandaretur Hispaniarum imperium, nullo id volente suscipere, P. Scipio, P. filius, qui in Hispania ceciderat, professus est se iturum; et, suffragio populi consensuque omnium missus, Novam Carthaginem uno die expugnavit, quum ageret vigesimum quartum annum, videreturque divina stirpe creatus; quoniam et ipse, postquam togam acceperat, quotidie in Capitolio erat, et in cubiculo matris ejus anguis sæpenumero videbatur. Res præterea in Sicilia gestas continet, et amicitiam cum Ætolis junctam, bellumque gestum adversus Acarnanas et Philippum Macedoniæ regem.

EPITOME LIBRI XXVII.

Cn. Fulvius proconsul cum exercitu ab Hannibale ad Herdoneam cæsus est. Meliore eventu a Claudio Marcello consule adversus eumdem ad Numistronem pugnatum est; inde Hannibal noctu recessit. Marcellus

2. *Nam quum in castra rediissent*, etc. τὸ *nam* minime h. l. convenit; et vel *at* aut simile quid legendum videtur; vel, quod Crev. suspicabatur, aliquid intercidit, quale reperimus apud Liv. cap. 11, *in religionem ea res apud Pœnos versa est: nam*, etc.

3. *Literas a senatu missas*, ex Liv. cap. 15: *l. a prætore missas* conjicit Delrius. An leg. *literas cum SCto?* — *Anguis sæpenumero videbatur:* unus ex MSS Hearnii, *visus* erat: Andreas, *visus est*. Certe, ait Crev., τὸ *videbatur* hic parum accurate dictum est. Ed.

insequutus est, et subinde cedentem pressit, donec confligeret. Priore pugna Hannibal superior fuit, Marcellus insequenti. Fabius Maximus pater consul[1] Tarentinos per proditionem recepit. In Hispania ad Bæculam Scipio cum Hasdrubale Hamilcaris conflixit, et vicit. Inter alia captum puerum regalem eximiæ formæ ad avunculum Masinissam cum donis dimisit. Claudius Marcellus, T. Quintius Crispinus consules, speculandi causa progressi e castris, insidiis ab Hannibale circumventi sunt. Marcellus occisus fuit, Crispinus fugit. Res præterea a P. Sulpicio prætore adversus Philippum et Achæos gestas continet. Lustrum a censoribus conditum est: censa sunt civium capita centum triginta septem millia centum et octo: ex quo numero apparuit, quantum hominum tot præliorum adversa fortuna populo romano abstulisset. Hasdrubal, qui cum exercitu novo transcenderat Alpes, ut se Hannibali conjungeret, cum millibus hominum[2] quinquaginta sex cæsus est, M. Livii consulis ductu, sed non minore opera Claudii Neronis consulis. Qui, quum Hannibali oppositus esset, relictis castris, ita ut hostem falleret, cum electa manu[3] profectus, Hasdrubalem circumvenit.

EPITOME LIBRI XXVIII.

Res in Hispania prospere gestæ a Silano, Scipionis legato[1], et ab L. Scipione fratre adversus Pœnos, a

Epit. XXVII. 1. *Fabius Maximus pater consul;* sic emendavit Sigonius, quum prius legeretur *pater consulis*, quod manifeste vitiosum erat. Ed.

2. *Cum millibus hominum LVI cæsus est;* quidam MSS addunt *capta V millia et CCCC.*

3. *Cum electa manu*, MS Boend. *delecta*, probb. Duk., Crev. et Drak.

Epit. XXVIII. 1. *A Silano, Scipionis legato;* nota Dukeri est: « Silanum a Scipione cum parte copiarum adversus hostes missum fuisse, plus semel scribit Livius; legatum Scipionis nusquam vocat. Adjutorem Scipioni ad res gerendas datum Silanum

Sulpicio proconsule et ab Attalo rege Asiæ adversus Philippum regem Macedonum, pro Ætolis, referuntur. Quum M. Livio et Claudio Neroni consulibus triumphus decretus esset, Livius, qui in provincia sua rem gesserat, quadrigis invectus est; Nero, qui in collegæ provinciam, ut victoriam ejus adjuvaret, venerat, equo est sequutus, et in hoc habitu plus gloriæ reverentiæque habuit : nam et plus in bello, quam collega, fecerat. Ignis in æde Vestæ negligentia virginis, quæ non custodierat, exstinctus est : virgo cæsa est flagro. P. Scipio in Hispania cum Pœnis debellavit quarto decimo anno[2] ejus belli, quinto post anno, quam ierat; exclusisque in totum possessione ejus hostibus, Hispaniam recepit. Et a Tarracone in Africam[3] ad Syphacem regem Numidarum duobus navigiis transvectus, fœdus junxit. Hasdrubal Gisgonis ibi cum eo in eodem lecto cœnavit[4]. Munus gladiatorium in honorem patris patruique Carthagini Novæ[5] edidit, non ex gladiatoribus, sed ex iis, qui aut in honorem ducis, aut ex provocatione in certamen descendebant : in quo reguli fratres de regno

proprætorem, scribit XXVI, 19. Prorogatum ei et Scipioni imperium in Hispania XXVII, 7 : utrique suas Hispanias suosque exercitus in annum decretos XXVII, 22. Et Scipio eum eodem jure eodemque imperio secum in provinciam missum dicit XXVIII, 28 ». Verba *Scipionis legato* post *Scipione fratre* ponenda esse, putabant Roëll. et Drak. conf. Liv. XXVIII, 28 extr.

2. *Cum Pœnis debellavit XIV anno* omnes MSS et edd. ante ultimam Gruteri. Is *XV anno* reposuit, sed Crev. *XIII anno*. Conf. ad Liv. XXVIII, 16, 4.

3. *A Tarracone in Africam*, etc. a Carthagine, Liv. XXVIII, 17, n. 5, et ita forte leg. — *Ad Syphacem regem Numidarum*, in 5 MSS *regem Massiliorum :* unde *Masæsylorum* emend. Delrius et Drak.

4. *In eodem lecto cœnavit* ex 5 MSS et edd. antt. recepi. Aldus dedit *accubavit*, et Curio *accubuit*, quod plerique ediderunt.

5. *Carthagini Novæ* omnes fere MSS et edd. ante Sigon. et Gronov. quæ substituerunt *Carthagine Nova*. Forte leg. *Carthagini nova ;* Drakenb. Vide ad Liv. XXVIII, 26, n. 1. Mox *Astapa* Mog. edidere ex Liv. XXVIII,

ferro contenderunt. Quum Astapa urbs ab Romanis oppugnaretur, oppidani liberos et conjuges rogo exstructo occiderunt, et se insuper præcipitaverunt. Ipse Scipio, dum gravi morbo implicitus est, seditionem, in parte exercitus motam, confirmatus discussit, rebellantesque Hispaniæ populos coegit in deditionem venire; et, amicitia facta cum Masinissa rege Numidarum, qui illi auxilium, si in Africam trajecisset, pollicebatur, cum Gaditanis quoque post discessum inde Magonis, cui ex Carthagine scriptum erat, ut in Italiam trajiceret, Romam reversus consulque creatus. Africam provinciam petenti, contradicente Q. Fabio Maximo, Sicilia data est; permissumque, in Africam trajiceret, si ex re publica esse censeret. Mago, Hamilcaris filius, a minore Baliari insula, ubi hiemarat, in Italiam trajecit.

EPITOME LIBRI XXIX.

Ex Sicilia C. Lælius in Africam a Scipione missus ingentem prædam reportavit, et mandata Masinissæ Scipioni exposuit[1], conquerentis, quod nondum exercitum in Africam trajecisset. Bellum in Hispania finitum, victore romano, quod Indibilis excitaverat; ipse in acie occisus, Mandonius exposcentibus Romanis a suis deditus est. Magoni, qui in Gallia et Liguribus erat, ex Africa et militum ampla manus missa, et pecuniæ, quibus auxilia conduceret; præceptumque, ut se Hannibali jungeret. Scipio a Syracusis in Bruttios trajecit, et Locros, pulso Punico præsidio fugatoque

22. In MSS et edd. antt. *Oisiana, Gigia, Gisia, Gythia, Gytthia.* — *Et amicitia facta cum Masinissa... Romam reversus.* Vulgo *Et amicitia facta est.* Delevere Crev. et Drakenb. vocem *est,* quam a vet. lib. Sigonius abesse testatur: et omittit quoque Campanus. Sic enim rotundior videtur oratio. Ed.

Epit. XXIX. 1. *Scipioni exposuit,*

Hannibale, recepit. Pax cum Philippo facta est. Idæa mater deportata est Romam a Pessinunte oppido Phrygiæ, carmine in libris Sibyllinis invento, *pelli Italia alienigenam hostem posse, si mater Idæa deportata Romam esset.* Tradita autem est Romanis per Attalum regem Asiæ. Lapis erat, quem Matrem Deum incolæ dicebant. Excepit P. Scipio Nasica Cn. filius, ejus, qui in Hispania perierat, vir optimus a senatu judicatus, adolescens nondum quæstorius, quoniam ita responsum jubebat, *ut numen id ab optimo viro reciperetur consecrareturque.* Locrenses legatos Romam miserunt, qui de impotentia Q. Pleminii legati quererentur, quod pecuniam Proserpinæ abstulerat, et liberos eorum ac conjuges stupraverat. Pleminius, in catenis Romam perductus, in carcere mortuus est. Quum falsus rumor de P. Scipione proconsule, qui in Sicilia erat, in Urbem perlatus esset, tanquam is luxuriaretur; missis ob hoc legatis a senatu, qui explorarent, an ea vera essent, purgatus infamia Scipio in Africam trajecit, senatus permissu. Syphax, accepta in matrimonium filia Hasdrubalis Gisgonis, amicitiæ, quam cum Scipione ipsa junxerat, renuntiavit. Masinissa, rex Massyliorum, dum pro Carthaginiensibus in Hispania militat, amisso patre Gala, de regno exciderat. Quo per bellum sæpe repetito, aliquot præliis a Syphace rege Numidarum victus, in totum privatus est: et cum ducentis equitibus exsul Scipioni se junxit; et cum eo primo statim bello Hannonem Hamilcaris filium cum ampla manu interemit. Scipio, adventu Hasdrubalis et Syphacis, qui prope cum centum millibus armatorum venerant, ab obsi-

conquerentis, etc. Ita ediderunt vetustius cusi. Gron. edit. *exponit.* Sed illud alterum accuratius respondet τῷ *reportavit,* quod præcedit. En.

dione Uticæ depulsus, hiberna communivit. Sempronius consul in agro Crotoniensi prospere adversus Hannibalem pugnavit. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita ducenta quatuordecim millia. Inter censores, M. Livium et Claudium Neronem, notabilis discordia fuit: nam et Claudius Livio collegæ equum ademit, quod a populo damnatus actusque in exsilium fuerat; et Livius Claudio, quod falsum in se testimonium dixisset, et quod non bona fide secum in gratiam redisset. Idem omnes tribus, extra unam, ærarias reliquit, quod et innocentem se damnassent, et postea consulem censoremque fecissent.

ÉPITOME LIBRI XXX.

In Africa Scipio Carthaginienses et eumdem Syphacem Numidarum regem Hasdrubalemque pluribus præliis vicit, adjuvante Masinissa, binaque hostium castra expugnavit: in quibus quadraginta millia hominum ferro ignique consumpta sunt. Syphacem per C. Lælium et Masinissam cepit. Masinissa Sophonisbam, uxorem Syphacis, filiam Hasdrubalis, captam statim adamavit[1], et, nuptiis factis, uxorem habuit. Castigatus a Scipione venenum ei misit: quo hausto illa decessit: effectumque est multis Scipionis victoriis, ut Carthaginienses, in desperationem acti, in auxilium publicæ salutis Hannibalem ex Italia revocarent. Isque, anno decimo sexto Italia decedens, in Africam trajecit, tentavitque per colloquium pacem

Epit. XXX. 1. *Statim adamavit;* Gron. editiones habent *adamat.* Sed quum cætera omnia in hac epitome verba per præteritum tempus efferantur, ut cap. præced. fecimus, prætulimus *adamavit,* quod habent Campanus, Andreas, et alii codices quos laudat Drakenb. Ed.

cum Scipione componere : et, quum de conditionibus pacis non convenisset, acie victus est. Pax Carthaginiensibus data est petentibus. Hannibal Gisgonem, pacem dissuadentem, manu sua detraxit : excusata deinde temeritate facti, ipse pacem suasit. Mago, qui bello in agro Insubrium cum Romanis conflixerat, vulneratus, dum in Africam per legatos revocatus revertitur, ex vulnere mortuus est. Masinissæ regnum restitutum est. Reversus in Urbem Scipio amplissimum nobilissimumque egit triumphum, quem Q. Terentius Culleo senator pileatus sequutus est. Scipio Africanus (incertum[2] militari prius favore, an populari aura ita cognominatus) primus certe hic imperator victæ a se nomine gentis nobilitatus est.

EPITOME LIBRI XXXI.

Belli adversus Philippum Macedoniæ regem, quod intermissum erat, repetiti causæ referuntur hæ. Tempore Initiorum duo juvenes Acarnanes, qui non initiati erant, Athenas venerunt[1], et in sacrarium Cereris cum aliis popularibus suis[2] intraverunt. Ob hoc, tanquam nefas summum commisissent, ab Atheniensibus cæsi sunt. Acarnanes, mortibus suorum commoti, ad vindicandos illos auxilium a Philippo petierunt. Paucis mensibus post pacem Carthaginiensibus datam, quingentesimo quinquagesimo anno[3] ab Urbe condita,

2. *Scip. Afric.*, *incertum militari*, etc. forte del. *ita*, et sic distinguendum, sublata parenthesi ; *Scipio Africanus*, *incertum*...*aura*, *cognominatus : primus certe*, etc. Duk.

Epit. XXXI. 1. *Juvenes Acarnanes*, *qui non initiati erant*, *Athenas venerunt*, hoc obscure dictum, quia *templum Cereris* non fuit Athenis; Duker. Confer. Meurs. Eleus. cap. 6.

2. *Cum aliis popularibus suis* ex emend. Sigon. *pluribus* MSS et edd. vett. *cum aliis pluribus* vel *cum aliis* conj. Periz. *cum cætera turba* dixit Livius, cap. 14.—*Mortibus suorum ;* conf. Drak.

3. *Quingentesimo quinquagesimo anno ;* edidit Creverius *quingentesimo*

quum Atheniensium, qui obsidebantur a Philippo, legati auxilium a senatu petissent, et senatus id censuisset ferendum, plebe, quod tot bellorum continuus labor gravis erat, dissentiente, tenuit auctoritas Patrum, ut sociæ civitati ferri opem populus quoque juberet. Bellum id P. Sulpicio consuli mandatum est, qui, exercitu in Macedoniam ducto, equestribus prœliis cum Philippo prospere pugnavit. Abydeni a Philippo obsessi, ad exemplum Saguntinorum, suos seque occiderunt. L. Furius prætor Gallos Insubres rebellantes et Hamilcarem Pœnum, bellum in ea parte molientem, acie vicit. Hamilcar eo bello occisus est, et millia hominum triginta sex. Præterea expeditiones Philippi regis et Sulpicii consulis expugnationesque urbium ab utroque factas continet. Sulpicius consul, adjuvantibus rege Attalo et Rhodiis, bellum gerebat. Triumphavit de Gallis L. Furius prætor.

EPITOME LIBRI XXXII.

Complura prodigia ex diversis regionibus nuntiata referuntur; inter quæ, in Macedonia in puppi longæ navis lauream esse natam[1]. T. Quintius Flamininus consul adversus Philippum feliciter pugnavit in faucibus Epiri, fugatumque coegit in regnum reverti. Ipse Thessaliam, quæ est vicina Macedoniæ, sociis Ætolis et Athamanibus, vexavit. L. Quintius Flamininus consulis frater, Attalo rege et Rhodiis adjuvanti-

quadragesimo anno, sed hæc notat: « manifestum mendum. Corrigit Sigonius *quingentesimo quinquagesimo*. Annus autem ille numerari debet, ex calculo Dodwell. Liviano, *DLII* ab Urbe condita. » Ed.

Epit. XXXII. 1. *In puppi longæ navis lauream esse natam;* forte *enatam;* Duker. et Drakenb. coll. Liv. XXXII, 1, XLII, 2, XLIII, 13, Epit. L; Flor. II, 7, § 7; Suet. Aug. 92; et alii, inter quos præsertim Jul. Obs. cap. 47; Lycost. Edit. nost. Val. Max. Tom. II, part. post. p. 58. Ed.

bus, in Eubœam et maritimam oram trajectus, Eretriam expugnavit. Achæi in amicitiam recepti sunt. Conjuratio servorum, facta de solvendis Carthaginiensium obsidibus, oppressa est; duo millia necati sunt[2]. Prætorum numerus ampliatus est, ut seni crearentur. Cornelius Cethegus consul Gallos Insubres prælio fudit. Cum Lacedæmoniis et tyranno eorum Nabide amicitia juncta est. Præterea expugnationes urbium in Macedonia referuntur.

EPITOME LIBRI XXXIII.

T. Quintius Flamininus proconsul cum Philippo ad Cynoscephalas in Thessalia acie victo debellavit. L. Quintius Flamininus, frater proconsulis, Acarnanes, Leucade[1] urbe, quod caput est Acarnanum, expugnata, in deditionem accepit. C. Sempronius Tuditanus prætor a Celtiberis[2] cum exercitu cæsus est. Attalus, a Thebis ob subitam valetudinem[3] Pergamum translatus, decessit. Pax petenti Philippo, Græciæ libertas data est. L. Furius Purpureo et Claudius Marcellus consules Boios et Insubres Gallos subegerunt. Marcellus triumphavit. Hannibal, frustra in

2. *Duo millia necati sunt;* quingenti ap. Liv. XXXII, 26, de quibus sumpsit supplicium P. Cornelius prætor. Vid. Tom. VI, pag. 224. Ed.

Epit. XXXIII. 1. *Acarnanes, Leucade*, etc. forte *Acarnanas*, etsi Charis. I, pag. 14, erroris arguit, qui *Pæanas, Titanas* et *Alcmanas* dixerunt; Drak.

2. *C. Sempronius Tuditanus prætor a Celtiberis*, etc. « Hoc non habet e Livio. Nam is, cap. 25, eum in Hispania citeriore victum scribit, Celtiberos non memorat. Et sic Oros. IV, 20. Sempronii provincia erat Hispania citerior, Celtiberi autem ultra Iberum erant. Sed quum senatus eum et Helvium, cui ulterior evenerat, jussisset terminare, quæ ulterior citeriorque provincia servaretur (vide ad XXXII, 28), Sigon. de Ant. Jure Prov. I, 5, putat, tum veteres terminos harum provinciarum mutatos, et Celtiberos inter Hispaniæ citer. populos numeratos fuisse ». Duker.

3. *Ob subitam valetudinem;* vett. edd. præter Camp. *invaletudinem;* sed vid. Epit. lib. XIII, n. 4. Ed.

Africa bellum molitus, et ob hoc Romanis per epistolas adversus factionis principum delatus, propter metum Romanorum, qui legatos ad Carthaginiensium senatum de eo miserant, profugus ad Antiochum regem Syriæ se contulit, bellum contra Romanos parantem.

EPITOME LIBRI XXXIV.

Lex Oppia, quam C. Oppius tribunus plebis bello Punico[1] de finiendis matronarum cultibus[2] tulerat, cum magna contentione abrogata est, quum Porcius Cato auctor fuisset, ne ea lex aboleretur. Is, in Hispaniam profectus, bello, quod Emporiis orsus est, citeriorem Hispaniam pacavit. T. Quintius Flamininus bellum adversus Lacedæmonios et tyrannum eorum Nabidem prospere gestum, data iis pace, qualem ipse voluit, liberatisque Argis, qui sub ditione tyranni erant, finivit. Senatus tunc primum secretus a populo ludos spectavit : ut id fieret, Sex. Ælius Pætus et C. Cornelius Cethegus censores intervenerunt, cum indignatione plebis. Coloniæ pleræque[3] deductæ sunt. M. Porcius Cato de Hispania triumphavit. Res præterea in Hispania, et adversus Boios et Insubres Gallos feliciter gestæ referuntur. T. Quintius Flamininus, qui Philippum Macedonum regem et Nabidem Lacedæmoniorum tyrannum vicerat, Græciamque omnem liberaverat, ob hanc rerum gestarum multitudinem

Epit. XXXIV. 1. *Bello Punico*, sc. secundo, ut apud Liv. XLV, 14, et XXXIV, 1 et 6, ubi tamen simul consules nominantur, quibus lex lata est.

2. *De finiendis m. cultibus*, de modo fineque cultibus et eorum sumptibus statuendo; Gron. Cf. Liv. cap. 6, lib. cit. et ad IX, 34, n. 6, et X, 13, n. 13. *Stringendis* et *fingendis* alii.

3. *Coloniæ pleræque*; mallet Crev. *coloniæ plures*, quod e vet. lib. affert Sigonius. Sed vide ad Liv. X, 13, n. 12. Ed.

triduo triumphavit. Legati Carthaginiensium nuntiaverunt, Hannibalem, qui ad Antiochum confugerat, bellum cum eo moliri. Tentaverat autem Hannibal per Aristonem Tyrium, sine literis Carthaginem missum, ad rebellandum Pœnos concitare.

EPITOME LIBRI XXXV.

P. Scipio Africanus legatus [1] ad Antiochum, Ephesi cum Hannibale, qui se Antiocho junxerat, colloquutus est; ut, si fieri posset, metum ei, quem ex populo romano conceperat, eximeret. Inter alia quum quæreret, quem fuisse maximum imperatorem Hannibal crederet, respondit: *Alexandrum Macedonum regem, quod parva manu innumerabiles exercitus fudisset, quodque ultimas oras, quas visere supra spem humanam esset, peragrasset.* Quærenti deinde, quem secundum poneret, *Pyrrhum*, inquit, *castra metari primum docuisse. Ad hoc neminem elegantius loca cepisse, præsidia disposuisse.* Exsequenti, quem tertium diceret [2], *semet ipsum* dixit. Ridens Scipio, *Quidnam tu diceres, si me*, inquit, *vicisses? Tunc vero*, inquit, *me et ante Alexandrum, et ante Pyrrhum, et ante alios posuissem.* Inter cætera prodigia, quæ plurima fuisse traduntur, bovem Cn. Domitii consulis loquutum [3], *Roma cave tibi*, refertur. Apparant in An-

Epit. XXXV. 1. *P. Scipio Afric. legatus*, etc. vid. cap. 14, lib. XXXV, p. 461, Tom. VI. Ed.

2. *Exsequenti* (vide ad Liv. V, 15, n. 8), *quem tertium diceret:* puto *duceret*, ut in Liv. cap. 14, a quo *crederet* et *poneret* sumpsit, quibus aptius jungitur *duceret*, quam *diceret;* Duk. *Diceret* etiam pro *duceret* perperam pauci codd. Drak.

3. *Bovem loquutum.* Lycosthenes in Supplementis Jul. Obsequentis eadem prodigia iisdem verbis refert; pag. 61 Tom. II, part. post. Val. Maxim. nost. Edit. et ipse Jul. Obseq. in quinque capitibus, 74, 85, 86, 103, 113, *bovem loquentem* narrat. Videnda sunt quæ de his *boum locutionibus* notavit J. Bochartus, de Animal. part. prior. lib. II, cap. 14, p. 198. Ed.

tiochum bellum Romani. Nabis Lacedæmoniorum tyrannus, incitatus ab Ætolis, qui et Philippum et Antiochum ad inferendum bellum populo romano sollicitabant, a populo romano descivit; et, bello adversus Philopœmenem Achæorum prætorem gesto, ab Ætolis et ab Alexameno[4] duce eorum interfectus est. Ætoli quoque ab amicitia populi romani defecerunt. Cum quibus societate juncta, Antiochus Syriæ rex, quum bellum Græciæ intulisset, complures urbes occupavit, inter quas Chalcidem, et totam Euboeam. Res præterea in Liguribus gestas et apparatum belli ab Antiocho continet.

EPITOME LIBRI XXXVI.

Man. Acilius Glabrio consul Antiochum, apud Thermopylas, Philippo rege adjuvante, victum[1], Græcia expulit, idemque Ætolos subegit. P. Cornelius Scipio Nasica consul ædem Matris Deum, quam ipse in Palatium intulerat, vir optimus a senatu judicatus, dedicavit[2]; idemque Boios Gallos victos in deditionem accepit, et de iis triumphavit. Præterea navalia certamina prospera adversus præfectos Antiochi regis referuntur.

4. *Ab Ætolis et ab Alexameno duce eorum*, etc. quinque ultimas voces, quæ a vulgatis absunt, in uno e MSS suis exstare testatur Drak. Ed.

Epit. XXXVI. 1. *Antiochum apud Thermopylas, Philippo rege adjuvante, victum;* sed vid. Liv. cap. 25. *Antiochum a. Th. victum Græcia expulit, idemque Philippo rege adjuvante Ætolos subegit* conjicit Periz. Anim. Hist. cap. 9, p. 376. — *Ætolos subegit;* hoc non usquequaque verum aut accuratum esse notat Crev. Ætoli enim ab Acilio consule non subacti sunt, sed datis ad mittendos Romam legatos induciis discessum est ab eorum regione; vide inf. cap. 35.

2. *Scipio Nasica consul ædem Matris Deum... dedicavit*, immo M. Junius Brutus prætor urbanus; vid. Liv. cap. 36, et conferendus Perizonius l. l. pag. 377.

EPITOME LIBRI XXXVII.

L. Cornelius Scipio consul, legato P. Scipione Africano (qui se legatum fratris futurum dixerat, si ei Græcia provincia[1] decerneretur, quum C. Lælio, qui multum in senatu poterat, ea provincia dari videretur) profectus ad bellum adversus Antiochum gerendum, in Asiam primus omnium romanorum ducum trajecit. Æmilius Regillus adversus regiam classem Antiochi[2] feliciter pugnavit ad Myonnesum, Rhodiis adjuvantibus. Filius Africani ab Antiocho captus, patri remissus est. M'. Acilius Glabrio de Antiocho, quem Græcia expulerat, et de Ætolis triumphavit. Victo deinde Antiocho a L. Cornelio Scipione, adjuvante Eumene rege Pergami, Attali filio, pax data est ea conditione, ut omnibus provinciis citra Taurum montem cederet. Eumeni, quo juvante Antiochus victus erat, regnum ampliatum. Rhodiis quoque, qui et ipsi juverant, quædam civitates concessæ. Colonia deducta est Bononia. Æmilius Regillus, qui præfectos Antiochi navali certamine vicerat, navalem triumphum duxit. L. Cornelius Scipio, qui cum Antiocho debellaverat, cognomine fratri exæquatus, Asiaticus appellatus est.

EPITOME LIBRI XXXVIII.

M. Fulvius consul in Epiro Ambracienses obsessos in deditionem accepit, Cephalleniam subegit, Ætolis

Epit. XXXVII. 1. *Græcia provincia;* in quibusdam libris *Græcia et Asia p.* Græcia sola ei decreta est, cum eo, ut, si e republica videretur esse, exercitum in Asiam trajiceret; Duk. Conf. cap. 1 et 2.

2. *Regiam classem Antiochi,* vox *Antiochi* forte glossa; Duk.

perdomitis pacem dedit. Cn. Manlius consul, collega ejus, Gallogræcos, Tolistoboios et Tectosagos et Trocmos, qui Brenno duce in Asiam transierant[1], quum soli citra Taurum montem non parerent, vicit. Eorum origo, et quemadmodum ea loca, quæ tenent, occupaverint, refertur. Exemplum quoque virtutis et pudicitiæ in femina traditur. Nam quum Ortiagontis, regis Gallogræcorum, uxor captiva esset, centurionem custodem, qui ei vim intulerat, occidit. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita ducenta quinquaginta octo millia et trecenta viginti octo[2]. Cum Ariarathe, rege Cappadociæ, amicitia juncta est. Cn. Manlius, contradicentibus decem legatis, ex quorum consilio fœdus cum Antiocho conscripserat, de Gallogræcis, acta pro se causa in senatu, triumphavit. Scipio Africanus, die ei dicta, ut quidam aiunt, a Q. Petillio tribuno plebis, ut quidam, a Nævio, quod præda ex Antiocho capta ærarium fraudasset, postquam is dies venit, evocatus in Rostra, *Hac die*, inquit, *Quirites, Carthaginem vici:* et, prosequente populo, Capitolium ascendit. Inde, ne amplius tribunitiis injuriis vexaretur, in voluntarium exsilium Liternum concessit: incertum ibi, an Romæ, defunctus. Nam ejus monimentum utrobique fuit. L. Scipio Asiaticus, frater Africani, eodem peculatus crimine accusatus damnatusque, quum in vincula et carcerem duceretur, Ti. Sempronius Gracchus, tribunus plebis, qui antea Scipionibus inimicus fuerat, intercessit; et ob id beneficium Africani filiam duxit.

Epit. XXXVIII. 1. *Qui Brenno duce in Asiam transierant,* in quo auctor discedit a Livio. Conf. Periz. Anim. Hist. cap. 9, pag. 376. — *Ortiagontis* ex emend. Sigon. pro *Orgiagontis.*

2. *Censa s. civ. capita CCLVIII m. et CCCXXVIII;* forte *et CCCXVIII:* quem numerum apud Liv. XXXVIII, 36 extr. ex cod. Mogunt. restituit Drakenb. Ibi tamen et h. l. numerus variat in MSS et edd. antt. neque

Quum quæstores in bona ejus publice possidenda missi essent, non modo in iis ullum vestigium[3] pecuniæ regiæ apparuit, sed nequaquam tantum redactum, quantæ summæ erat damnatus. Collatam a cognatis et amicis innumerabilem pecuniam accipere noluit: quæ necessaria ei erant ad cultum, redempta.

EPITOME LIBRI XXXIX.

M. Æmilius consul, Liguribus subactis, viam a Placentia usque Ariminum perductam Flaminiæ junxit. Initia luxuriæ, introducta ab exercitu Asiatico, referuntur. Ligures, quicumque citra Apenninum erant, subacti sunt. Bacchanalia, sacrum græcum et [quidem] nocturnum, scelerum omnium seminarium, quum ad ingentis turbæ conjurationem pervenisset, a consule investigatum, et multorum pœna sublatum est. A censoribus L. Valerio Flacco et M. Porcio Catone, et belli et pacis artibus maximo[1], motus est senatu L. Quintius Flamininus, T. Quintii frater, eo quod, quum Galliam provinciam consul obtinuerat, rogatus in convivio a Philippo Pœno, quem amabat, scorto nobili, Gallum quemdam sua manu occiderat; sive, ut quidam tradiderunt, unum ex damnatis securi percusserat, rogatus a meretrice Placentina, cujus amore deperibat. Exstat in eum M. Catonis oratio.

etiam semper consentiunt Livius et auctor Epit. — *Quum quæstores in bona ejus possidenda publice missi essent;* dederat Sigonius, *quum prætor quæstores*, etc. Sed vox *prætor* abest a libris quos videre Gronov. et Drak. itaque edidere, quæ nunc vulgatur, lectionem. Ed.

3. *Non modo* non *in iis ullum vestigium*, etc. vid. Liv. I, 40, n. 1, ubi plura ejusmodi exempla referuntur.

Epit. XXXIX. 1. *Et belli et pacis artibus maximo;* libri habebant *vir et belli... maximus.* Mutavit Sigonius, ut hæ laudes in Catonem, non in L. Quintium caderent, et edidit *viro... maximo.* Sed *viro* omittunt plerique codd. apud Drak. Ed.

Scipio Literni decessit: et tanquam jungente fortuna circa idem tempus duo funera maximorum virorum, Hannibal, a Prusia Bithyniæ rege, ad quem, victo Antiocho, confugerat, quum dederetur Romanis, qui ad exposcendum illum T. Quintium Flamininum miserant, veneno sibi mortem conscivit. Philopœmen quoque, dux Achæorum, vir maximus, a Messeniis interemptus veneno, quum ab iis bello captus esset. Coloniæ Potentia et Pisaurum et Mutina et Parma deductæ sunt. Præterea res adversus Celtiberos prospere gestas, et initia causasque belli Macedonici continet; cujus origo inde fluxit, quod Philippus ægre ferebat, regnum suum imminui a Romanis, et quod cogeretur a Thracibus aliisque locis præsidia deducere.

EPITOME LIBRI XL.

Quum Philippus liberos eorum, quos[1] occiderat, conquiri obsides jussisset, Theoxena, pro liberis suis et sororis admodum pueris verita regis[2] libidinem, prolatis in medium gladiis et poculo, in quo erat venenum, suasit iis, ut imminens ludibrium morte effugerent. Quod quum persuasisset, ipsa se cum viro e navi in mare præcipitavit. Certamina inter Philippi Macedoniæ regis liberos Persen et Demetrium referuntur; et ut fraude fratris sui Demetrius confictis

Epit. XL. 1. *Liberos eorum, quos occiderat* cod. Leid. et ita Liv. XL, 3, et Polyb. XXIV, 8, nisi ex iis lectio deprompta est: nam in reliquis libris pro *occiderat* legitur *in vinculis nobilissimorum hominum habebat*, et rectius *liberos eorum, quos in vinculis tenebat* vel *habebat, nobilium hominum*. Conf. Periz. Anim. Hist. cap. 9, pag. 376. — Edidit Creverius: *quos in vinculis nobilissimorum hominum habebat*. Sed dubitat, an hæc verborum structura legitima sit, et conjicit *nobilissimos homines*. Ed.

2. *Pro liberis suis et sororis a. p. verita regis libidinem*, locutio non ferenda videtur, et leg. *Theoxena liberis suis et s. a. pueris, verita... venenum, suasit, ut*, etc. Drakenborch. Theoxena a priore marito, quem Phi-

criminibus, inter quæ accusatione parricidii et affectati regni, primum petitus, ad ultimum, quoniam populi romani amicus erat, veneno necatus est; regnumque Macedoniæ mortuo Philippo ad Persen devenit[3]. Item res in Liguribus et in Hispania contra Celtiberos a compluribus feliciter gestas continet. Libri Numæ Pompilii in agro L. Petillii scribæ sub Janiculo a cultoribus agri, in arca lapidea clausi, et Græci et Latini, inventi sunt. In quibus quum plura, quæ dissolvendarum religionum[4], prætor, ad quem delati erant, legisset, juravit senatui, contra rempublicam esse, ut legerentur servarenturque: et ex senatusconsulto in Comitio exusti sunt. Colonia Aquileia deducta est. Philippus, ægritudine animi confectus, quod Demetrium filium, falsi Persei alterius filii delationibus impulsus, veneno sustulisset, de pœna Persei cogitavit[5], voluitque Antigonum potius amicum suum successorem regni sui relinquere. Sed in hac cogitatione morte raptus est. Regnum Perseus excepit.

EPITOME LIBRI XLI.

Ignis in æde Vestæ exstinctus est. Ti. Sempronius Gracchus proconsul[1] Celtiberos victos in deditionem

lippus interfecerat, vidua relicta fuerat cum uno solum filio, eamque apud Poridem liberos enixam non fuisse, argumento sunt verba Livii, cap. 4, *suum sororisque filios*: sed auctor Epit. *liberos* de uno filio dixisse potuit, ut sæpe scriptores latini; Duk.

3. *Veneno necatus est... devenit*, latinæ linguæ vel mediocriter periti dicerent *necatus fuerit* et *devenerit*; Duker.

4. *Quæ dissolvendarum religionum* sc. *erant*, quod in quibusdam edd., sed in nullo MS, additur, et sine quo etiam Sall. Jug. cap. 88, dixit *quæ postquam gloriosa modo, neque belli patrandi cognovit*; Duk.

5. *De pœna Persei cogitavit*, delevi τὸ *et*, quod ante *de* legitur in omnibus MSS præter Leid. et e fine vocis præc. repetitum videbatur etiam Dukero.

Epit. XLI. 1. *Ti. Sempronius Gracchus proc.*; vid. XXVIII, 38, n. 4.

accepit, monimentumque operum suorum, Gracchurim oppidum in Hispania constituit. Et a Postumio Albino proconsule Vaccæi ac Lusitani subacti sunt. Uterque triumphavit[2]. Antiochus, Antiochi filius[3], obses Romanis a patre datus, mortuo fratre Seleuco, qui patri defuncto successerat, in regnum Syriæ[4] ab Urbe dimissus; qui præter religionem, qua multa templa magnifica multis locis erexit, Athenis Jovis Olympii, et Antiochiæ Capitolini, vilissimum regem egit[5]. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita ducenta sexaginta tria millia ducenta nonaginta quatuor. Q. Voconius Saxa tribunus plebis legem tulit, ne quis heredem mulierem institueret[6]. Suasit legem M. Cato. Exstat oratio ejus. Præterea res contra Ligures, Istros, Sardos et Celtiberos, a compluribus ducibus prospere gestas, et initia belli Macedonici continet[7], quod Perseus, Philippi filius, moliebatur.

2. *Uterque triumphavit.* Antea legebatur *de utrisque triumphavit*: quo admisso, sileretur de triumpho Gracchi. Emendavit Sigon. ex vet. lib. et Livio infra, cap. 7, consentiunt codices; vid. Drakenb. Ed.

3. *Antiochus, Antiochi filius*, etc. vide ad Liv. XLI, 20, n. 1.

4. *In regnum Syriæ*, etc. sed vid. Appian. Syr. 45.

5. *Præter religionem, qua multa... regem egit;* conf. ad Liv. XLI, 20, n. 6. Hæc verba a MS Leid. et Gud. min. absunt; in cæteris codd. et omnibus fere edd. sunt extrema hujus Epit. Nos ea cum Cler. et Crev. h. l. inseruimus auctore Gron. cujus nota est: « Ergo, quum hæc epitome fieret, jam mutilum erat cap. 20 hujus libri. In eodem enim turpi errore versatur, qui tenuit aliquandiu viros doctos, quæ illic narrantur, ad Persen Macedonem pertinere. Verba hæc videntur primogenio aliquo in exemplari scriptoris vitio prætermissa, in marginem deinde conjecta fuisse. Itaque sequentium alios eadem dissimulasse, alios ad finem adlevisse suspicor ». *Qua* ex ejusdem Gron. emend. *quam* plerique MSS; *quod quam* cæteri et edd. tantum non omnes. — *Et Antiochiæ Capitolini;* vocem ultimam adjecit Sigonius ex Livio infra, cap. 20. — *Capita CCLXIII millia*, etc. vid. Liv. XLII, 10, n. 1. Ed.

6. *Q. Voconius Saxa trib. pl. legem tulit, ne quis heredem mulierem instituereet;* vid. Drakenb. ad h. l. Ernesti Clav. Cic. in Ind. legum; intpp. Cic. Verr. I, 41-43; Balduin. Comm. de legg.; Pigh. in Ann. ad a. 584; Periz. in Diss. Triad. pag. 99, et Wieling. Lect. Jur. Civ. II, 19 sq.

7. *Et initia belli Macedonici conti-*

Miserat enim ad Carthaginienses legationem, et ab iis nocte audita erat; sed et alias Græciæ civitates sollicitabat.

EPITOME LIBRI XLII.

Q. Fulvius Flaccus censor templum Junonis Laciniæ tegulis marmoreis spoliavit, ut ædem, quam dedicabat, tegeret. Tegulæ ex senatusconsulto reportatæ. Eumenes, Asiæ rex, in senatu de Perseo, Macedoniæ rege, questus est: cujus injuriæ in populum romanum referuntur. Ob quas bello ei indicto, P. Licinius Crassus consul, cui id mandatum erat, in Macedoniam transiit, levibusque expeditionibus, equestribus præliis, in Thessalia cum Perseo parum felici eventu pugnavit. Inter Masinissam et Carthaginienses de agro fuit arbiter ad disceptandum a senatu datus [1]. Legati missi ad civitates socias et reges rogandos, ut in fide permanerent, dubitantibus Rhodiis. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita ducenta quinquaginta septem millia ducenta triginta unum [2]. Res præterea adversus Corsos et Ligures prospere gestas continet.

net, quod Perseus, etc. Boend. et omnes edd. ante postremam Gruteri; *continet, et initia belli:* sed ordini vocum quem Gruterus induxit, favent reliqui scripti: deinde *quod Perses* Leid. vide ad XLII, 25, § 2. Mox vocem *enim* ignorant Leid. Voss. Lov. 2. Berg. Boend. Norv. et primæ edd. Ascensius eam addit anno 1513. Ed.

Epit. XLII. 1. *De agro fuit arbiter ad disceptandum a senatu datus*, ita MS Barber. et Leid. *dies* quidam pro *arbiter:* non male, si *dictus* legatur pro *datus*. Livius, cap. 24, nec *arbitri dati*, nec *diei dicti* meminit: sed auctor Epitomarum sæpe ab eo diversa tradit; Drak. — *Rogandos, ut in fide permanerent;* vulgo *an in fide:* quod procul dubio vitiosum erat. *Ut* reperit in uno MS Gronovius. Adstipulantur Andreas, Campanus, Sigonius, et plures codd. apud Drak. Ed.

2. *Civ. capita CCLVII* (*CCXLVII* Leid. et Berg.) *millia CCXXXI;* vide tamen ad Livium, lib. XLII, cap. 10, not. 1.

EPITOME LIBRI XLIII.

Prætores aliquot, eo quod avare et creduliter provincias administrassent, damnati sunt. P. Licinius Crassus proconsul complures in Græcia urbes expugnavit et crudeliter diripuit[1]. Ob id captivi, qui ab eo sub corona venierant, ex senatusconsulto postea restituti sunt. Item a præfectis classium[2] romanarum multa impotenter in socios facta. Res præterea a Perseo rege in Thracia prospere gestas continet, victis Dardanis et Illyrico, cujus rex erat Gentius[3]. Motus, qui in Hispania ab Olonico factus[4] erat, ipso interempto consedit. M. Æmilius Lepidus a censoribus princeps in senatu[5] lectus.

Epit. XLIII. 1. *P. Licinius Crassus proconsul... crudeliter diripuit:* Sigon. emend. *consul,* quia *crudeliter avareque in Græcia bellatum ab consule Licinio* legatur XLIII, 4, et prorogatio imperii in P. Licinio non fuerit necessaria, quum A. Hostilius consul hoc anno in Macedoniam cum imperio venerit, atque ibi hoc tempore esset. « Enimvero et consul et proconsul illud facere potuit Licinius; neque constat, quando Hostilius in provinciam venerit: quem non improbabile est, prodigiis et sacris aliquandiu retentum, atque interim Licinio imperium, quoad successor venisset, prorogatum fuisse ». Duker.

2. *Classium romanarum;* sic Andreas, Sigonius, aliique; melius quam quomodo Gronovianæ editiones habent, *Romanorum.* Ed.

3. *Victis Dardanis et Illyrico, cujus rex erat Gentius:* sed hic tantum Labeatium Illyriorum rex fuit, et Perseus aliis quidem Illyrici populis bellum intulit, non autem illis et Gentio, quem potius omni modo ad societatem pellicere conabatur; conf. Liv. XLIII, 18 sq. et Periz. Anim. Hist cap. 9, pag. 375.

4. *Motus in Hispania ab Olonico factus;* in MSS. *Olonico, Olomico, Holonico, Helenico, Elenico, bello Punico.* Sigonius emend. *in Pæonia ab Elonico* (vide ad Liv. XL, 58, n. 5); at Gron. *in Hispania ab Salondico* ex Floro, II, 17, ad cujus narrationem refert illa Liv. XLIII, 4, *culpamque in duorum amentiam conferentibus, qui se ultro ad pœnam ipsi obtulissent.* Quæ conjectura non propterea displicere debet, quod *consulem* vocat Florus, qui Livio *prætor* est. Conf. Hearn.

5. *Princeps in senatu,* ut apud Livium, XXVII, 11, et XXXVIII, 28. Verba tamen *in senatu* absunt a 7 MSS et ed. Camp.

EPITOME LIBRI XLIV.

Q. Marcius Philippus per invios saltus penetravit in Macedoniam, compluresque urbes occupavit. Rhodii misere legatos Romam, minantes, se Perseo auxilio futuros, nisi populus romanus cum eo pacem atque amicitiam jungeret [1]. Indigne id latum. Quum id bellum L. Æmilio Paullo, sequentis anni consuli iterum, mandatum esset, Paullus, in concione precatus [2], ut, quidquid diri populo romano immineret, in domum suam converteretur, et in Macedoniam profectus, vicit Persen, totamque Macedoniam in potestatem redegit. Antequam confligeret, C. Sulpicius Gallus tribunus militum prædixit exercitui, ne miraretur, quod luna nocte proxima defectura esset. Gentius quoque rex Illyriorum, quum rebellasset, ab Anicio prætore victus, venit in deditionem, et cum uxore et liberis et propinquis Romam missus est. Alexandria legati a Cleopatra et Ptolemæo regibus venerunt, querentes de Antiocho rege Syriæ, quod his bellum inferret. Perses, sollicitatis in auxilium Eumene rege Pergami et Gentio rege Illyriorum, quia his pecuniam, quam promiserat, non dabat, ab iis relictus est [3].

Epit. XLIV. 1. *Minantes se Perseo auxilio futuros, nisi populus romanus cum eo pacem atque amicitiam jungeret;* hæc est unius codicis a Gronov. inspecti scriptura; quæ quum expeditissima sit, Clericus eam in editione sua repræsentavit, quod, ejus exemplo, itidem fecere Crev. et Drakenb. In vulgata lectione aliquid erat vitii: *minantes, ut Perseo essent auxilio, nisi pop. romanus... conjungeret.* En.

2. *Paullus in concione precatus*, etc. immo Paullus hæc demum precatus est in oratione post triumphum habita; conf. XLV, 41; Val. Max. V, 10, § 2, et Periz. Anim. Hist. cap. 9, pag. 375.

3. *Ab iis relictus est:* hoc de Eumene et Gallis verum est, non de Gentio, quem *victum in deditionem venisse* paulo ante recte scripsit epitomator noster; Duk.

EPITOME LIBRI XLV.

Perseus ab Æmilio Paullo in Samothrace captus est. Quum Antiochus, Syriæ rex, Ptolemæum et Cleopatram, Ægypti reges, obsideret, et missis ad eum a senatu legatis, qui juberent, ab obsidione socii regis absisteret, editisque mandatis consideraturum se ille, quid faciendum esset, respondisset; unus ex legatis Popillius virga regem circumscripsit, jussitque, antequam circulo excederet, responsum daret[1]. Qua asperitate effecit, ut Antiochus bellum omitteret. Legationes gratulantium populorum ac regum in senatum admissæ. Rhodiorum, quia eo bello contra populum romanum faverant, exclusa[2]. Postero die[3], quum de eo quæreretur, ut iis bellum indiceretur, causam in senatu patriæ suæ legati egerunt. Nec tanquam hostes, nec tanquam socii dimissi. Macedonia in provinciæ formam redacta est[4]. Æmilius Paullus, repugnantibus militibus ejus propter minorem prædam, et contradicente Ser. Sulpicio Galba, triumphavit, et Persen cum tribus filiis ante currum duxit[5]. Cujus triumphi lætitia ne solida ei contingeret, duorum filiorum funeribus insignita est: quorum alterius mors patris

Epit. XLV. 1. *Jussitque responsum daret;* mallet Crev. cum Gronov. *dare.* Sed vide XLII, c. 39, n. 4. Ed.

2. *Rhodiorum, quia eo bello contra populum romanum faverant* (ut apud Suet. Caligul. 30), *exclusa,* in senatum non admissa est. Hæc pertinent non ad ea, quæ Livius cap. 3, sed quæ cap. 20 narrat. Quidam MSS *fuerunt* et *fuerant* pro *faverant;* et *exclusæ:* sed unam tantum hoc tempore Rhodiorum legationem Romæ fuisse, licet constantem ex pluribus legatis, ex Liv. XLV, 25 patet; Drak.

3. *Postero die, quum,* etc. hoc non est in Livio; Duk.

4. *Macedonia in provinciæ formam redacta est,* at non tum (vide ad cap. 29), sed post devictum Pseudophilippum; quem errorem jam notarunt Peris. Anim. Hist. cap. 9, p. 374; Sigon. de Jur. Prov. I, 8; Duker. ad Flor. II, 14, n. 5, et Gron.

5. *Et Persen cum tribus filiis ante currum duxit:* pars illa hujus libri, in qua Livius triumphum Paulli expo-

triumphum præcessit, alterius sequuta est. Lustrum conditum est a censoribus. Censa sunt civium capita trecenta duodecim millia octingenta quinque[6]. Prusias, Bithyniæ rex, Romam, ut senatui gratularetur ob victoriam ex Macedonia partam, venit, et Nicomedem filium senatui commendavit. Rex, plenus adulationis, libertum se populi romani dicebat.

EPITOME LIBRI XLVI.

Eumenes rex Romam venit[1] : qui quia Macedonico bello medium egerat[2], ne aut hostis judicatus videretur, si exclusus esset, aut liberatus crimine, si admitteretur; in commune lex lata est[3], ne cui regi Romam venire liceret. Claudius Marcellus consul Alpinos Gallos, C. Sulpicius Gallus consul Ligures subegit. Legati Prusiæ regis[4] conquesti sunt de Emene, quod fines

suerat, periit; Duk. De literis Persei vide ad Liv. XLII, 52, n. 3.

6. *Censa sunt civ. capita CCCXII millia LXXXV;* quidam MSS *CCCXII millia DCCCCV,* et *DCCCXCV.* « De numero nunc nihil in Livio legitur; sed in eo haud dubie scribarum error est : certe mihi non apparet causa, cur nunc multo major fuerit, quam et superioribus et sequentibus lustris. Conf. XLII, 10 pr. et Epit. lib. XLI, XLVI, XLVII, XLVIII. » Duk.

Epit. XLVI. 1. *Eumenes rex Romam venit :* non venit Romam; sed quum Brundisium venisset, quæstor ad eum missus est cum SCto, quod, quum fama esset, eum Romam adventare, factum fuerat, quodque mox perperam *lex* dicitur; Duk. Conf. ad hæc et seqq. Polyb. XXX, 17.

2. *Quia Maced. bello medium* (vid. Liv. I, 32, n. 5) *egerat :* ita MSS Leid. Voss. Berg. et Lov. 2, ut in Epit. LII, apud Liv. XLV, 25, n. 2, et al. vid. Drak. qui etiam monet, in aliis MSS legi *se medium egerat;* sed Grævium ad Suet. Claud. 29 jam observasse, Romanos dixisse *ago principem, patrem, ministrum,* sumptasque locutiones esse a scena, ubi *agere Davum, Simonem,* et hinc *mimum* vel *comœdiam* histriones, illorum personas gerentes, ideoque ipsi *actores* dicantur. Conf. Ern. et Wolf. ad Suet. Claud. 25 pr. Cæterum *medium se gerere* eodem sensu dixit Livius, II, 27, n. 4.

3. *In commune lex lata est,* in universum, ὡς καθόλου δυσαρεστούμενοι ταῖς τῶν βασιλέων ἐπιδημίαις, δόγματι τοιοῦτον ἐξέβαλον. Polyb. l. l.

4. *Legati Prusiæ regis,* etc. conf. Polyb. XXXI, 6, qui tamen Eumenem ab Asiaticarum civitatum, non a

suos popularetur; dixeruntque, eum conspirasse cum Antiocho contra populum romanum. Societas cum Rhodiis deprecantibus juncta est. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita trecenta viginti septem millia [5] viginti duo. Princeps senatus lectus M. Æmilius Lepidus [6]. Ptolemæus, Ægypti rex, pulsus regno a minore fratre [7], missis ad eum legatis, restitutus est. Ariarathe Cappadociæ rege mortuo, filius ejus Ariarathes [8] regnum accepit, et amicitiam cum populo romano per legatos renovavit. Res præterea adversus Ligures et Corsos et Lusitanos vario eventu gestas, et motus Syriæ, mortuo Antiocho, qui filium Antiochum puerum admodum reliquerat, continet. Hunc Antiochum puerum cum Lysia tutore Demetrius, Seleuci filius, qui Romæ obses [9] fuerat, clam, quia non dimittebatur a Romanis, interemit; et ipse in regnum receptus. L. Æmilio Paullo, qui Persen vicerat, mortuo, tanta ejus abstinentia fuit, ut, quum ex Hispania et ex Macedonia [10] immensas opes retulisset, vix ex auctione ejus redactum sit, unde uxori

Prusiæ legatis Romæ societatis *cum Antiocho* initæ accusatum dicit.

5. *Censa s. civ. capita CCCXXVII millia*, forte ex MS Jac. Susii et Plut. Æmil. pag. 275, leg. *CCCXXXVII* Pigh.

6. *Princeps senatus lectus M. Æmilius Lepidus*, nunc quartum (vide ad Liv. XL, 51; XLI, 27; XLIII, 15), deinde bis (vid. Epit. XLVII, et XLVIII); quod haud scio, an nulli præter eum contigerit; Duk.

7. *Ptolemæus rex Ægypti, pulsus regno a minore fratre*; sic tres Gron. MSS, et plures alii apud Drak. vulgo *Ptolemæus Ægyptiorum rex, a minore fratre e regno pulsus*. Sed, observat Crev., τὸ *Ægyptiorum* nimis emphatice dictum videtur, nec satis ex more solito loquendi. Vocula *e* plane redundat. Ed.

8. *Filius ejus Ariarathes*, etc. conf. Polyb. XXXI, 14, 15.

9. *Mortuo Antiocho* Epiphane, *filium* ejus *Antiochum* Eupatorem *cum Lysia tutore Demetrius* Soter, *Seleuci* Philopatoris *filius, qui Romæ obses*, etc. conf. Polyb. XXXI, 12, 19-23; XXXII, 4 sq. XXXIII, 14.

10. *L. Æmilio Paullo mortuo, tanta ejus abstinentia fuit, ut, quum ex Hispania et Maced.*, etc. conf. Polyb. XVIII, 18, XXXII, 8, 14; Diodor. pag. 326; Plut. Æmil. Ex h. l. vulgo colligitur, eum ter triumphasse. Sed vid. Periz. Anim. Hist. cap. 6, p. 211,

ejus dos solveretur. Pomptinæ paludes[11] a Cornelio Cethego consule, cui ea provincia evenerat, siccatæ, agerque ex iis factus.

EPITOME LIBRI XLVII.

Cn. Tremellio tribuno plebis mulcta dicta[1] est, quod cum M. Æmilio Lepido pontifice maximo injuriose contenderat; sacrorumque, quam magistratuum, jus potentius fuit[2]. Lex de ambitu lata[3]. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita trecenta triginta octo millia, trecenta quatuordecim. Princeps senatus lectus Æmilius Lepidus. Inter Ptolemæos fratres, qui dissidebant, fœdus ictum, ut alter in Ægypto, alter Cyrenis regnaret. Ariarathes,

et ad Morellii Quæst. epistol. resp. in calce Diss. de Ære gravi, pag. 132, 156, 229.

11. *Pomptinæ paludes*, etc. « quas *siccandas provinciam* consularem fuisse, putabat Gruch. cap. 43, Refut. ad post. Disp. Sigon. quod haud verisimile et a ratione hujus temporis alienum est. Neque etiam probabile, quod Pigh. Ann. ad a. 593 existimat, alteri consulum Galliam et Ligures, alteri Italiam provincias decretas fuisse, et illam Anicio, hanc Cethego evenisse, eumque, quum in Italia materiam belli non haberet, e paludibus Pomptinis agros fecisse. Quamcumque demum provinciam Cethegus habuit, non potuit manu militari Pomptinas paludes, quæ in Volscis, non in provincia Italia, erant, siccare, nisi extra ordinem dato eas siccandi negotio. » Duker.

Epit. XLVII. 1. *Cn. Tremellio tribuno pl. mulcta dicta est* « ab ipso pontifice max., credo, ut XXXVII, 51, et XL, 42, et quum de mulcta ad populum, ut solebat, certatum fuisset, tribunum damnatum fuisse. *Jus magistratuum* autem accipio jus tribunorum pl., quibus, quod sacrosancti erant, vel Tremellius solus, vel cum eo etiam cæteri tribuni plebis videntur contendisse, non esse jus pontifici max., mulctam dicere: de quo non dubitatum fuerat, quum pontifices max. in alios magistratus jure illo usi fuissent. Cæterum hoc Pighius ad a. 593 quo Cethegus consul fuit, non scio qua ratione, refert. Quum alio libro a Livio relatum fuisse appareat, non dissimile vero est, post illum annum factum fuisse ». Duk.

2. *Sacrorumque, quam magistratuum* (sacrosanctorum), *jus potentius fuit* (plus valuit, ut Liv. VII, 22, et XXV, 1), ex codd. Leid. et Lov. 2. Conf. Gron. ad h. l. et Obss. IV, 8, p. 121.

3. *Lex de ambitu lata*; quo anno, incertum, etsi ad a. 594 referunt

Cappadociæ rex, consilio Demetrii, regis Syriæ, et viribus pulsus regno, a senatu restitutus est. Missi a senatu, qui inter Masinissam et Carthaginienses de agro judicarent. C. Marcius consul adversus Dalmatas parum prospere primum, postea feliciter pugnavit: cum quibus bello confligendi causa fuit, quod Illyrios, populi romani socios, vastaverant; eamdemque gentem Cornelius Nasica consul domuit. Q. Opimius consul Transalpinos Ligures, qui Massiliensium oppida, Antipolim et Nicæam[4], vastabant, subegit. Præterea res in Hispania[5] a compluribus parum prospere gestas continet. Consules anno quingentesimo nonagesimo octavo ab Urbe condita magistratum, peractis comitiis[6] insequentisque anni consulibus creatis, inire cœperunt. Mutandi comitia causa fuit, quod Hispani rebellabant. Legati, ad disceptandum inter Masinissam et Carthaginienses missi renuntiaverunt, vim navalis materiæ se Carthagine deprehendisse. Aliquot prætores, a provinciis avaritiæ nomine[7] accusati, damnati sunt.

Manut. de Leg. Rom. cap. 28, et Sigon. de Judic. II, 30, et Pigh.

4. *Antipolim et Nicæam*, colonias *Massiliensium*, regioni eorum vicinas; Drak. conf. Strab. IV, 180, et Polyb. XXXIII, 4.

5. *Præterea res in Hispania*, etc. conf. Appian. Hisp. 56 sq.

6. *Magistratum, peractis comitiis*, etc. verba corrupta. Post *comitiis* Pigh. ad a. 600 inserit *deposuere*, et deinde legit *consules creati inire cœperunt*. At Drak. post *creatis* excidisse putat *abdicarunt, et novi consules Cal. Jan.*, vel *Cal. Jan.* ante *inire*. Consules certe eo die magistratum hoc anno iniisse, Chronica Cassiodori et Mariani Scoti docent.

7. *Avaritiæ nomine accusati* (vid. Periz. ad Sanctii Min. II, 3, p. 164) *damnati sunt* judicio extraordinario ex SCto constituto, ut in Liv. XLII, 2: nam prima lex de repetundis pecuniis, qua quæstio illa ordinaria est facta, demum a. 604 a L. Calpurnio Pisone lata (vid. Cic. Brut. 27, et de Off. II, 21); hæc autem ante annum illum gesta sunt; Duk.

EPITOME LIBRI XLVIII.

Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita trecenta viginti quatuor millia. Semina tertii belli Punici referuntur. Quum in finibus Carthaginiensium ingens Numidarum exercitus, duce Ariobarzane, Syphacis nepote, diceretur esse, M. Porcius Cato suasit, ut Carthaginiensibus, quum Ariobarzanem, specie contra Masinissam regem, sed re vera contra Romanos, accitum in finibus haberent, bellum indiceretur. Contradicente P. Cornelio Nasica, placuit, legatos mitti Carthaginem, qui specularentur, quid ageretur. Castigato senatu Carthaginiensium, quod contra fœdus et exercitum et navales materias haberent, pacem inter eos et Masinissam facere voluerunt, Masinissa agro, de quo lis erat, cedente. Sed Gisgo, Hamilcaris filius, homo seditiosus, qui tunc in magistratu erat, quum senatus pariturum se judicio legatis dixisset, ita bellum adversus Romanos suadendo concitavit, ut legatos, quo minus violarentur, fuga explicuerit[1]. Id nuntiantes infestum jam senatum Carthaginiensibus infestiorem fecerunt. M. Porcius Cato filii, in prætura mortui[2], funus tenuissimo, ut valuit, nam pauper erat, sumptu fecit. Andriscus, qui se Persei filium, regis quondam Macedoniæ, ingenti adseveratione mentiretur, Romam missus. M. Æmilius Lepidus, qui princeps senatus ab sextis jam censoribus erat lectus, antequam exspiraret, præcepit filiis, lecto se strato sine linteis[3], sine purpura

Epit. XLVIII. 1. *Fuga explicuerit*, ut Epit. XLIX, LXVIII, et Flor. IV, 2.

2. *In prætura mortui*, ut apud Plut. Cat. Maj. p. 251. Eum prætorem designatum obiisse dicit Gell. XIII, 19. — *Nam pauper erat*; contrarium tradit Plut. — *Andriscus*, etc. conf. ad XLIX, 14.

3. *Lecto se strato sine linteis*, etc.

efferrent; in reliquum funus ne plus, quam æris denos[4], consumerent: imaginum specie, non sumptibus, nobilitari magnorum virorum funera solere. De veneficiis quæsitum. Publicia et Licinia[5], nobiles feminæ, quæ viros suos consulares necasse insimulabantur, cognita causa, quum prætori pro se vades dedissent[6], cognatorum decreto necatæ sunt. Gulussa, Masinissæ filius, denuntiavit[7], Carthagine delectus agi, classem comparari, et haud dubium bellum strui. Quum Cato suaderet, ut iis bellum indiceretur, P. Cornelio Nasica dicente, nihil temere faciundum, placuit decem mitti legatos exploratum. L. Licinius Lucullus, A. Postumius Albinus consules, quum delectum se-

forte cum Jac. Periz. leg. *strato linteis sine purpura:* vix enim *lintea* tanti pretii fuisse videntur, ut se illis efferri Lepidus prohiberet; Drakenb. Conf. Vlit. ad Grat. Cyn. v. 87.

4. *Ne plus, quam æris denos:* in ed. Camp. et MSS Berg. et Bœnd. *æris decies*, in aliis MSS *æris deuncem*, *deunce*, *decas* et *decus;* quod probabat Gron. et pro *decussis* vel *decusse* positum censebat. Sed hanc pecuniæ summam nimis exiguam, illam nimis magnam videri, monet Drak. — Crev. ad h. l. ea nota est: « Summa ridicule exigua. Deni enim æris, etiamsi grave æs intelligatur, æquant denarium unum, sive unum argenti *grossum*. Si legatur, ut quidam volunt, *æris decies*, tunc summa non contemnenda exsurgit. Decies enim centena assium millia, etiamsi intelligantur vulgares tum asses, qui senideni in denarium contribuebantur, æquant denarios 62,500, marcas argenti nostrates 976, uncias 4, cum semuncia 1. Imitemur cautam Freinshemii modestiam qui hoc libro, cap. 10, nihil definiens, *modicam pecuniam* in funus suum consumi jussisse Lepidum dicit ». Ed.

5. *Publicia et Licinia*, etc. conf. Val. Max. VI, 3, § 8, qui tamen non *consulares* ab iis veneno necatos dicit, sed ab illa L. *Postumium Albinum consulem* (quem a. 599 in magistratu mortuum Fasti Capit. produnt), ab hac Claudium Asellum; quod cognomen nulli Claudiorum fuit, qui circa hæc tempora consules fuere; Duk.

6. *Quum prætori pro se* (ita cod. Sus. et alii MSS *prædes*, *preces*, *plures* et *prædictos*, i. e. quos ille ab iis postulaverat; nisi malis *a prætore die dicta;* Gron.) *vades dedissent;* vide ad Liv. III, 13, n. 9, et XXIII, 32, n. 3. — *Cognatorum decreto necatæ sunt;* vide ad Liv. XXXIX, 18, n. 4.

7. *Gulussa, Masinissæ filius, denuntiavit*, indicavit, ut apud Liv. XLII, 24; XLV, 1, 34. Quidam MSS *nuntiavit* (prob. Crev. Ed.), et mox *haud dubie bellum strui.* — *P. Cornelio Nasica;* vid. Epit. XLIX, n. 2.

vere agerent, nec quemquam gratia dimitterent, ab tribunis plebis, qui pro amicis suis vacationem impetrare non poterant, in carcerem conjecti sunt[8]. Quum Hispaniense bellum, parum prospere aliquoties gestum, ita confudisset civitatem romanam, ut ne ii quidem invenirentur, qui aut tribunatum exciperent, aut legati ire vellent, P. Cornelius Æmilianus processit, et excepturum se militiæ genus, quodcumque imperatum esset, professus est. Quo exemplo omnes ad studium militandi concitavit. L. Lucullus consul, qui M. Claudio Marcello successerat, quum lacessere[9] omnes Celtiberiæ populi viderentur, Vaccæos et Cantabros et alias adhuc incognitas nationes in Hispania subegit. Ibi P. Cornelius Africanus Scipio Æmilianus, L. Paulli filius, Africani nepos, sed adoptivus, provocatorem barbarum tribunus militum[10] occidit; et in oppugnatione Intercatiæ urbis majus[11] etiam periculum adiit. Nam murum primus transcendit. Ser. Sulpicius Galba prætor male adversus Lusitanos pu-

8. *In carcerem conjecti sunt* consules a tribunis pl., quod ante D. Brutum et P. Scipionem coss. non factum dicit Cic. de Leg. III, 9, n. 20, ubi Manut. id oratorie accipit dictum de re, quæ ante perraro aut semel tantum facta sit; at Wagner. ibi paucis mutatis legit *et*, *quod ante factum non erat*, *C. Gracchus runis*, etc. aut Livium a Cicerone dissentire putat.

9. *L. Lucullus consul, qui M. Claudio Marcello* (ex emend. Drak. pro *cui M. Claudius M.*) *successerat*, *quum lacessere*, etc. quidam MSS *quum pacasse* vel *placasse*... *viderentur*. Conf. Appian. Hisp. 48-59; Polyb. XXXV, 1 sq. et Fragm. Hist. XXVII; Pigh. Ann. t. II, pag. 434, et Freinsh. Supplem. Liv.

10. *P. Cornelius Africanus Scipio Æmilianus*... *tribunus militum*, et c conf. Appian. Hisp. 49, et Pun. 71; Polyb. XXXV, 4, n. 5; Cic. Somn. Scip. 1; Aur. Vict. Vir. ill. 58, et Ampelius, cap. 22, qui eum Luculli legatum in Hispania fuisse dicunt. Vox *Africanus* delenda (ut et in XLIX, n. 6), quia nondum id cognomen habebat, aut certe, si per prolepsin excusanda (vid. Duker. ad Flor. IV, 3, § 5, et Burm. ad Suet. Clar. Rhet. 1), post *Scipio* ponenda est; Drak.

11. *In oppugnatione Intercatiæ urbis* Vaccæorum *majus etiam periculum adiit*: conf. Appian. Hisp. 53 sq. Val. Max. III, 2, § 6; Aur. Vict. et Ampel. ll. ll.

gnavit. Quum legati ex Africa cum oratoribus Carthaginiensium et Gulussa Masinissæ filio redissent, dicerentque, et exercitum se et classem Carthagine deprehendisse, perrogari sententias placuit. Catone et aliis principibus senatui suadentibus, ut in Africam confestim transportaretur exercitus, quod P. Cornelius Nasica dicebat, nondum sibi justam causam belli videri, placuit, ut bello abstinerent, si Carthaginienses classem exussissent, et exercitum dimisissent; sin minus, proximi consules de Punico bello referrent. Quum locatum a censoribus theatrum exstrueretur, P. Cornelio Nasica auctore, tanquam inutile et nociturum publicis moribus, ex senatusconsulto destructum est, populusque aliquandiu stans ludos spectavit. Carthaginienses quum adversus fœdus bellum Masinissæ intulissent, victi ab eo, annos habente nonaginta duos [12], et sine pulpamine mandere et gustare panem tantum solito, insuper romanum bellum meruerunt.

EPITOME LIBRI XLIX.

Tertii Punici belli initium [1] altero et sexcentesimo anno ab Urbe condita, intra quintum annum, quum

12. *Annos habente nonaginta duos*, etc. potius *duodenonaginta*; vid. Wessel. Obss. I, 24, et ad Epit. L, n. 6. — *Sine pulpamine*, pulpamento, ut *stramen* et *stramentum*, *tentamen* et *tentamentum*, *purgamen* et *purgamentum*; Duk. In fine hujus Epit. addunt Exc. Pithœi: *Motus præterea Syriæ et bella inter reges gesta referuntur; inter quos motus Demetrius Syriæ rex occisus erat.*

Epit. XLIX. 1. *Tertii Punici belli initium*, sc. hoc in libro est seu refertur, *altero et DC anno ab U. c.*, scil. cœpti et *intra*, etc. Gronov. Forte tamen verba *altero et DC ab U. c.* pendent a voce *initium*. Cæterum *altero* etiam dixit Eutrop. IV, 10, *secundo* Oros. IV, 22. Utrum vox *alter*, numero ordinali apposita, h. l. sit *primus*, ut apud Suet. Tit. 11 (vid. Burman. ad Petron. cap. 108), an *secundus*, ut apud Liv. III, 33, n. 1, et XXXIII, 21, n. 1 (ubi conf. Polyb. XVIII, 24, § 8), non minus dubium esse, quam apud Cic. ad Div. XII,

erat cœptum, consummati. Inter M. Porcium Catonem et Scipionem Nasicam, quorum alter sapientissimus vir in civitate habebatur, alter etiam vir optimus a senatu judicatus erat[2], diversis certatum sententiis est, Catone suadente bellum, et ut tolleretur deleretur-que Carthago; Nasica dissuadente. Placuit tamen, quod contra fœdus naves haberent, quod exercitum extra fines duxissent, quod socio populi romani et amico Masinissæ arma intulissent, quod filium ejus Gulussam, qui cum legatis romanis erat, in oppidum non recepissent, bellum iis indici. Prius quam ullæ copiæ in naves imponerentur, Uticenses legati Romam venerunt, se suaque omnia dedentes. Ea legatio, veluti omen, grata Patribus, acerba Carthaginiensibus fuit. Diti patri[3] ludi ad Terentum, ex præcepto librorum [Sibyllinorum], facti; qui anno centesimo, primo Punico bello, quingentesimo et altero anno ab Urbe condita, facti erant. Legati triginta Romam venerunt,

25, et forte Virg. Ecl. VIII, 39 (ubi Passerat. ad Cic. pro Cæc. 9; Græv. ad Cic. Phil. I, 13, aliique pro *primo*, sed Periz. Anim. Hist. cap. 7, p. 282, et alii rectius pro *secundo* accipiunt), monet Duker.; sed initium belli Punici III certe obsidionis Carthaginis ab omnibus historicis (etiam auctore hujus Epit.; vid. n. 5) in consulatum L. Marcii Censorini et M'. Manilii, hunc vero ab aliis Fastorum auctoribus in a. Urb. cond. DCIV, ab aliis in a. DCV conferri. Hinc alii pro *altero* h. l. conjiciunt *quarto*, alii *quinto* secundum Varronis, vel potius *tertio* secundum Catonis, Livii et Dodwelli chronologiam. Conf. n. 3.

2. *Scipionem Nasicam*, qui *etiam vir optimus a senatu judicatus erat:* ita et Diodor. in Exc. Peiresc. p. 382. Sed hic filius fuisse videtur illius, qui *vir optimus judicatus* fuerat; Duker. Cf. Rupert. ad Pompon. lib. II, § 37; D. de Orig. Jur. Hic, de quo etiam vid. Epit. XLVIII, bis consul fuit a. U. 591 et 598, ac censor a. 594, eique ob sapientiam datum cognomen *Corculum;* vid. Cic. Tuscul. I, 9, in Bruto, 20, 58, et de Nat. Deor. II, 4. Hinc et h. l. auctor Epit. dixit *etiam* (non modo sapientissimus vir fuit, sed *etiam* optimus); at perperam putasse videtur, eidem homini duo cognomina, *Optimi* et *Corculi*, tributa fuisse. — *Et ut tolleretur deleretur-que*. Sic vet. lib. Leid. Berg. et Lov. 2. *ut omnino deleretur;* sic præfert Norvic. præter reliquas ante Sigon. edd. Ed.

3. *Diti patri* ac Proserpinæ *ludi* sæculares seu Terentini, *ad Terentum*, locum in campo Martio prope Tibe-

per quos se Carthaginienses dedebant. Catonis sententia pervicit, ut in decreto perstaretur, et ut consules quam primum ad bellum proficiscerentur. Qui ubi in Africam transierunt, acceptis, quos imperaverant, trecentis obsidibus et armis omnibusque instrumentis bellicis, si qua Carthagine erant; tunc, quum ex auctoritate Patrum juberent, ut in alium locum, dum a mari decem millia passuum, ne minus, remotum, oppidum facerent[4], indignitate rei ad rebellandum Carthaginienses compulerunt. Obsideri oppugnarique cœpta est Carthago ab L. Marcio, M'. Manilio consulibus[5]. In qua oppugnatione quum neglectos ab una parte muros duo tribuni temere cum cohortibus suis irrupissent, et ab oppidanis graviter cæderentur, a Scipione Africano[6] expliciti sunt; per quem et castellum Romanorum, quod[7] nocte expu-

rim,... *facti;* conf. Festus voc. *Sæculares* et *Terentum;* Serv. ad Virgil. Æn. VIII, 63; Censorin. cap. 17 loc. class. Val. Max. II, 4, § 5 (ubi vid. intpp.); Heins. et Burm. ad Ovid. Fast. I, 501; Mitscherl. ad Horat. Carm. Sæc. pag. 643, 644. *Ad Tarentum* perperam omnes MSS, et Zosim. lib. II pr. Vocem *Sibyllinorum* uncinis inclusi, quia eam scripti codd. ignorant, et *libri* simpl. dici solent; vide ad Liv. III, 10, n. 6. — *Anno centesimo*, adde *ante*, aut lege *ante annum centesimum:* nam in MSS est *annum centesimum* et *anno centesimo a primo P. bello;* Gron. — *Quingentesimo et altero anno ab U. c.* conf. Censorin. cap. 17, *tertii ludi fuerunt, Antiate Livioque auctoribus, P. Claudio Pulchro, L. Junio Pullo coss.* (h. e. anno DI ad summam annorum Livianam; Sigon.) *De quartorum ludorum anno triplex opinio est: Antias enim et Varro et Livius relatos esse prodiderunt L. Marcio Censorino, M'. Manilio coss. a. U. c. DCV:* in quo numero edendo alios eum auctores, quam Livium, sequi monet Sigon. Conf. sup. n. 1.

4. *Ut in alium locum... ne minus,* (vide ad Liv. XXXVIII, 24, n. 3), *remotum, oppidum facerent:* cum Gron. leg. *transferrent*, aut ex nonnullis libris *in alio loco... remoto.* — *Ad rebellandum* ex MS Leid. recepi pro *ad bellandum.*

5. *Ab L. Marcio, M'. Manilio coss.* conf. n. 1 et 3; Appian. Pun. 56, 75 (ubi vid. Schweigh.), 94-110; Pigh. Annal. ad a. 604.

6. *A Scipione Africano;* vide ad Epit. XLVIII, n. 16. *Æmiliano* Lov. 2, quod præferrem, si plures codd. id vellent; Drakenb. *Orfitiano* Pal. 1 et Exc. Pith.

7. *Quod nocte expugnabant*, h. e. expugnaturi videbantur, alioquin expugnaturi erant, parum aberant, quin

gnabant, paucis equitibus juvantibus, liberatum est; castrorumque, quæ Carthaginienses, omnibus copiis ab urbe pariter egressi, oppugnabant, liberatorum is ipse præcipuam gloriam tulit. Præterea, quum ab irrita oppugnatione Carthaginis consul (alter enim Romam ad comitia ierat) exercitum duceret adversus Hasdrubalem, qui cum altera manu[8] iniquum saltum insederat, suasit primo consuli, ne tam iniquo loco confligeret. Victus deinde complurium, qui et prudentiæ ejus et virtuti invidebant, sententiis, et ipse saltum ingressus est; quumque, sicut prædixerat, fusus fugatusque esset romanus exercitus, et duæ cohortes ab hoste obsiderentur, cum exiguis equitum turmis in saltum reversus, liberavit eas et incolumes reduxit. Quam virtutem ejus et Cato, vir promptioris ad vituperandum linguæ, in senatu sic prosequutus est, ut diceret, *reliquos, qui in Africa militarent, umbras militare, Scipionem vigere*[9]; et populus romanus eo favore complexus, ut comitiis plurimæ eum tribus consulem scriberent[10], quum hoc per ætatem non liceret. Quum L. Scribonius tribunus plebis rogationem promulgasset, ut Lusitani[11], qui, in fidem

expugnarent; Gron. Vid. Liv. III, 21, n. 3. *Oppugnabant* primus reposuit Frob. a. 1535. Cf. Epit. LXXV, n. 3.

8. *Cum altera manu*, Voss. *alia*, et Exc. Pith. non male *ampla*.

9. *Reliquos, qui in Africa militarent, umbras militare, Scipionem vigere*, versus Hom. Odyss. X, 495, Οἷος πέπνυται, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσιν, ad Scipionem, quod jam Plut. in Apophth. notavit, et ad alios (vid. intpp. Hom.) translatus. Ex eo Grön. non male conj. *volitare* pro *militare*.

10. *Ut comitiis plurimæ eum tribus consulem scriberent*, forte *juberent*: nam prima lex tabellaria a Gabinio lata est demum a. U. cond. DCXIV, ante quam suffragia pronuntiabantur, non scribebantur; Gron.

11. *L. Scribonius* Libo *tribunus pl. rogationem promulgasset, ut Lusitani, qui... a Ser.* Sulpicio *Galba in Galliam venissent*, venditi seu venum dati essent. *In Gallia* emendavit Sigon. (et in textum recepit Crev. Ed.). Sed vulgatum, licet locutionis hujus exempla mihi non suppetant, præfero: nam *in Gallia* vendit, qui alibi constitutus vendit ea conditione, ut in Galliam abducatur, sicut apud Li-

populi romani dediti, a Serv. Galba in Galliam venissent, in libertatem restituerentur, M. Cato acerrime suasit. Exstat oratio in Annalibus ejus[12] inclusa. Q. Fulvius Nobilior, et sæpe ab eo in senatu laceratus, respondit pro Galba; ipse quoque Galba, quum se damnari videret, complexus duos filios prætextatos et Sulpicii Galli filium, cujus tutor erat, ita miserabiliter pro se loquutus est, ut rogatio antiquaretur. Exstant tres orationes ejus, duæ adversus Libonem tribunum plebis rogationemque ejus, habitæ de Lusitanis, una contra L. Cornelium Cethegum, in quo Lusitanos propter sese castra habentes[13] cæsos fate-

vium, XXIX, 13, *scribere* Romæ *legiones in Bruttios* mittendas: certe Galba, qui prætor Hispaniam ulteriorem obtinuit, non videtur Galliam, alterius provinciam adiisse, ut in ea captivos Lusitanos venderet, sed id potius in ipsa Hispania ementibus Gallis fecisse, qui eos in Galliam adsumerent; Drak. Nota Dukeri est: « Rogationi causam dedit perfidia Galbæ prætoris in Lusitanos, quam Appian. Hisp. 58 sq. Cic. Brut. 23, et pro Mur. 28; Val. Max. VIII, 1, § 2, IX, 6, § 2; Suet. Galb. 3; Oros. IV, 21, et alii narrant. Sed vel plura fuere hujus rogationis capita, vel alia rogatio separatim a Scribone in Galbam lata est. Nam Cic. de Or. I, 53, Libonem in eum *quæstionem*, et in Brut. 23, *rogationem privilegii similem* tulisse, auctor est. De *rogatione, ut Lusitani in libertatem restituerentur,* alibi nihil proditum inveni: eam, quæ in Galbam lata erat, Catonem suasisse, addit Cic. Brut. 23, quod Val. Max. VIII, 1, § 2. Catonem actioni tribunieiæ subscripsisse dicit. Sed eam non acceptam fuisse, apparet ex iis, quæ in seqq. et apud Cic. ac Val. Max. ll. ll. et Quintil. Inst. Orat. II, 15, de ratione, qua Galba periculum evaserit, traduntur. Namque quod Livius, XXXIX, 40 extr. Galbam a Catone *ad populi judicium adductum*, Plut. in Cat. et Auct. de Viris ill. cap. 47, a Catone *accusatum* scribunt, in hanc sententiam accipio, Catonem in suadenda rogatione Scribonia ita aspere et vehementer apud populum de Galba loquutum, quod Cic. dicit, et ita accusatorie crimen ejus exaggerasse, ut pro accusatore haberi potuerit. Nam Catonem suasoris tantum partes egisse, ex Cic. patet. Errat autem Appiani Hisp. 60 extr. scribens κατηγορούμενος διέφευγε διὰ τὸν πλοῦτον, sc. Galba accusatus ». Conf. H. Steph. ad Appian. l. l. qui διέφευγε reddit *evadere solebat*, sc. sæpe in judicium vocatus.

12. *Exstat oratio* Catonis *in Annalibus*, Originibus, *ejus inclusa;* conf. ad Liv. XLV, 25, n. 2; Cic. Brut. 23; et Voss. Hist. Lat. I, 5.

13. *Propter sese castra habentes;* vid. Liv. XXI, 27, n. 6. Vet. lib. *prope se.* Voss. et Boend. et ed. Camp. Ed.

tur, quod compertum habuerit, equo atque homine suo ritu immolatis, per speciem pacis adoriri exercitum suum in animo habuisse. Andriscus quidam, ultimæ sortis homo[14], Persei regis se filium ferens et mutato nomine Philippus vocatus, quum ab urbe romana, quo illum Demetrius Syriæ rex ob hoc ipsum mendacium miserat, clam profugisset, multis ad falsam ejus fabulam, velut ad veram[15], coeuntibus, contracto exercitu, totam Macedoniam aut voluntate incolentium, aut armis occupavit. Fabulam autem talem finxerat. Ex pellice se et Perseo rege ortum, traditum educandum Cretensi cuidam esse, ut in belli casus, quod ille cum Romanis gereret, aliquod velut semen regiæ stirpis exstaret. Perseo demortuo, Adramyttei se educatum usque ad duodecimum annum ætatis, patrem eum esse credentem, a quo educaretur, ignarum generis fuisse sui. Affecto deinde eo, quum prope ad vitæ finem ultimum[16] esset, detectam tandem ibi originem suam, falsæque matri libellum datum, signo Persei regis signatum, quem sibi traderet, quum ad puberem ætatem venisset; obtestationesque ultimas adjectas, ut res in occulto ad id tempus servaretur. Pubescenti libellum traditum : in quo relicti sibi duo thesauri a patre dicerentur. Tum scientem mulierem

14. *Andriscus quidam* seu Pseudophilippus, Adramyttenus, *ultimæ sortis homo*, etc. conf. Flor. II, 14; Vell. I, 11; Justin. XXXV, 1; Ammian. Marcell. XIV, 40; Zonar. XI, 28 sqq. Oros. IV, 22; Pausan. VII, 13; Strabo, XIII, 624. — *Ab urbe romana*, al. *Roma*. Conf. Drak. ad h. l. et Epit. LXXXVIII.

15. *Ad falsam ejus fabulam*, sermonem, rumorem, quem ipse de se serebat, *velut ad veram;* vid. Liv. I, 11, n. 5. *Famam* quidam MSS. — *Traditum educandum Cretensi cuidam esse;* vett. edd. *Cyrthesæ*. Sigon. ex vet. lib. et Pithœus apud Hearnium *Cretæ se*. Leid. *Cretensi*, et ita Gruterus, ac post eum recentiores omnes ediderunt; cujus lectionis auctorem se nescire profitetur Crev. Ed.

16. *Prope ad ultim. v. finem;* vid. ad Liv. VI, 42, n. 6. — *Detectam tandem ibi*, tum, *originem suam falsæ matri et libellum datum* malebat Drakenb. qui et *ibi* pro *sibi* dedit ex emend. Jac. Periz.

subditum se esse[17], veram stirpem ignoranti edidisse genus; atque obtestatam, ut prius, quam manaret ad Eumenem res, Perseo inimicum, excederet iis locis, ne interficeretur. Eo se exterritum, simul sperantem aliquod a Demetrio auxilium, in Syriam se contulisse; atque ibi primum, quis esset, palam expromere ausum.

EPITOME LIBRI L.

Thessalia, quum et illam invadere armis atque occupare Pseudophilippus vellet, per legatos Romanorum auxiliis Achæorum defensa est. Prusias rex Bithyniæ, omniumque humillimorum vitiorum[1], a Nicomede filio, adjuvante Attalo rege Pergami, occisus est. Habebat alium filium[2], qui, pro superiore ordine dentium, enatum habuisse unum os continens dicitur. Quum tres legatos ad pacem inter Nicomedem et Prusiam faciendam Romani misissent, et unus ex iis multis cicatricibus sparsum caput haberet[3], alter pedibus

17. *Scientem mulierem subditum se esse*, subdititium (quod demum dedit ed. Ven. a. 1498), ut apud Terent. Heaut. V, 3, v. 12. *Scienti* multi MSS, prob. Drak. Voss. Berg. et Boend. *se subductum esse*. Ed.

Epit. L. 1. *Omniumque humillimorum vitiorum*, sc. rex; Sigon. *omnium humilive morum atque vitiorum* MS Gud. prob. Gron. si *humilium* legatur. Quædam edd. addunt *fautor*. De re vid. Liv. XLV, 44. — *A Nicomede filio... occisus est* Nicomediæ; vid. Appian. Mithrid. 4-7, et ad Liv. XLII, 12, n. 2.

2. *Habebat alium filium*, Prusiam (conf. seqq.) aut Nicomedem Monodem, *qui pro superiore*, etc. vide ad Liv. XLII, 12, n. 2; Kuhn. ad Polluc. II, 94; Hard. ad Plin. VII, 16; Suidas, voc. Ἀπολλωνιάς λίμνη· Val. Max. I, 8, ext. 12; Solin. cap. 1. — *Tres legatos* pro *legatos* recepi e cod. Lov. 2, quod firmari aliis MSS, qui *in legatos* et *inde* (in) *legatos* præferunt, jam monuit Drak.

3. *Unus ex iis multis cicatricibus sparsum caput haberet*, saxo quondam in caput percussus, *alter pedibus æger esset*, ὑπὸ ῥεύματος, *tertius*, etc. conf. Appian. Mithridat. cap. 6, et Plut. in Cat. maj. pag. 340. *Sparsum* Lov. 2, et edd. tantum non omnes. In reliquis MSS *plenum pene desertum*, *fractum*, *sarsum*, et *farsum*, quod recepit Sigon. putans id esse id. qd. fartum, et hoc refertum, plenum; quo sensu potius *sparsum* dicitur

æger esset, tertius ingenio socors haberetur; dixit Cato, eam legationem nec caput, nec pedes, nec cor habere. In Syria, quæ eo tempore stirpe generis parem Macedonum regi, inertia[4] socordiaque similem Prusiæ regem habebat, jacente eo in ganea et lustris, Ammonius regnabat[5]; per quem et amici omnes regis, et Laodice regina, et Antigonus, Demetrii filius, occisi. Masinissa, Numidiæ rex, major nonaginta annis decessit, vir insignis. Inter cætera opera juvenilia[6], quæ ad ultimum edidit, adeo, etiam versus in

XXII, 1; XLI, 21, et al. vid. Duk. et Drakenb.

4. *In Syria, quæ eo tempore stirpe generis parem Macedonum regi* (sc. Andrisco), *inertia*, etc. ita MS Leid. et Delrii, quos sequutus sum, nec aliter Voss. Berg. Boend. et Lov. 2, nisi quod *pacem* habent. Male vulgo legitur *ex stirpe generis Persei, regis Macedonum;* et nostra emendatio, quam etiam Delrius, Crever. et Drak. probarunt, verisimilior quam Gronoviana, *ex stirpe generis incerti, inertia*, etc. Designatur h. l. *Alexander Balas, homo ignotus et incertæ stirpis, qui occiso Demetrio* Sotere *rege* (de quo vide ad Epit. XLVI, n. 9) *in Syria regnabat*, quemque deinde *Demetrius* Nicator, illius *Demetrii filius, contempta socordia inertiaque ejus, adjuvante Ptolemæo Ægypti rege, bello interemit:* quæ legimus in Epit. LII. Conf. Polyb. XXXIII, 14 et 16; Appian. Syr. cap. 67 sq. Joseph. Ant. XII, 12, XIII, 2, 8, 12; Oros. V, 4; Justin. XXXV, 1, et Strabo. — *In ganea et lustris*, ut apud Liv. XXVI, 2.

5. *Ammonius regnabat*, etc. nota Dukeri est: « Hunc amicum Alexandri (vid. Joseph. XIII, 8) *regnasse* dicit, i. e. rege per inertiam negligente regni curam, omnia ex libidine et arbitrio suo administrasse, quod Justino, XXX, 2, est regnum possidere. *Laodicen* filiam Antiochi Epiphanis fuisse, e Polyb. ll. ll. colligitur. Eam si uxorem habuit Balas, sequutus est exemplum regum Ægyptiorum; nam ipse quoque se Antiocho Epiphane natum ferebat. Quem *Antigonum Demetrii filium* dicat, non liquet. Vix dubitari potest, quin Demetrium Soterem designet, de quo vid. n. 4, et Epit. XLVI, n. 9. Sed huic filium fuisse *Antigonum*, nusquam proditum legi. Duos illius filios, Demetrium Nicatorem, qui Bala victo regnum paternum recuperavit, et Antiochum Sedeten, Demetrio fratre a Parthis capto, itidem regem Syriæ, memorant Justin. XXXV, 2, XXXVI, 1; Joseph. et Appian. ll. ll. »

6. *Masinissa, Numidiæ rex, major XC annis decessit...Inter cætera opera juvenilia*, etc. cf. Epit. XLVIII extr. Polyb. XXXVII, 3; Appian. Pun. 105 sq. Plut. t. II, pag. 791 sq. Diodor. Ecl. III, ex lib. XXXII, t. II, pag. 523; in Bibl. Photii, pag. 1161; Cic. de Sen. X; Val. Max. VIII, 13, ext. 1; Zonar. IX, 27; Plin. VII, 14 seu 12. — *Filium genuerit*, quem Polyb. Στέμβανον, Suidas Στέμβαν,

senectam, viguit, ut post sextum et octogesimum annum filium genuerit. Inter tres liberos ejus[7], maximum natu Micipsam, Gulussam, Mastanabalem, qui etiam græcis literis eruditus erat, P. Scipio Æmilianus[8] (quum commune eis pater regnum reliquisset, et dividere eos arbitro Scipione jussisset) partes administrandi regni divisit. Item Phamææ[9] Himilconi, præfecto equitum carthaginiensium, viro forti et cujus præcipua opera Pœni utebantur, persuasit, ut ad Romanos cum equitatu suo transiret. Ex tribus legatis, qui ad Masinissam missi fuerant, Claudius Marcellus[10], coorta tempestate, fluctibus obrutus est. Carthaginienses Hasdrubalem, Masinissæ nepotem, quem prætorem habebant, proditionis suspectum, in curia occiderunt: quæ suspicio inde emanavit, quod propinquus esset Gulussæ, Romanos auxilio juvantis[11]. P. Scipio Æmilianus, quum ædilitatem peteret, consul a populo dictus, quoniam per annos consulem

Val. Max. *Methymnatum* vel *Mathumnatum*, Plinius *Methymathnum* appellat.

7. *Inter tres liberos ejus*, sc. legitimos et patri superstites, præter quos multi fuere, aut nothi, aut ante patrem mortui; inter quos etiam referendi videntur *Masgaba* et *Misagenes*, a Livio sæpius memorati. Quatuor tamen filios præter Stembanum ab eo relictos dicit Polyb. decem Diodorus, et *XLIV* Eutropius. *Mastanabalem* (gr. Μασταναβάν) rectius scribi quam *Manastabalem*, docent Drakenb. ad h. l. Cort. ad Sall. Jug. 5, et alii. Trium filiorum medius dicitur Zonaræ, IX, 27.

9. *P. Scipio Æmilianus*, etc. conf. Appian. l. l. Punic. pag. 64. — *Partes administrandi regni:* membranæ Barber. et Gudian. Ed.

9. *Phamææ* (seu *Phameæ*) *Himilconi*, etc. conf. Appian. Pun. 97, 100, 104, 107 sq. et Zonar. IX, 27. Huic et Suidæ Φαβία; mendose dicitur. Conf. Drak. ad h. l. et intpp. Eutrop. IV, 10.

10. *Claudius Marcellus*, etc. conf. Ascon. ad Cic. in Pis. 19. — *Fluctibus*, abest a Leid. et Berg. Ed.

11. *Hasdrubalem*, *Masinissæ nepotem... juvantis;* vid. Appian. Pun. 93 et 111. — *Quem prætorem habebant:* ejus successor, itidem Hasdrubal, *rex*, et Hasdrubalis uxor *regina* dicuntur Orosio, IV, 23; quia Suffetes summam et regiæ similem, sed annuam tantum, potestatem Carthagine obtinebant; Drak. — *Romanos auxilio juvantis* Exc. Pithœi, unde recepi pro vulg. *Romanorum auxilia juvantis*.

fieri non licebat[12], cum magno certamine suffragantis plebis et repugnantibus aliquandiu Patribus, legibus solutus et consul creatus est. M'. Manilius[13] aliquot urbes circumpositas Carthagini expugnavit. Pseudophilippus in Macedonia, cæso cum exercitu P. Juventio prætore, a Q. Cæcilio victus captusque est; et recepta Macedonia.

EPITOME LIBRI LI.

Carthago, in circuitu millia viginti tria passuum patens[1], magno labore obsessa et per partes capta est, primum a Mancino legato, deinde a Scipione consule, cui extra sortem provincia Africa data erat. Carthaginienses, portu novo (quia vetus obstructus a Scipione erat) facto, et contracta clam exiguo tempore ampla classe, infeliciter navali prælio pugnaverunt. Hasdrubalis quoque ducis eorum castra, ad Nepherim oppidum loco difficili sita, cum exercitu deleta sunt a Scipione; qui tandem urbem expugnavit septingente-

12. *Quoniam per annos consulem fieri non licebat* (ita omnes MSS et edd. ante Mogunt. quæ *decem* ante *annos* inseruit); vide ad Liv. V, 12, n. 6, et XXV, 2, n. 4. *Consuli* malebat Gronov. vide ad Liv. XXI, 44, n. 6. Scipionem tum implevisse annum ætatis *XXXVII*, ex Liv. XLIV, 14, et Fastis cons. docet Duk.

13. *M'. Manilius;* hoc debetur Sigonio. Libri omnes mendose, *M. Æmilius.* Ed. — *Aliquot urbes circumpositas Carthagini expugnavit;* cf. Oros. IV, 22; Val. Max. V, 2, ext. 4. — *P. Juventio*, etc. conf. Oros. IV, 13, et Zonar. IX, 28. — *Pseudophilippus in Macedonia... a Q. Cæcilio* Metello Macedonico *victus captusque est, et recepta Macedonia;* cf. Eutrop. IV, 13, et quos laudavi ad Epit. XLIX, not. 14.

Epit. LI. 1. *Carthago in circuitu viginti tria millia passuum patens.* Recentiores editi et plerique MSS habent *passus.* Sed melius visum est *passuum*, quod in antiquis editis exstat. Ed. — *Per partes capta est* Carthago *primum a L. Mancino legato;* vid. Appian. Pun. 110, 113, 114; Zonar. IX, 29; Plin. XXXV, 4, et Flor. II, 15. Hic Mancinum facit consulem, qui potius prætor classem sortitus erat; vid. Appian.; Fasti et Pigh. Ann. ad a. 605, 606. — Quid sit *per partes capere* Carthaginem ex auctor. citat. potest intelligi. Ed.

simo anno, quam erat condita[2]. Spoliorum major pars Siculis, quibus ablata erant, reddita. Ultimo urbis excidio, quum se Hasdrubal Scipioni dedidisset, uxor ejus, quæ paucis ante diebus de marito impetrare non potuerat, ut ad victorem transfugerent, in medium se flagrantis urbis incendium, duobus cum liberis, ex arce præcipitavit. Scipio exemplo patris sui naturalis Æmilii Paulli, qui Macedoniam vicerat, ludos fecit, transfugasque ac fugitivos bestiis objecit[3]. Belli Achaici semina referuntur hæc: quod legati populi romani ab Achaicis pulsati sint Corinthi, missi[4], ut eas civitates, quæ sub ditione Philippi fuerant, ab Achaico concilio secernerent.

EPITOME LIBRI LII.

Cum Achæis, qui in auxilio Bœotos et Chalcidenses habebant, Q. Cæcilius Metellus ad Thermopylas bello conflixit: quibus victis, dux eorum Critolaus veneno sibi mortem conscivit[1]. In cujus locum Diæus, Achaici motus primus auctor, ab Achæis dux creatus, ad Isthmon a L. Mummio consule victus est; qui, omni

2. *Urbem expugnavit DCC anno, quam erat condita:* per *DCC* potius annos Carthago floruit; vid. Heyn. Exc. 1 ad Virgil. Æn. IV.

3. *Transfugas* (exterarum gentium apud Val. Max. II, 7, § 13) *et fugitivos bestiis objecit;* vide ad Liv. XXX, 44, n. 9.

4. *Belli Achaici semina*, origo et causæ, *referuntur hæc: quod legati populi romani ab Achaicis* (immo *Achæis;* Gron.) *pulsati sint Corinthi, missi*, etc. ita pro *Corinthum missi* e vestigiis MSS primus edidit Jac. Gronov. monens, in eo emphasin esse, ibi id facinus patratum, quæ urbs inde exitium merita. Sed vulgatæ lect. idem sensus est. Conf. Epit LII, et de ipso bello ejusque origine Polyb. XXXVIII, 1-5, XL, 2-11; Pausan. VII, 12-17 (ex quibus scriptoribus patet, non ipsos legatos romanos violatos fuisse ab Achæis, sed Lacedæmonios, qui in eorum deversorium confugerant); Oros. V, 2 sq. Zonar. IX, 31 sq. Flor. II, 16; Vell. I, 11 sq.

Epit. LII. 1. *Critolaus veneno sibi m. c.* aliter Pausan. VII, 15. — *Ad Thermopylas bello conflixit;* sic veteres editi et MSS aliquot a Gronovio inspecti: licet ipse vocem *bello* in sua editione omiserit. Ed. — *In ejus lo-*

Achaia in deditionem accepta, Corinthon ex senatusconsulto diruit, quia ibi legati romani violati erant. Thebæ quoque et Chalcis, quæ auxilio fuerant, dirutæ [2]. Ipse L. Mummius abstinentissimum virum egit [3]; nec quidquam ex iis opibus ornamentisque, quæ prædives Corinthos habuit, in domum ejus pervenit. Q. Cæcilius Metellus de Andrisco triumphavit; P. Cornelius Scipio Africanus Æmilianus de Carthagine et de Hasdrubale. Viriathus in Hispania [4] primum ex pastore venator, ex venatore latro, mox justi quoque exercitus dux factus, totam Lusitaniam occupavit; M. Vetilium [5] prætorem, fuso ejus exercitu, cepit: post quem C. Plautius prætor nihilo felicius rem gessit: tantumque terroris is hostis intulit, ut adversus eum consulari opus esset et duce et exercitu. Præterea motus Syriæ et bella inter reges gesta referuntur. Alexander, homo ignotus [6] et incertæ stirpis, occiso (sicut ante dictum est) Demetrio rege, in Syria regnabat. Hunc Demetrius, Demetrii filius, qui a patre

cum Dicæus, etc. conf. Polyb., Pausan. et Zonar. ll. ll.

2. *Thebæ quoque et Chalcis... dirutæ:* quod si verum est, mirum videri potest, Strabonem et Pausan. id non memorasse; Duk. Metellum quidem cepisse vacuas Thebas, ædibus vero pepercisse tradit Pausan. VII, 15, § 5, sed VII, 16, § 5 Mummium dejecisse muros urbium, quæ bellum adversus Romanos gesserint.

3. *Ipse L. Mummius abstinentissimum virum egit;* vide ad Epit. XLVI, 2, et de re ipsa Polyb. XL, 11, et Cic. Off. II, 22. Sed opibus quoque illis abstinuisse creditur, quia pretium earum haud noverit; vid. Vell. I, 13.

4. *Viriathus in Hispania*, etc. qui Lusitanos, ex Luculli et Galbæ sævitia (vid. Epit. XLIX) superstites, ad arma vocarat. De bello Viriathico vid. Epit. LIV; Flor. II, 17; Oros. V, 4; inpr. Appian. Hisp. 59-75. Ab hoc octo ejus anni numerantur, ab illis *XIV;* a Diodoro in Exc. Peiresc. pag. 361 (t. II, pag. 597, ed. Wess.) undecim; a Justino, XLIV, 2, decem; a Velleio, II, 90, viginti: sed ibi *X* aut *XI* pro *XX* legendum videtur. Conf. Reimar. ad Dion. t. I, p. 33 sq. et de scriptura nominis *Viriathus* tum idem, tum nos ad Sil. III, 354.

5. *M. Vetilium*, forte *C. Vetilium*, ut Creverius edidit ex Appiano et Orosio. Ed.

6. *Alexander, homo ignotus... bello interemit;* vide ad Epit. L, n. 4, 5.

quondam ob incertos belli casus ablegatus Gnidon fuerat, contempta socordia inertiaque ejus, adjuvante Ptolemæo Ægypti rege, cujus filiam Cleopatram in matrimonium acceperat, bello interemit. Ptolemæus, in caput graviter vulneratus[7], inter curationem, dum ossa medici terebrare contendunt, exspiravit; atque in locum ejus frater minor Ptolemæus, qui Cyrenis regnabat, successit. Demetrius ob crudelitatem, quam per tormenta in suos exercebat, a Diodoto quodam, uno ex subjectis[8], qui Alexandri filio, bimulo admodum, regnum asserebat, bello superatus, Seleuciam confugit. L. Mummius de Achæis triumphavit: signa ærea marmoreaque et tabulas pictas in triumpho tulit[9].

— *Ob incertos belli casus ablegatus Gnidon;* vid. Justin. XXXV, 2; Joseph. Ant. XIII, 8, et auctor hist. Maccab. I, 10, n. 67.

7. *Ptolemæus* Philometor, *in caput graviter vulneratus* (ut *in femur g. v.* in MSS Justini, I, 9, § 8, prob. Scheff.),... *exspiravit, atque in locum ejus frater minor Ptolemæus* Physcon, *qui Cyrenis regnabat, successit;* vide ad Liv. XLII, 29, n. 4. Vulnus acceperat in prælio adversus Alexandrum Balam. Conf. Polybius, XL, 12, ibique Schweigh.

8. *Demetrius ob crudelitatem... a Diodoto* Tryphone *quodam, uno ex subjectis*, etc. vid. Maccab. I, 19, 11; XIV, 1; Appian. Syr. 68 et 70; Joseph. Ant. XIII, 9; Oros. V, 4; Justin. XXXVI, 1. *Demetrius ob crudelitatem, quam exercebat per tormenta, invisus subjectis, a Diodoto quodam, qui Alexandri*, etc. emend. Gron. — *Alexandri* Balæ *filio*, qui Alexander dicitur Appiano, Alexander Diodoti filius Oros. V, 4 (nisi ibi leg. *Alexandri filio* et *filium*), sed Justino *Antiochus* (VI) *Demetrii privignus:* nam pater ejus Alexander Balas uxorem duxit Cleopatram, filiam Ptolemæi Philometoris, regis Ægypti, quæ postea nupsit Demetrio; Drak. Conf. Epit. LV extr. Joseph. Ant. IX, 7, 8, et 1 Maccab. 10 et 11. — *Bimulo admodum;* vide ad Liv. XXI, 36, n. 3, et infra ad Epit. LV. — Delrius ex vet. lib. scribendum putat, *puero admodum.* Leid. Berg. et Lov. 2, servant vulgat. — Quem hic auctor *filium* Alexandri vocat, eum Oros. V, 4, et Freculph. in Chron. Tom. I, lib. VI, 4, appellant Alexandrum Diodoti filium; nisi forte eorum loca corrupta fuisse credideris. Ed.

9. *L. Mummius de A. triumphavit: s. ærea marmoreaque et t. p. in triumpho tulit;* conf. Tacit. Ann. XIV, 21; Strab. VIII, 381; Plin. XXXIV, 7.

EPITOME LIBRI LIII.

Ap. Claudius consul Salassos[1], gentem Alpinam, domuit. Alter Pseudophilippus[2] in Macedonia a L. Tremellio quæstore cum exercitu cæsus est. Q. Cæcilius Metellus proconsul Celtiberos cecidit[3]. A Q. Fabio proconsule[4] pars magna Lusitaniæ, expugnatis aliquot urbibus, recepta est. C. Julius senator græce res romanas scribit[5].

EPITOME LIBRI LIV.

Q. Pompeius[1] consul in Hispania Termestinos subegit: cum eisdem et Numantinis pacem ab infirmitate

Epit. LIII. 1. *Ap. Claudius cos. Salassos*, etc. conf. Obseq. cap. 19; Oros. V, 4; Suet. Tib. 2 extr. Val. Max. IV, 4, § 6; Pigh. Ann. ad a. 610.

2. *Alter Pseudophilippus* vel Pseudoperseus (primus fuit Andriscus) *in Macedonia a L. Tremellio* Flacco Scrofa *quæstore* A. Licinii Nervæ prætoris *cæsus est;* cf. intpp. Eutrop. IV, 15; Varr. Re Rust. II, 4; Macrob. Sat. I, 6.

3. *Q. Cæcilius Metellus* Macedonicus et Celtibericus *proc. Celtiberos cecidit* a. Urb. 611; vid. Appian. Pun. 135, et Hisp. 76; Flor. II, 17; Val. Max. IX, 3, § 7; Pigh. Ann. t. II, pag. 470 et 478 sq.

4. *A Q. Fabio* Maximo Serviliano et consule et *proconsule* res adversus *Lusitanos* et Viriathum gestæ; Duker. Sed vide ad Epit. LIV, n. 4. — *Expugnatis aliquot urbibus;* ita edidere Sigon. Crever. et Drak. ex multorum codicum fide. Legebatur antea *expugnatis multis urbibus.* Ed.

5. *C. Julius senator græce res romanas scribit:* quod nusquam alibi legi puto; sed de A. Postumio, qui a. Urb. 502 consul fuit, id plures tradiderunt; Duk.

Epit. LIV. 1. *Q. Pompeius* Nepos, Auli tibicinis filius, *consul,* qui in Hispania citeriore belloque Numantino successit Q. Cæcilio Metello procons., non in Hispania ulteriore vel Lusitania et bello Viriathico Q. Fabio Serviliano. Hoc tradit Appian. Hisp. 68, illud idem cap. 76 sq. ubi res ab eo gestas copiose persequitur. Conf. Schweigh. ad cap. 68, et Pigh. Ann. ad a. 610 sq. De Pompeio vid. et LIX, 5; Plut. Apophth. pag. 200; Vell. II, 1, et Ern. Clav. Cic. — *Termestinos subegit:* idem oppidum videtur esse *Termantia* et *Termes* (a quo gentile est *Termestinus*), sed Appianus, Hisp. 76, 77, Termantiam a

fecit[2]. Lustrum a censoribus conditum est. Censa civium capita trecenta viginti octo millia, quadringenta quadraginta duo. Quum Macedonum legati conquestum de D. Junio Silano prætore[3] venissent, quod acceptis pecuniis provinciam spoliasset, et senatus de querelis eorum vellet cognoscere; T. Manlius Torquatus, pater Silani, petiit impetravitque, ut sibi cognitio mandaretur, et, domi causa cognita, filium condemnavit abdicavitque; ac ne funeri quidem ejus (quum suspendio vitam finisset) interfuit; sedensque domi potestatem consultantibus ex instituto fecit. Q. Fabius[4] proconsul rebus in Hispania prospere

Pompeio frustra tentatam scribit; Duker. Cum eo consentit Diodor. Legat. 30. De oppido hoc vide ad Tac. Ann. IV, 45, n. 1.

2. *Cum eisdem et Numantinis pacem ab infirmitate* (vid. Liv. I, 1, n. 5) *fecit:* Exc. Pith. et Norv. atque editiones ante Grut. *ob infirmitatem.* Utrumque nugatorium est, et forte leg. *pacem improbante po. ro. fecit*, vel potius *pacem a p. ro. infirmatam fecit;* Gronov. De pace, quam Pompeius, ob res male gestas judicium metuens, fraude mala fecerat, vid. Appian. Hisp. 79; Vell. II, 1; Cic. Off. III, 30, et Fin. II, 17, et Brut. 76; Pigh. Ann. ad a. 614; Quintil. III, 8, n. 3, VII, 4, n. 12 sq.

3. *Macedonum legati conquestum de D. Junio Silano prætore*, filio *T. Manlii Torquati*, adoptatum a D. Junio Silano, *venissent... fecit;* conf. Val. Max. V, 8, § 2; Cic. de Fin. I, 7, et Pigh. Ann. ad a. 613. Nota Dukeri est: « Quæri potest, cur a Macedonibus ad senatum delatæ fuerint querelæ, quum jam a. U. DCIV quæstio de repetundis perpetua facta fuisset, et quotannis prætorem suum habere cœpisset? Hoc tangit, sed non dilucide explicat Sigon. de Judic. II, 27. Credo responderi posse, legatos Macedonum senatum quidem ex more vetusto adiisse, sed verisimile esse, senatum cognitionem hujus causæ non suscepturum, verum ad prætorem, qui quæstionem de repetundis sortitus erat, rejecturum fuisse, nisi pater Silani petiisset impetrassetque, ut ea sibi mandaretur. Cæterum minus proprie h. l. *abdicatus* dicitur filius, qui, D. Silano in adoptionem emancipatus, nec nominis, nec sacrorum, nec familiæ patris naturalis heres erat, ut Livius, XLV, 10, loquitur ». — *Sedensque domi* in solio *potestatem consultantibus fecit ex instituto*, more JCtorum, domi de jure respondentium; vid. Ern. Clav. Cic. voc. *solium*, et Wagn. ad Cic. de Leg. I, 3, n. 10. *Consultantibus*, ut *consultare aves* et oraculum apud Plin. Pan. 76, et Plin. Hist. Nat. XXXII, 2, seu 8, Drak. *consulentibus* Exc. Pith. quod præfero: nam *consultare JCtos*, pro consilium ab iis petere, vix credo usquam alibi legi; Duk.

4. *Q. Fabius* Maximus Servilianus

gestis labem imposuit, pace cum Viriatho æquis conditionibus facta. Viriathus a proditoribus, consilio Servilii Cæpionis, interfectus est, et ab exercitu suo multum comploratus[5] ac nobiliter sepultus; vir duxque magnus et per quatuordecim annos[6], quibus cum Romanis bellum gessit, frequentius superior.

EPITOME LIBRI LV.

P. Cornelio Nasica[1], cui cognomen Serapion fuit ab irridente Curiatio tribuno plebis impositum, et D. Junio Bruto consulibus delectum habentibus, in conspectu tironum res saluberrimi exempli facta est: nam C. Matienus accusatus est apud tribunos plebis, quod exercitum in Hispania deseruisset, damnatusque sub furca diu virgis cæsus est[2], et sestertio nummo

et consul et *proconsul* a. Urb. 611 et 612, *res in Hispania* ulteriori *prospere gessit*, sed iis *labem imposuit*, *pace... facta;* vid. Appian. Hisp. 67-70. Alius est *Quintus Fabius* Maximus Æmilianus, qui consul a. Urb. 608 in eadem Hispania duo cepit oppida, et eumdem Viriathum aliquoties vicit; vid. Appian. Hisp. 65, et supra Epit. LIII, ubi *a Q. Fabio consule* legendum esse, jam alii monuere. Hi autem Fabii fuere adoptivi fratres, ab eodem Q. Fabio Max. Labeone cos. a. 570 adoptati: hic filius L. Æmilii Paulli Macedonici, et frater naturalis Scipionis Africani minoris (vide ad Liv. XLV, 40, n. 6); ille filius Cn. Servilii Cæpionis cos. a. 584, et frater naturalis *Q. Servilii Cæpionis* cos. a. 613, quo fratri in Hispania ulteriori successit, et, quod mox h. l. traditur, *Viriathum a proditoribus interficiendum* curavit; de quo vid. Appian. Hisp. 70, 74, 75; Vell. II, 1; Val. Max. IX, 6, § 4; Flor. II, 17; conf. Pigh. Ann. ad a. 608 sq. pag. 474 et 482 sq.

5. *Ab exercitu suo comploratus;* quod verbum est in mortuo proprium; vide ad Liv. III, 38, n. 3.

6. *Per quatuordecim annos;* vide ad Epit. LII, n. 4.

Eptt. LV. 1. *P. Cornelio Nasica cos.* a. Urb. 615 filio P. Nasicæ Corculi (vide ad Epit. XLIX, n. 2), *cui cognomen Serapion* (alii *Serapio* et *Serapioni;* conf. Drak.) *fuit* primum *ab irridente C. Curiatio trib. pl.* (vid. Cic. Leg. III, 9, et Val. Max. III, 7, § 3), deinde vulgo *impositum* propter similitudinem cujusdam victimarii aut suarii negotiatoris; vid. Val. Max. IX, 14, § 3, et Plin. VII, 12 seu 10, XXI, 3 seu 7, quo loco perperam videtur tradi, hunc Scipionem fuisse tribunum pl. et manumissum ab aliquo Scipionum.

2. *C. Matienus accusatus... sub*

veniit. Tribuni plebis, quia non impetrarent, ut sibi denos, quos vellent, milites eximere liceret, consules in carcerem duci jusserunt. Junius Brutus consul in Hispania iis, qui sub Viriatho militaverant, agros et oppidum dedit, quod Valentia vocatum est. M. Popillius[3] a Numantinis, cum quibus pacem factam senatus irritam fieri censuerat, cum exercitu fusus fugatusque est. C. Hostilio Mancino consule sacrificante, pulli ex cavea evolaverunt[4]. Conscendenti deinde navim, ut in Hispaniam proficisceretur, accidit vox, *Mane, Mancine;* quæ auspicia tristia fuisse, eventu probatum est. Victus enim a Numantinis[5], et castris exutus, quum spes nulla servandi exercitus esset, pacem cum eis fecit ignominiosam, quam ratam esse senatus vetuit. Triginta millia Romanorum[6] a Numantinorum millibus quatuor victa erant. D. Junius Lusitaniam[7], triginta urbium expugnationibus, usque ad occasum et Oceanum perdomuit; et, quum fluvium

furca diu virgis cæsus est; vide ad I, 26, n. 6, et Lips. Mil. Rom. V, 19. — *Sestertio nummo veniit;* conf. intpp. Suet. Cæs. 50; Val. Max. V, 2, § 10; Cic. Rab. Post. 17.

3. *M. Popillius* Lænas, etc. conf. Appian. Hisp. 79 (qui a Popillio nihil rei gestum dicit), et Frontin. Strat. III, 17, § 9. — *Cum quibus pacem*, etc. vide ad Epit. LIV, n. 2. — *Irritam fieri censuerat.* Sigonius immisit τὸ *fieri*, quod tamen abesse mallet Crev. et revera ignorant Andreas et Campanus. Ed.

4. *Pulli ex cavea avolaverunt*, etc. conf. Obseq. cap. 83, et Val. Max. I, 6, § 7. *Avolaverunt* e duobus MSS recepi pro vulg. *evolaverunt:* nam portentum in eo est, quod aufugiunt, non quod in altum volant. Conf. Intpp. Suet. Galb. 18, et Obseq. l. l.

5. *Victus a Numantinis*, etc. conf. Appian. Hisp. 79-83.

6. *Triginta millia Rom.* etc. conf. Flor. II, 18, § 2, ibique Duk.

7. *D. Junius* Brutus Callaicus (vid. Epit. LVI, n. 1) *Lusitaniam... persuasit;* conf. Appian. Hisp. 71-73.— *Quum fluvium Oblivionem* (qui et *Limæas, Limeas, Limia, Limius* et nunc *Lima* vocatur: sed forte leg. *fluvium Oblivionis*, quia sic aliis, et Græcis ὁ τῆς Λήθης, dicitur) *transire nollent milites*, quia fluvius hic, ut Lethe in inferis, vi aquis propria, patriæ rerumque præteritarum *oblivionem* afferre credebatur, *ereptum signifero*, etc. conf. ad Sil. I, 236; Appian. l. l. ibique Schweigh.; Strab. III, 153; Flor. II, 17; Plin. IV, 22 seu 35; Plut. Quæst. Rom. pag. 272; Bochart. Chan. I, 34, pag. 605.

Oblivionem transire nollent milites, ereptum signifero signum ipse transtulit, et sic, ut transgrederentur, persuasit. Alexandri filius, rex Syriæ[8], decem annos admodum habens, a Diodoto, qui Tryphon cognominabatur, tutore suo, per fraudem occisus est, corruptis medicis, qui, eum calculi dolore consumi ad populum mentiti, dum secant, occiderunt.

EPITOME LIBRI LVI.

D. Junius Brutus in Hispania ulteriore feliciter adversus Gallæcos pugnavit[1]. Dissimili eventu M. Æmilius Lepidus[2] proconsul adversus Vaccæos rem gessit, clademque similem Numantinæ passus est. Ad exsolvendum Numantini fœderis religione populum, Mancinus, quum hujus rei auctor fuisset, deditus Numantinis, non est receptus. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita trecenta vi-

8. *Alexandri* Balæ *filius, rex Syriæ,... occiderunt;* vid. Epit. LII, n. 8; Appian. Syr. 68; Maccab. I, 13, 31, et, qui leviter ab eo dissentit, Joseph. Ant. XIII, 7, al. 12. — *Decem annos admodum habens:* sed in Epit. LII extr. *bimulus admodum* dicitur. Puto eum, quo tempore Tryphon ei regnum asserebat, bimulo majorem, aut, quum a Tryphone de medio sublatus est, decem annis minorem fuisse: nam inter illius et patris ejus necem tantum quinque anni interjecti fuerunt; et Josephus eum quarto regni anno peremptum, rumoremque a Tryphone sparsum dicit, ὡς χειριζόμενος ἀποθάνῃ, i. e. eum inter curandum mortuum esse; Duk. Difficultas hæc tolletur, si cum Delrii cod. *puero admodum* pro *bimulo a.* in Epit. LII scribere liceat; Drak.

Epit. LVI. 1. *D. Junius Brutus in Hisp. ult. feliciter adversus Gallæcos pugnavit,* unde et *Gallæcus* aut potius *Callaicus* cognominatus est. Conf. Appian. Hisp. 71-73; Vell. II, 5; Flor. II, 17; Oros. V, 5. *Callaicos* aut *Callæcos* scribendum pro *Gallæcos*, quoniam et Græcis vocantur Καλλαϊκοὶ vel Καλλαίκοι, et ita ab opp. *Calle* dicti creduntur. Nomen hoc corruptum videtur, ex quo regio eorum Gallæcia seu Gallicia appellari cœpit. Conf. ad Sil. II, 396; Vlit. ad Grat. Cyn. 514, et Nemes. Cyn. 253; et Cellar. II Geogr. ant. I, 65. Ed.

2. *Dissimili eventu M. Æmilius Lepidus,* etc. vid. Appian. Hisp. 80-83; Oros. V, 5. — *Mancinus* (conf. Epit. LV), *deditus Numantinis, non est receptus;* eadem de Claudinæ pacis auctoribus traduntur a Livio, IX, 10.

ginti tria millia, nongenta viginti tria[3]. Fulvius Flaccus consul Vardæos in Illyrico subegit[4]. M. Cosconius prætor in Thracia cum Scordicis prospere pugnavit. Quum bellum Numantinum vitio ducum non sine pudore publico duraret, delatus est ultro Scipioni Africano a senatu populoque romano consulatus : quem quum illi capere ob legem, quæ vetabat quemquam iterum consulem fieri[5], non liceret, sicuti priori consulatu, legibus solutus est. Bellum servile, in Sicilia ortum[6], quum opprimi a prætoribus non potuisset, C. Fulvio consuli mandatum est. Hujus belli initium fuit Eunus servus, natione Syrus, qui, contracta agrestium servorum manu et solutis ergastulis, justi exercitus numerum implevit. Cleon quoque, alter servus, ad septuaginta millia servorum contraxit; et, copiis junctis, contra populum romanum exercitumque ejus bellum sæpe gesserunt.

3. *Nongenta viginti tria :* hæc verba, quæ ob numeri præc. similitudinem exciderunt, adjeci e tribus MSS. Possis et e tribus aliis substituere *n. triginta tria.*

4. *M. Fulvius Flaccus consul* a. U. 618 *Vardæos* (vide ad Liv. XXVII, 30, n. 10) *in Illyrico subegit,* et ab ora maritima transtulit in inferiora; videatur Appianus, Illyr. 10, et Bell. Civ. I, 34, et Strab. VII, 5, § 7, pag. 315, qui locus ad hanc historiam pertinet.

5. *Ob legem, quæ vetabat quemquam iterum consulem fieri;* quam paulo ante hæc tempora, Catone suadente, latam, sed post tacito consensu civitatis abrogatam fuisse, colligebat Sigonius, ex Prisciani lib. III, pag. 601, et Festo voc. *Pavimenta.* Conf. Pigh. Ann. ad a. 603 et 619. Pleræque edd. vett. perperam post *quemquam* inseruere *intra decem annos :* nam MSS fere omnes ignorant hæc verba, et *XII* anni interjecti sunt inter priorem et hunc Scipionis consulatum. De re cf. Appian. Hisp. 84, qui tamen male tradit, Scipioni nondum legitimam fuisse ætatem, et in ejus gratiam legem annalem abrogatam annoque inseq. iterum sancitam fuisse. Scipionem tum egisse jam annum *L* ætatis, ex Liv. XLIV, 44; Vell. II, 4, et Cic. de Amic. 3, docuit Schweigh.

6. *Bellum servile* seu fugitivorum *in Sicilia ortum... Eunus... Cleon,* etc. conf. Epit. LVI et LIX; Diodor. Exc. lib. XXXIV; Flor. III, 19; Oros. V, 9. — *Contra populum romanum exercitumque ejus;* brevius et aptius duo scripti Grutero inspecti, Pithœus apud Hearnium, et Campanus, *adversus exercitum romanum,*

EPITOME LIBRI LVII.

Scipio Africanus Numantiam[1] obsedit, et corruptum licentia luxuriaque exercitum ad severissimam militiæ disciplinam revocavit. Omnia deliciarum instrumenta recidit; duo millia scortorum a castris ejecit[2]; militem quotidie in opere habuit, et triginta dierum frumentum ad septenos vallos ferre cogebat: ægre propter onus incedenti dicebat, *Quum gladio te vallare scieris, vallum ferre desinito.* Alii, scutum parvum habiliter ferenti, scutum amplius justo ferre jussit[3]; neque id se reprehendere, quando melius scuto, quam gladio, uteretur. Quem militem extra ordinem deprehendit, si Romanus esset, vitibus, si ex-

quam lectionem non improbant Crev. et Drakenb. Ed.

Epit. LVII. 1. *Scipio Africanus Numantiam*, etc. conf. Appian. Hisp. 85-98, et Flor. II, 18.

2. *Duo millia scortorum a castris* (τὸ *a* quidam MSS ignorant, sed defendit Drak. ad h. l. et ad Liv. XXII, 2, n. 10) *ejecit:* femineum sexum in castra rom. non admissum fuisse, etiam Cic. Cat. II, 10 ostendit; Duk. Conf. idem ad Flor. II, 18, § 10, ubi *scorta* h. l. mulierosos esse putabat, ut Lips. ad Tac. Ann. III, 33, XIV, 27. Ἑταίρας dixit Appian. — *Triginta dierum frumentum ad*, super, præter, *septenos vallos ferre cogebat;* vide ad Liv. II, 23, n. 3, et III, 27, n. 4. Conf. Frontin. Strat. IV, 1, § 1.

3. *Alii, scutum parvum habiliter ferenti, scutum amplius justo ferre jussit*, forte cum Periz. ad Ælian. V. H. XI, 9, leg. *alio ferente*, aut cum Drak. *alio ferente, amplius tum scutum* (ita tres MSS) *jussit ferre*, aut cum Gron. *alium ferentem.* Conf. tamen ad XLII, 28, n. 1. — *Neque id se reprehendere, quando melius scuto, quam gladio uteretur;* amplissimum eum ferre scutum jussit, ne scuto agilius, quam gladio, uteretur: nam scutum tegendi sui, gladius lædendi alterum causa paratus est, et noceri hostibus Scipio cupiebat; Sigon. Eum sensum ex his verbis elicere nullo modo possum: sed nec video, quomodo ea superioribus respondeant; et ex Frontini Strat. IV, 1, § 5 probabile fit, excidisse narratiunculam de alio, scutum ornatius, quam gladium, habente; aut, si de eodem milite continuatur sermo, dictum forte aliquid in hanc sententiam: *tum illud se redditurum præfatus*, quando melius *gladio, quam scuto, usurus esset;* Gron. *neque id reprehendere*, sc. eum jussit, emend. Periz. l. l. Conf. Polyæni Strat. VIII, 16, § 4.

traneus, fustibus cecidit[4]. Jumenta omnia, ne exonerarent militem[5], vendidit. Sæpe adversus eruptiones hostium feliciter pugnavit. Vaccæi obsessi, liberis conjugibusque trucidatis, ipsi se interemerunt. Scipio amplissima munera, missa sibi ab Antiocho[6] rege Syriæ, quum celare aliis imperatoribus regum munera mos esset, pro tribunali accepturum se esse dixit, omniaque ea referre quæstorem in publicas tabulas jussit; ex iis se viris fortibus dona daturum. Quum undique Numantiam obsidione clausisset, et obsessos fame videret urgeri; hostes, qui pabulatum exierant, vetuit occidi, quod diceret, velocius eos absumpturos frumenti quod haberent, si plures fuissent.

EPITOME LIBRI LVIII.

Ti. Sempronius Gracchus tribunus plebis[1], quum legem agrariam ferret adversus voluntatem senatus et equestris ordinis[2], *ne quis ex publico agro plus*,

4. *Militem, si Romanus esset, vitibus; si extraneus, fustibus* (alii *virgis*) *cecidit;* vide ad Liv. V, 6, n. 8. Conf. Sall. Jug. 69: ex quo tamen loco non cum Cortio et aliis colligi potest, milites romanos propter legem Porciam capitali animadversione non punitos, sed tantum, eos leviore et minus atroci genere ultimi supplicii, nec ita ut *verberati necarentur*, affectos fuisse; Duker. Vide ad Liv. X, 9, n. 3.

5. *Ne exonerarent militem*, onere, labore, molestia levarent vehendo sarcinas et impedimenta, ab ipso milite portanda aut, si minus necessaria essent, relinquenda; conf. Appianus, Hisp. 85.

6. *Amplissima munera missa sibi ab Antiocho VII*, Evergeta seu Sidete, *rege Syriæ* a. Urb. 617-624, filio Demetrii Soteris et fratre Demetrii Nicatoris. Conf. Cic. pro Dejot. 7, qui tamen pro eo *Attalum regem Asiæ* vitio memoriæ posuit. — *Si plures fuissent.* Antea legebatur *si plures quidem fuissent.* Vocem *quidem* ex vet. lib. delevit Sigon. eamdem vocem ibidem multis codd. ignorari testatur Drak. Ed.

Epit. LVIII. 1. *Ti. Sempronius Gracchus trib. pl.* usque ad fin. Epit. cf. Appian. Bell. Civ. I, 1-16; Oros. V, 7 sq. Flor. III, 14; Vell. II, 2 sq. et Plut. Gracch.

2. *Quum legem agrariam ferret adversus voluntatem senatus et equestris ordinis,* immo omnium divitum etiam e plebe, in qua sine dubio multi erant, qui majorem modum agrorum possi-

quam quingenta jugera, possideret, in eum furorem exarsit, ut M. Octavio collegæ, causam diversæ partis[3] defendenti, potestatem lege lata abrogaret, seque et Gracchum fratrem et Ap. Claudium socerum triumviros ad dividendum agrum crearet. Promulgavit et aliam legem agrariam[4], qua sibi latius agrum patefa-

derent; nisi quis hos omnes etiam equestris ordinis fuisse putet: *ne quis ex agro publico plus, quam D jugera, possideret;* quod vix credo Livium scripsisse: nam Ti. Gracchus referebat veterem legem Liciniam (vide ad Liv. VI, 35 sq.): ea autem nullam *agri publici* mentionem faciebat, sed vetabat, *ne quis plus quingenta jugera possideret*, i. e. in universum quingenta, sine discrimine publicus, an privatus ager esset; Duker. Hæc inde facta est vulgaris fere virorum doctorum sententia; nisi quod nonnulli quingenta agri privati jugera, publici autem vel decem, vel centum possidere permissum volunt; vid. Rei Agrar. Script. pag. 349 sq. et Pigh. Ann. ad a. 620. Id firmari putant eo, quod *X* vel *C jugera* h. l. legitur in omnibus MSS et edd. ante Sigon. Verum hic recte *D jugera* (quæ etiam pro *CC jugera* in Italia apud Flacc. Sicul. de Condit. Agror. pag. 2, ed. Goes. et pro *L jugera* apud Colum. Re Rust. I, 3, n. 11, substituenda sunt) reposuisse, et lex Licinia, adeoque et Sempronia, qua illa revocata est, omnino ad solum *agrum publicum* pertinuisse videtur; quod etiam monitum jam video a Schweigh. ad Appian. Bell. Civ. I, 8, et Heynio in Opusc. Acad. t. IV, pag. 362 sq. Id manifestum fit tum ex locis class. Appiani, Bell. Civ. I, 7, 8, 11, et Plut. Gracch. pag. 827 sq. (inpr. pag. 828, ubi etiam diserte τὴν δημοσίαν χώραν dixit, ut Appianus τήνδε τὴν γῆν, hunc agrum, sc. publicum, de quo antea sermo fuerat), tum ex historia, quæ docet, maximas turbas et indignationem plebis ipsasque leges agrarias semper inde ortas fuisse, quod omnis ex agro hostibus adempto fructus ad nobiles ditioresque cives redundaret: nam agri illi non populo dividi, sed locari et ab hominibus fere *senatorii et equestris ordinis* conduci solebant; unde hi opibus affluebant et acerrime legibus agrariis adversabantur, plebs vero propter continua bella ac tributa aut hostium incursiones miseria, ære alieno obruebatur et fremebat. Huc accedit, quod lex ista admodum iniqua videri debet, si vulgari, neutiquam vero, si eo, quo dixi, sensu capienda est; quod jam docuit Plutarch. l. l. pag. 828. B.

3. *Ut M. Octavio collegæ, causam diversæ partis* (vide ad Liv. IX, 21, n. 2)... *abrogaret, seque et* C. *Gracchum... crearet;* vid. Appian. Bell. Civ. I, 12, 13, et Plut. Gracch. pag. 828-830, — Hoc loco *seque et fratrem Caium* ex vet. lib. legi jussit Sigonius, et hanc recepit lectionem Crev. sed *Gracchum* præferunt plerique codd. Ed.

4. *Promulgavit et aliam legem agrariam*, etc. hanc neque Plut. memorat, neque Appianus; hic vero legi Liciniæ adjectum a Graccho dicit: ut filiis (emancipatis) dimidium (*CCL*

ceret, *ut iidem triumviri judicarent, qua publicus ager, qua privatus esset.* Deinde, quum minus agri esset, quam quod dividi posset sine offensa etiam plebis (quoniam eos ad cupiditatem amplum modum sperandi incitaverat), legem se promulgaturum ostendit, *ut iis, qui Sempronia lege agrum accipere deberent, pecunia, quæ regis Attali fuisset*[5], *divideretur.* Heredem autem populum romanum reliquerat Attalus, rex Pergami, Eumenis filius. Tot indignitatibus commotus graviter senatus, ante omnes T. Annius consularis[6], qui, quum in senatu in Gracchum perorasset, raptus ab eo ad populum delatusque plebi, rursus in eum pro Rostris concionatus est. Quum iterum tribunus plebis creari vellet Gracchus[7], auctore P. Cornelio Nasica, in Capitolio ab optimatibus oc-

jugera agri) possidere liceret, utque triumviri quotannis crearentur, qui, quod agri superesset, pauperibus dividerent. — *Qua* (forte *quo;* Gron.) *sibi latius agrum patefaceret*, duo MSS et edd. ante Grut. post. *qua si quis latius a. p.;* et Sigon. de Ant. Jur. Ital. II, 2, habet *ut, si quis latius a. p.*, i. e. ultra modum lege finitum agrum proferret. Hæc videtur esse sententia: nec tamen probatos scriptores latinos ita loqui scio; Duk.— *Judicarent, qua* parte *publicus ager, qua p. e.*, forte *qui... qui* ex ed. Camp. — *Amplum modum* seu mensuram sc. agri; vid. Drak.

5. *Pecunia, quæ regis Attali fuisset, divideretur:* nam *heredem* bonorum, non regni, ut Romani interpretabantur, hoc a. Urbis 620 *populum romanum reliquerat Attalus III.* Philometor (Philopator apud Plut.), *Eumenis II filius*, ultimus *rex Pergami*, quæ inde facta est provincia romana, dictaque *Asia* propria; videnda. Plut. Gracch. p. 830; Strab. XIV, p. 624. 646; Justin. XXXVI, 4; Vell. II, 4; Oros. V, 8; Flor. II, 20, et intpp. Hor. Od. II, 18, v. 5.

6. *Ante omnes T. Annius cos.*, ita 4 MSS et *T. Amnius* Voss. de quo T. Annio vid. Plut. Gracch. pag. 831. Hinc recte pro *C.* vel *A.* vel *M. Antonius consul*, quæ alii scripti et editi libri præferunt, Drakenb. substituit *T. Annius consularis*, ut sit T. Annius, qui a. Urb. 600 consul fuit; nisi ex Festo voc. *Satura* leg. *T. Annius Luscus.* Idem monet, Sigon. emendasse *P. Mucius* (Scævola) *consul*, quem occiso demum Graccho ex somno quasi excitatum dicunt Cic. pro domo, 34, pro Planco, 36; Val. Max. III, 2, § 7; Aur. Vict. de Viris ill. cap. 64.

7. *Quum iterum tribunus pl. creari vellet Gracchus... projectus;* conf. Plut. Gracch. pag. 832-834, et Appian. Bell. Civ. I, 14-16. — *Ab optimatibus;* vide ad Liv. III, 35, n. 4.

cisus est, ictus primum fragmentis subselliorum; et inter alios, qui in eadem seditione occisi erant, insepultus in flumen projectus[8]. Res præterea in Sicilia vario eventu adversus fugitivos[9] gestas continet.

EPITOME LIBRI LIX.

Numantini, fame coacti, ipsi se per vicem tradentes trucidaverunt[1]. Captam urbem Scipio Africanus delevit, et de ea triumphavit, quartodecimo anno post Carthaginem deletam. P. Rupilius consul in Sicilia cum fugitivis debellavit[2]. Aristonicus, regis Eumenis filius[3], Asiam occupavit, quum, testamento Attali regis delata populo romano, libera esse deberet. Adversus eum P. Licinius Crassus consul, quum idem pontifex maximus esset (quod nunquam antea factum[4] erat), extra Italiam profectus, prælio victus et occisus est. M. Perperna consul victum Aristonicum in deditionem accepit. Q. Pompeius[5] et Q. Metellus,

8. *In flumen*, Tiberim, *projectus;* conf. ad Juven. X, 66.

9. *Res in Sicilia adversus fugitivos;* vide ad LVI, n. 6.

Errr. LIX. 1. *Numantini, fame coacti, ipsi se per vicem tradentes trucidaverunt,* forte *in vicem:* nam indicare voluisse videtur, Numantinos, quum se Scipioni traderent, sua se manu interfecisse; Drakenb. Conf. Val. Max. III, 2, extr. 7; Appian. Hisp. 95 sq. — *Captam urbem Scipio Africanus delevit, XIV anno post Carthaginem deletam* ab eodem; unde etiam cognomen *Numantini* illi datum fuisse, tradunt Appian. Hisp. 98; Ovid. Fast. I, 596, et Aur. Vict. Vir. ill. 58; quod tamen in marmoribus non reperitur.

2. *P. Rupilius consul* (ex emend. Sigon. pro *P. Attilius*) a. Urb. 621 *in Sicilia cum fugitivis debellavit;* vide ad LVI, 6; Pigh. Ann. ad a. 621; Ern. Clav. Cic. voc. *P. Rupilius* et *Rupilia lex;* Flor. III, 19; Oros. V, 9.

3. *Aristonicus, regis Eumenis II filius* (ex pellice natus),... *accepit;* conf. Justin. XXXVI, 4; Flor. II, 20; Vell. II, 4. — *Quum, testamento Attali... libera esse deberet;* sed vide ad LVIII, 5.

4. *Quod nunquam antea factum;* vide ad Livium, lib. XXVIII, cap. 38, not. 6.

5. *Q. Pompeius* Nepos *et Q.* Cæcilius *Metellus* Macedonicus, *tunc primum uterque ex plebe facti censores;* etc. conf. Liv. VIII, 12; Epit. L, 13,

tunc primum uterque ex plebe facti censores, lustrum condiderunt. Censa sunt civium capita trecenta septemdecim millia, octingenta viginti tria, præter pupillos et viduas. Q. Metellus censor censuit, ut omnes cogerentur ducere uxores[6] liberorum creandorum causa. Exstat oratio ejus, quam Augustus Cæsar, quum de maritandis ordinibus ageret, velut in hæc tempora scriptam in senatu recitavit. C. Atinius Labeo tribunus plebis Q. Metellum censorem, a quo in senatu legendo præteritus erat, de saxo dejici jussit[7] : quod ne fieret, cæteri tribuni plebis auxilio fuerunt. Quum Carbo tribunus plebis rogationem tulisset, ut eumdem tribunum plebi[8], quoties vellet, creare liceret, rogationem ejus P. Africanus gravissima oratione dissuasit; in qua dixit, *Ti. Gracchum jure cæsum videri*[9]. Gracchus contra suasit rogationem; sed Scipio

LIV, 1, 2; Cic. Brut. 76; Pigh. Annal. ad a. 414, 622.

6. *Q. Metellus censor censuit, ut omnes cogerentur ducere uxores... Exstat oratio ejus, quam Augustus Cæsar... recitavit;* conf. Suet. Aug. 89, et Gell. I, 6. Hic orationem Metello Numidico tribuit, qui a. Urb. 651 censor fuit, neque tamen dicit eam ab Augusto in senatu recitatam. Hinc Duker. suspicatur, utrumque in censum de eodem argumento orationem ad populum habuere. — *Quum de maritandis ordinibus ageret;* vid. intpp. Suet. Aug. 84. — *Velut in hæc tempora scriptam;* ante Sigonium editi: *velut eo tempore.* Ille correxit ex vet. lib. cui adstipulatur Campanus. Recte *in hæc tempora.* Habetur enim, ut observat Crev., ratio personæ Livii qui Augusto æqualis fuit. Ed. — *In senatu recitavit*, i. e. de scripto dixit, ut ἀνέγνω sæpe apud Dionem: qui fuit mos Principum, ab Augusto institutus, in senatu, ad populum et milites; Vales. In senatu Quæstores Candidati Principis orationes ejus recitare solebant. Conf. Intpp. Suet. Aug. 85.

7. *C. Atinius Labeo trib. pleb. Q. Metellum censorem... de saxo* Tarpeio *dejici jussit*, etc. conf. Cic. pro domo 47, et Plin. VII, 44, qui tamen Atilium a Metello e senatu ejectum dicunt.

8. *Quum* C. Papirius *Carbo tribunus pl.* (homo eloquentissimus et seditiosus) *rogationem tulisset, ut eumdem tribunum plebi*, etc. conf. Cic. de Amic. 21, 25, et de Carbone Ern. Clav. Cic. *Plebi* ex emend. Gron. pro *plebis* dedi.

9. *Ti. Gracchum jure cæsum videri;* conf. Vell. II, 4; Val. Max. V, 2, § 3; Cic. Mil. III, 7, et Plut. Gracch. p. 834. — *C. Gracchus contra suasit rogationem; sed Scipio tenuit;* vide ad Liv. II, 42, n. 2, et II, 56, n. 6.

tenuit. Bella inter Antiochum Syriæ[10] et Phraatem Parthorum regem gesta, nec magis quietæ res Ægypti referuntur. Ptolemæus, Evergetes[11] cognominatus, ob nimiam crudelitatem suis invisus, incensa a populo regia, clam Cypron profugit; et, quum sorori ejus Cleopatræ, quam, filia ejus virgine per vim compressa, atque in matrimonium ducta, repudiaverat, regnum a populo datum esset, infensus filium, quem ex illa habebat, Cypri occidit; caputque ejus et manus et pedes matri misit. Seditiones a triumviris[12] Fulvio Flacco et C. Graccho et C. Papirio Carbone, agro dividendo creatis, excitatæ: quibus quum P. Scipio Aricanus adversaretur, fortisque ac validus de die domum se recepisset, mortuus in cubiculo inventus est. Suspecta fuit, tanquam ei venenum dedisset, Sempronia uxor, hinc maxime, quod soror esset Gracchorum, cum quibus simultas Africano fuerat. De morte tamen ejus nulla quæstio acta. Eo defuncto, seditiones triumvirales acrius exarserunt. C. Sempronius consul contra Iapydas[13] primo

10. *Bella inter Antiochum* Sideten *Syriæ*, etc. conf. Justin. XXXVIII, 10, et Appian. Syr. 68.

11. *Ptolemæus Evergetes II*, Physcon, rex Ægypti, a. Urb. 608, 635... *matri misit;* vide ad XLII, 29, n. 4; Justin. XXXVIII, 8; Oros. V, 10; Val. Max. IX, 1, extr. 5, IX, 2, extr. 5; et simul Diodor. Exc. Peiresc. pag. 374.

12. *Seditiones a triumviris... P. Scipio Africanus... mortuus in cubiculo inventus est*, etc. conf. Appian. Bell. Civ. I, 18-20; Plut. Gracch. p. 839; Vell. II, 4; Cic. Mil. 7, de Or. II, 40, ad Div. II, 12, IX, 21. — *Fortis* h. l. est, qui firma et integra valetudine corporis est, sine ullo indicio ac suspicione morbi: quem usum vocis non optimæ latinitatis esse puto; Duk. *Fortis* et *validus* h. l. synonyma, ut *fortis* et *incolumis* apud Plin. Epit. IV, 21, et X, 89. — *De die*, alii exponunt diluculo, summo mane vel mature; alii non admodum sero, quum adhuc dies esset. Neutra re augeri suspicionem dati veneni, observat Roëll. et ideo conj. *eo die*, sc. quo seditionibus illis adversatus fuerat, *pridie* omnes fere MSS et edd. ante Crever.

13. *C. Sempronius* Tuditanus *consul contra Iapydas*, etc. vide ad Liv. XLIII, 5, n. 1, et Pigh. Ann. ad a. Urb. 624. — *D. Junii Bruti, qui*, etc. vide ad LVI, 1.

rem male gessit: mox victoria cladem acceptam emendavit virtute D. Junii Bruti, ejus, qui Lusitaniam subegerat.

EPITOME LIBRI LX.

L. Aurelius consul rebellantes Sardos[1] subegit. M. Fulvius Flaccus primus Transalpinos Ligures bello domuit, missus in auxilium Massiliensibus adversus Salluvios Gallos[2], qui fines Massiliensium populabantur. L. Opimius prætor Fregellanos[3], qui defecerant, in deditionem accepit, Fregellas diruit. Pestilentia in Africa ab ingenti locustarum[4] multitudine et deinde necatarum strage fuisse traditur. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita trecenta nonaginta millia septingenta triginta sex. C. Gracchus, Tiberii frater, tribunus plebis, eloquentior quam frater, perniciosas aliquot leges tulit[5] (inter quas frumentariam, *ut semisse et triente*[6] *frumentum*

Epit. LX. 1. *L. Aurelius cos. rebellantes Sardos subegit;* conf. Pigh. Ann. ad a. 627. *Rebellantes* pro *bellantes* ex ejus emend. receptum. *Pellitos Sardos* conj. Gronov. vide ad Liv. XXIII, 40, n. 2.

2. *M. Fulvius Flaccus* (conf. Epit. LIX) *primus Transalpinos Ligures bello domuit... adversus Salluvios* (vid. Liv. V, 34, n. 7) *Gallos*, etc. conf. Pigh. Annal. ad annum 630: sed vide ad Epit. XLVII. Livium incuriæ vel oblivionis arguit Periz. Anim. Hist. cap. 8, pag. 346. *Transalpinos Gallos* et *Salvios* aut *Salluvios Ligures* conj. Cluver. Ital. Ant. I, 7, p. 50, suspicans, Salluvios non recte *Gallos* dici; aut eos saltem Celtici generis fuisse et, quum sermone, moribus et cultu Ligutibus similes fuerint, eos primum a Græcis, deinde a Romanis ejusdem gentis populum habitos fuisse.

3. *L. Opimius prætor Fregellanos*, etc. conf. Plut. Gracch. pag. 836; Vell. II, 6; Cic. Agr. II, 23, in Pis. 39 (ubi vid. Ascon.), et Inv. II, 34; Pigh. Ann. ad a. 628. De *Opimio* conf. Ern. Clav. Cic.

4. *Pestilentia in Africa ab ingenti locustarum*, etc. cf. Obseq. de Prod. cap. 80, et Oros. V, 11.

5. *C. Gracchus, Tiberii frater,... leges tulit*, etc. conf. Plut. Gracch. pag. 834-845; Appian. Bell. Civ. I, 21-26.

6. *Ut semisse et triente frumentum*, modius frumenti, *plebi* daretur, h. e. dextante aut decunci; sed hoc nummi genus olim non cudebatur, neque

plebi daretur; alteram legem agrariam, quam et frater ejus tulerat; tertiam, qua equestrem ordinem, tunc cum senatu consentientem, corrumperet[7], *ut sexcenti ex equitibus in curiam sublegerentur, et, quia illis temporibus trecenti tantum senatores erant, sexcenti equites trecentis senatoribus admiscerentur*, id est, ut equester ordo bis tantum virium in senatu haberet); et, continuato in alterum annum tribunatu, legibus agrariis latis effecit, ut complures coloniæ in Italia deducerentur, et una in solo dirutæ Carthaginis; quo ipse triumvir creatus coloniam deduxit[8]. Præterea res a Q. Metello consule adversus Baliares gestas[9] continet; quas Græci Gymnesias appellant, quia æstatem nudi exigant: Baliares a teli missu appellati, aut a Baleo, Herculis comite, ibi relicto tunc, quum Hercules ad Geryonem navigaret. Motus quoque Syriæ referuntur, in quibus Cleopatra

nummi ærei formæ publicæ Romanis fuere præter dipondium, sesquassem, assem, semissem, trientem, quadrantem; vid. Gron. de Pec. Vet. IV, 12, p. 336, et Contarenus, de Frum. Rom. largit. cap. 2.

7. *Tertiam, qua equestrem ordinem... corrumperet* (ad suas partes traheret et abalienaret a senatu), *ut sexcenti ex equitibus..... haberet*, locus impeditissimus et forte corruptus: nam nusquam alibi scriptum est, lege hac *DC* equites in senatum allectos fuisse; Duk. Neque etiam ex eo intelligitur, hanc legem Semproniam fuisse judiciariam. Cf. Plut. Gracch. p. 837 (qui trecentos tantum equites totidem senatoribus adscriptos et ita cum iis judices factos dicit); Appian. Bell. Civ. I, 22 (qui judicia a senatoribus ad solos equites translata fuisse tradit); Manut. de Leg. Rom. cap. 15; Sigon. de Ant. Jur. Civ. Rom. II, 2; Pigh. Annal. ad annum 631, inf. ad Epit. XCVII, 7.—« Non absurda, ait Creverius, Freinshemii conjectura est, inf. cap. 66, hoc tentasse vel certe cogitasse Gracchum, quod narrat auctor Epitomes, sed perficere non potuisse, atque adeo ad transferenda ad solos equites judicia adjecisse. Ed.

8. *Continuato in alterum annum tribunatu... ut complures coloniæ... deduxit;* conf. Appian. Bell. Civ. I, 23, 24, et Plut. l. l.

9. *Res a Q.* Cæcilio *Metello cos. adversus Baliares gestas*, unde ille cognominatus est *Balearicus* seu *Baliaricus:* nam utramque scripturam in fastis et denariis reperiri, docet Drak. Conf. Liv. XXI, 21, n. 7; Strab. III, 5, pag. 167; Pigh. Annal. ad a. 632. — *Baliares..... Græci Gymnesias..... Baliares a teli missu, aut a Baleo,*

Demetrium[10] virum suum et Seleucum filium, indignata quod, occiso patre ejus a se, injussu suo diadema sumpsisset, interemit.

EPITOME LIBRI LXI.

C. Sextius proconsul, victa Salluviorum gente, coloniam Aquas Sextias[1] condidit, ob aquarum copiam e calidis frigidisque fontibus atque a nomine suo ita appellatas. Cn. Domitius proconsul adversus Allobrogas ad oppidum Vindalium[2] feliciter pugnavit. Quibus bellum inferendi causa fuit, quod Teutomalium, Salluviorum regem, fugientem recepissent et omni ope juvissent, quodque Æduorum agros, sociorum populi romani, vastassent. C. Gracchus, seditioso tribunatu acto, quum Aventinum quoque armata multitudine occupasset, a L. Opimio consule[3], ex senatusconsulto vocato ad arma populo, pulsus et occisus est; et cum eo Fulvius Flaccus consularis, socius ejusdem furoris. Q. Fabius Maximus consul, Paulli nepos[4], adversus Allobrogas et Bituitum, Arvernorum

H. c. etc. vide ad Liv. XXI, 21, n. 7.

10. *Cleopatra Demetrium* Nicatorem, Demetrii Soteris filium, nepotem Seleuci, filii Antiochi *M.*, *virum suum et Seleucum filium*, fratrem Antiochi Grypi,... *interemit;* vid. Appian. Syr. 67-69; Justin. XXXIX, 1; Joseph. Ant. XIII, 17.

Epit. LXI. 1. *Aquas Sextias*, hod. *Aix* en Provence... *ob aquarum copiam*, Gron. malebat *ab a. copia.*

2. *Ad oppidum Vindalium*, quod etiam memorat Oros. V, 13. *Vindalum* MS Leid. ut Οὐίνδαλον apud Strab. IV, 185, ex emend. Casaub. et Scalig. Auson. Lect. I, 30, pro Οὔδαλον. Mox pro *Teutomalium* MSS *Crotoniculum*, *Cortomoculum*, *Tentomolum*, *Toutomotulum*, *Teutomotulum;* et edd. vett. *Teutomalum* et *Teutonialum.*

3. *A L. Opimio cos.*, *ex SCto*, etc. conf. Plut. Gracch. pag. 841. — *Socius ejusdem furoris*, seditionis. Conf. ad Liv. II, 42, n. 6, et Cort. ad Sallust. Fragm. pag. 942.

4. *Q. Fabius Maximus consul*, Æmilii *Paulli nepos*, qui a victoria hac Allobrogicus est dictus, et Æmiliani forte filius fuit, etsi *Æmilianus* quibusdam vocatur; vid. Pigh. Annal. t. III, pag. 68, et Casaub. ad Strab. IV, 185 et 191. — *Bituitum*, *Arvernorum regem*, ut apud Valer. Max.

regem, feliciter pugnavit. Ex Bituiti exercitu cæsa millia hominum centum viginti. Ipse, quum ad satisfaciendum[5] senatui Romam profectus esset, Albam custodiendus datus est, quia contra pacem videbatur, ut in Galliam remitteretur. Decretum quoque est, ut Congentiatus[6], filius ejus, comprehensus Romam mitteretur. Allobroges in deditionem accepti. L. Opimius, accusatus apud populum a Q. Decio tribuno plebis[7], quod indemnatos cives in carcerem conjecisset, absolutus est.

EPITOME LIBRI LXII.

Q. Marcius consul Stœnos, gentem Alpinam, expugnavit[1]. Micipsa, Numidarum rex, mortuus regnum

IX, 6, § 3; Flor. III, 2; Eutrop. IV, 22; Oros. V, 14. *Vituitus* et *Vetuitus* dicitur Hieron. Chron. Euseb. p. 148. Βίττος Strab. IV, 191. Βίτυις Athenæo, IV, 37. Βιτοῖτος βασιλεὺς τῶν Ἀλλοβρίγων Appiano, Gall. II, 12 (ubi conf. Schweigh.), Βιτοῖτος miles vel dux Gallorum, qui Mithridatem interfecit, apud Appian. Mithr. 111 (ubi vid. Schweigh.) Conf. ad Epit. CII, 1. *Betultus* in Fragm. Fastorum Triumphal. Capit. apud Grut. Inscr. t. I, p. 298, 3; quod probant Pigh. Annal. ad a. 632 (qui ita transformatum putabat celticum nomen regis, *Betultich* a patientia vel modestia appellari), Delrius, Ursinus et Drakenb. qui conf. ad h. l. — *Ex Bituiti* (*Bitinti* MS Berg.) *exercitu cæsa millia h. CXX;* ita MSS (præter Boend. qui CCXX habet), et Appian. Gall. I, 2: at *CL millia* apud Oros. V, 14. CXXX *millia* apud Plin. VII, 50; CC *millia* apud Strab. IV, 185 et 191. Confer Pigh. l. l.

5. *Ipse, quum ad satisfaciendum*, etc. alia tradunt Val. Maxim. IX, 6, § 3; Eutrop. IV, 10; Flor. III, 2.— *Albam custodiendus datus est.* Sic duo e MSS Gronov., et Pithœus apud Hearnium; atque id Creverio jure visum est elegantius, quam quod vulgati præferunt, *Albæ.* Cæterum vide ad Liv. IX, 16, n. 4. Ed.

6. *Congentiatus;* MSS *Congenatus, Congienatus, Congenetiatus, Cognoncaticus, Congonnetiæcus, Congomietiacus.* Terminationem gallicam esse *tiacus*, ut in *Divitiacus* et *Vedeliacus*, monet Jac. Gron.

7. *L. Opimius accusatus a Q. Decio trib. pl.*, immo *a P. Decio.* Conf. Cic. Brut. 28, et de Orat. II, 30, 31, 62; Aurel. Vict. de Viris illustr. cap. 72; Pigh. Ann. ad a. 633.

Epit. LXII. 1. *Q. Marcius* Q. F. Q. N. Rex *consul Stœnos, gentem Alpinam* et Ligusticam *expugnavit* ac de iis triumphavit; vid. Oros. V, 14, 15; Fragm. Fastorum Triumphal. in

tribus filiis reliquit[2], Adherbali, Hiempsali et Jugurthæ, fratris filio, quem adoptaverat. L. Cæcilius Metellus Dalmatas subegit[3]. Jugurtha Hiempsalem fratrem bello petiit, quem victum occidit: Adherbalem regno expulit: is a senatu restitutus est. L. Cæcilius Metellus, Cn. Domitius Ahenobarbus, censores[4], duos et triginta senatu moverunt. Præterea motus Syriæ regum continet.

EPITOME LIBRI LXIII.

Cato Porcius[1] consul in Thracia male adversus Scordiscos pugnavit. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita trecenta nonaginta quatuor millia, trecenta triginta sex. Æmilia, Licinia, Marcia, virgines Vestales, incesti damnatæ sunt: idque incestum quemadmodum et commissum, et deprehensum, et vindicatum sit, refertur[2]. Cimbri, gens vaga, populabundi in Illyricum venerunt. Ab iis Pa-

Grut. Inscr. p. 298, 5; Pigh. Annal. ad ann. 630 et 636. *Stænos* ex illo fragm. *Stonos*, *Stenos*, *Stinos*, *Sarmes*, *Sarmos* MSS. Στόνοι Tridentinis vicini ad radices Alpium et latrociniis assueti apud Strab. IV, 204. Στουῖνος et *Stonos* caput Euganeorum in Graiis Alpibus apud Stephanum et Plin. III, 20 seu 24. *Carnos* male conj. Cluv. Ital. Ant. I, 15 et 19.

2. *Micipsa, Numidarum rex, regnum t. f. r. Jugurtha Hiempsalem*, etc. Hæc notissima vel ex Sallust. Jug. 1 sq. et 12. — *Is a senatu restitutus est;* sic edidit Gron. ex aliquot MSS, quibus assentitur Campanus. Vulgo *qui a senatu*. Ed.

3. *L. Cæcilius* L. F. Q. N. *Metellus* Dalmaticus *Dalmatas subegit* et de iis triumphavit; vid. Ascon. ad Ciceronis Verr. I, 59, et Pigh. Ann. ad a. 635. *Delmatas* et *Delmaticus* in Inscr. vid. Pigh. l. l. Goltz. Fast. ad a. 636, et nos ad Tac. Ann. II, 53, n. 3.

4. *L. Cæcilius Metellus et Cn. Domitius Ahenob. censores;* conf. Cic. Verr. I, 55; Val. Max. II, 9, § 9, et fragm. leg. agrar. in Pigh. Annal. ad a. 616, p. 137.

Epit. LXIII. 1. *Cato Porcius* (vid. ad Liv. III, 1, n. 1); 4 MSS *C. Porcius*, non minus recte: nam dictus est *C. Porcius Cato*, filius M. Catonis, et M. Catonis Censorii nepos, *consul* a. U. 639. — *In Thracia male adversus Scordiscos pugnavit;* confer Flor. III, 4; Eutrop. IV, 24.

2. *Æmilia, Licinia, Marcia... refertur;* sed Licinia et Marcia absolutæ. Conf. Cic. Brut. 43; Plut. Quæst.

pirius Carbo consul cum exercitu fusus est[3]. Livius Drusus consul adversus Scordiscos gentem à Gallis oriundam, in Thracia feliciter pugnavit[4].

EPITOME LIBRI LXIV.

Adherbal, bello[1] petitus a Jugurtha, et in oppido Cirta obsessus, contra denuntiationem senatus ab eo occisus est. Ob hoc ipsi Jugurthæ bellum indictum; idque Calpurnius Bestia consul gerere jussus, pacem cum Jugurtha injussu populi et senatus fecit. Jugurtha, fide publica evocatus ad indicandos auctores consiliorum suorum, quod multos pecunia in senatu corrupisse dicebatur, Romam venit; et propter cædem, admissam in regulum quemdam, nomine Massivam, qui regnum ejus[2] populo romano invisi affectabat, Romæ interfectum, quum periclitaretur, causam capitis dicere jussus, clam profugit, et, cedens urbe, fertur dixisse: *O urbem venalem*[3] *et cito perituram, si emptorem invenerit!* A. Postumius legatus[4] in-

Rom. p. 284, B; Macrob. Sat. I, 10; Pigh. Ann. ad a. 640; Vales. ad Exc. Peiresc. ex Dione, p. 626; Haverk. Comment. ad Morelli Thesaurum, t. I, pag. 440.

3. *Cimbri gens vaga... ab iis* Cn. *Papirius Carbo cos. fusus est* a. Urb. 540 apud Noreiam in Carniola. Cf. Flor. III, 3; Strab. V, 328, VII, 292 sq. et Beckii *Anleit. zur Kenntniss der allg. Weltgesch.* t. II, p. 169 sq. ubi et recentiores laudantur scriptores, qui de Cimbris eorumque et bellis et sociis, Ambronibus, Teutonis, Tectosagibus aliisque, egerunt.

4. M. *Livius Drusus consul* a. Urb. 641 *adversus Scordiscos... in Thracia feliciter pugnavit;* conf. Flor. III, 4, et Pigh. Annal. — Post *pugnavit* legebatur olim *magnumque honorem tulit*, quæ verba ultima erant ejus Epitomes: sed exsulare ea a multis codd. Grutero inspectis, a Voss. et Gud. ab Exc. Pithœi, et ed. Camp. testantur Gron. et Drak. recte igitur a Clerico e contextu ejecta. Ed.

Epit. LXIV. 1. *Adherbal bello... censuit;* conf. Sallust. Jug.

2. *Massivam, qui regnum ejus* Jugurthæ, patruelis, *affectabat*, petens illud a Romanis. Conf. Sallust. Jug. V, 35 sq.

3. *O urbem venalem*, etc. Confer Sallust. Jug. 35; Flor. III, 1; Oros. V, 15.

4. *A. Postumius legatus*, etc. conf.

feliciter prælio adversus Jugurtham gesto pacem quoque adjecit ignominiosam, quam non esse servandam senatus censuit.

EPITOME LIBRI LXV.

Q. Cæcilius Metellus consul duobus præliis Jugurtham fudit, totamque Numidiam [1] vastavit. M. Junius Silanus consul adversus Cimbros infeliciter pugnavit. Legatis Cimbrorum sedem et agros, in quibus consisterent [2], postulantibus senatus negavit. M. Minucius proconsul adversus Thracas prospere pugnavit [3]. L. Cassius consul a Tigurinis Gallis, pago Helvetiorum, qui a civitate secesserant [4], in finibus Allobrogum cum exercitu cæsus est. Milites, qui ex ea clade superaverant, obsidibus datis et dimidia rerum omnium parte, ut incolumes dimitterentur, cum hostibus pacti sunt.

Sall. Jug. 41 seq. et Oros. V, 15. — *Prælio gesto*, ut apud Frontin. II, 6, § 1, et Aurel. Vict. de Cæs. 26, et de Viris ill. cap. 10. Drak. — Plerique libri inter τὰ *gesto* et *pacem* inserunt verbum *conflixit*, quod plane otiosum merito judicat Crev. Ed.

Epit. LXV. 1. *Totamque Numidiam*, etc. Hæc præferunt Creverius et Drak. pro *universam*, quod olim legebatur, invitis veteribus libris. Ed. — *M. Junius Silanus consul* a Urb. 644 *adversus Cimbros infeliciter pugnavit;* conf. Ascon. Ped. in Cic. Or. 1, pro Cornel. extr. p. 131.

2. *Sedem et agros, in quibus consisterent;* h. e. post longos vagosque errores certa stabilique sede manerent et quiescerent. Conf. Duk. et Drak. ad h. l. Heins. ad Virg. Æn. I, 629, et Burm. ad Ovid. Metam. XI, 407. *Considerent* primum exhibet editio Ascens. a. 1513.

3. *M. Minucius* Rufus *proc. adversus Thracas*, Scordiscos et Triballos, *prospere pugnavit* a. Urb. 644. Conf. Flor. III, 4; Frontin. II, 4, § 3; Vell. II, 8; Pigh. Ann. ad a. 644.

4. *L. Cassius* Longinus *consul* a. U. 646 *cæsus est a Tigurinis Gallis, pago*, uno e quatuor pagis, *Helvetiorum, qui a civitate secesserant*, i. e. ab Helvetiorum populo, republica; vide ad Liv. XXXIV, 16, § 4. De re conf. Cæs. Bell. Gall. I, 7, 12 sq. Oros. V, 15; Flor. III, 3. Helvetii Gallis annumerabantur: sed eorum loco *Germanos* memorat Tac. Germ. 37. Hinc Oudend. et Davis. ad Cæs. l. l. suspicabantur, Gallos sub *Germanorum* no-

EPITOME LIBRI LXVI.

Jugurtha, pulsus a C. Mario Numidia, auxilio Bocchi, Maurorum regis, adjutus est; et, cæsis prælio Bocchi quoque copiis, nolente Boccho bellum infeliciter susceptum diutius sustinere, vinctus ab eo et Mario traditus est[1] : in qua re præcipua opera L. Cornelii Sullæ, quæstoris Marii, fuit.

EPITOME LIBRI LXVII.

M. Aurelius Scaurus, legatus consulis[1], a Cimbris fuso exercitu, captus est; et, quum, in consilium ab iis evocatus, deterreret eos, ne Alpes transirent Italiam petituri, eo quod diceret Romanos vinci non posse, a Boiorige rege, feroci juvene, occisus est. Ab iisdem hostibus Cn. Manlius[3] consul et Q. Servilius Cæpio proconsul, victi prælio castrisque binis exuti sunt. Militum millia octoginta occisa, calonum et lixa-

mine contineri, et Pigh. in Annal. ad a. 646, Tigurinos se Cimbris, Teutonibus aliisque *Germanis* consociasse, eorumque auxilio obtinuisse victoriam illam. Mox *superaverant* restitui pro *superaverunt*, quod demum exhibet ultima ed. Grut.

Epit. LXVI. 1. *Vinctus ab eo et Mario traditus est;* Leid. Voss. et Berg. *victus ab eo* solenni scribarum aberratione; vid. Drak. ad Liv. XXX, 12, § 7. Cæterum cum hac Epit. confer Oros. V, 15; Diodor. 36; Plut. Mar. et Sallust. Jug. Ed.

Epit. LXVII. 1. *M. Aurelius Scaurus, legatus consulis* et consularis, qui biennio ante consul fuerat, *a Cimbris*, etc. vid. intpp. Velleii, II, 12; Pigh. Ann. ad a. 645 et 648; Ernesti ad Tac. Germ. 37. — *In consilium ab iis evocatus;* mallet Crev. *advocatus*, quod exhibet Pith. apud Hearn. Ed.

2. *A Boiorige rege*, omnes MSS *a Bolo rege :* at *Boiorige* repositum ab intpp. Flori, III, 3, § 18; ex Plut. Mar. p. 419; Oros. V, 16, et Eutrop. V, 3, Conf. et Liv. XXXIV, 46. Sed vox *rege* forsan delenda.

3. *Ab iisdem hostibus Cn. Manlius* (alii *Mallius* græce aut liquescente pronuntiatione; at perperam *Manilius*, et *C.* vel *M. Manlius*) Maximus *consul*, a. U. 648, *et Q. Servilius Cæpio proconsul*, etc. Conf. intpp. Eutrop. V, 1; Oros. V, 16; Tacit. Germ. 37; Sallust. Jug. 114; Vell. II, 12; Dio

rum quadraginta. Secundum populi romani jussionem[4], Cæpionis, cujus temeritate clades accepta[5] erat, damnati bona publicata sunt, primi post regem Tarquinium; imperiumque ei abrogatum. In triumpho C. Marii ductus ante currum ejus Jugurtha cum duobus filiis, et in carcere necatus est. Marius triumphali veste in senatum venit, quod nemo ante eum fecerat; eique propter Cimbrici belli metum continuatus per complures annos magistratus est. Secundo et tertio absens consul creatus, quartum consulatum dissimulanter captans consequutus est. Cn. Domitius pontifex maximus populi suffragio creatus est[6]. Cimbri, vastatis omnibus, quæ inter Rhodanum et Pyrenæum sunt, per saltum in Hispaniam transgressi, ibique multa

Cass. I, 41 sq. et Pigh. Annal. ad annum 648.

4. *Secundum populi rom. jussionem:* verba ineptissima, et aut omnino delenda, aut mutanda; Gron. qui conj. *quadraginta, secundum Arausionem. Cæpionis*, etc. In Exc. Pith. *secundum aprausionem;* in reliquis MSS *secundum a pop. rom. ausionem*, vel *auxionem*, vel *jussionem.* Vulgatum interpretari conatur Corradus ad Cic. Brut. p. 247.

5. *Cæpionis, cujus temeritate clades accepta erat*, cui accessit invidia et contentio ejus et Manlii, qui duces Galliam provinciam exercitusque partiti erant. — *Damnati bona publica sunt, imperiumque ei abrogatum:* sed hoc tantum eodem anno factum, illud decennio post. Conf. Cic. Orat. II, 21, 25, 47, 48, Tuscul. Quæst. V, 5, pro Balbo, 11, ad Herenn. I, 12, 14; Pigh. Annal. ad ann. 548 et 658. Præcipua et cladis illius et damnationis causa fuisse dicitur sacrilegium Cæpionis, quem, præda magis, quam victoriæ, cupidum in consulatu bellum intulisse Tectosagis, Cimbrorum sociis, et ex Tolosa, eorum capite, aurum Tolosanum, a Gallis olim e Delphico templo raptum, abstulisse tradunt Strabo, IV, 1, 13, pag. 188; Gell. III, 9; Justin. XXXII, 3; Cic. Nat. Deor. III, 30, et alii, jam laudati. Iidem et Val. Max. IV, 7, § 3, VI, 9, § 13, varia referunt de misera ejus fortuna.

6. *Cn. Domitius pontifex max. populi suffragio creatus est;* « id semper ante id tempus factum: sed forte Livius exposuerat præcipuam aliquam causam gratiæ et studii populi erga Domitium, sive virtutes ejus, propter quas eum consulem, censorem et pontif. max. factum Val. Maxim. VI, 5, § 5, scribit, sive legem ab eo a. Urb. 650, vel priore anno, quum tribunus pl. esset, latam, qua jus sacerdotum subrogandorum a collegiis ad populum transferebatur (vid. Cic. in Rull. II, 7; Vell. II, 12, et Suet. Ner. 3) ». Dukerus.

loca populati, a Celtiberis fugati sunt; reversique in Galliam, bellicosis se Teutonis conjunxerunt[7].

EPITOME LIBRI LXVIII.

M. Antonius prætor in Ciliciam[2] maritimos prædones persequutus est. C. Marius consul[2] summa vi oppugnata a Teutonis et Ambronibus castra defendit: duobus deinde præliis circa Aquas Sextias eos hostes delevit[3], in quibus cæsa traduntur hostium ducenta millia, capta nonaginta. Marius absens quintum con-

7. *Bellicosis se Teutonis* (vid. Duk. ad Flor. III, 3, § 7) *conjunxerunt*, ut apud Obseq. de Prod. 103, *Cimbri Alpes transgressi per Hispaniam vastatam junxerunt se Teutonis*. Sed in MSS h. l. *imbellicosis*, vel *in bellicosis;* et cur Teutoni præ aliis *bellicosi* prædicentur, causæ parum esse dicit Gron. Hinc conj. *Ambronibus se et Teutonis c.* non improb. Crev. quoniam Epit. seq. Ambrones et Teutoni simul castra Marii oppugnasse dicantur. Sed Schefferus et Oudendorp. ad Obseq. l. l. recte monent, ibi quoque nullam fieri Ambronum mentionem, et emendationem illam longius a vulgato abire. Ille potius legendum censebat *belli causa*, et hic *in belli casus se Teutonis c.* quod lectione MSS firmatur.

Epit. LXVIII. 1. *M. Antonius prætor in Ciliciam*, etc. cum imperio forte consulari vel *pro consule* missus; vid. Cic. de Orat. I, 18; Perizon. de Prætorio, 1, 12, 13; ad Livium, XXVIII, 38, n. 4; Pigh. Annal. ad annum 650.

2. *C. Marius* IV *consul* a. U. 651, cum Q. Lutatio Catulo. — *A Teutonis et Ambronibus:* horum sedes fuisse putant ad flumen Emmeram seu Ambram in episcopatu Paderbornensi et Monasteriensi, vel ad Rhodanum, vel in Provincia, vel in Helvetia; illorum in Westphalia, vel ad oram et in insulis maris Baltici; vid. Jo. Mulleri Bellum Cimbricum, p. 49 sq. Ritter ad Hist. Guther. V, 4, 18 sq. et 185 sq. *Mascov. Gesch. d. Deutsch.* I, 7; *Oudin, pièces d'histoire et de littérature*, t. IV; *Louis de Bochat, Mém. crit.* t. II, pag. 263 sq. *Teutonos* et *Teutsche* dici fœderatos, vel a *Theut*, populo, suspicabantur *Heinrich teutsche Reichsgesch. im Guthrie*, IX, 1, p. 28; *Moser Osnabrug. Gesch.* t. I, et alii. — *Castra defendit*, tribus oppugnata diebus, et vicit naturam arte (fossa Mariana ad confluentes Isaræ et Rhodani), hostes constantia, et milites religione; vid. Plutarch. Mar. p. 418; Voss. ad Mel. II, 5; Oros. V, 16.

3. *Circa Aquas Sextias* (vid. Epit. LXI pr.) *eos hostes delevit*, etc. conf. Plut. l. l. Flor. III, 3; Oros. V, 16, ibique Fabric. de vario cæsorum captorumque numero. — *Capta nonaginta*, quidam MSS exhibent *capta CXC* et *CC*.

sul creatus est: triumphnm oblatum, donec et Cimbros vinceret, distulit. Cimbri, repulso ab Alpibus fugatoque Q. Catulo proconsule, qui fauces Alpium obsederat, et ad flumen Athesim castellum editum insederat reliqueratque, quum, virtute sua expliciti, fugientem proconsulem exercitumque [4] consequuti, in Italiam trajecissent, junctis ejusdem Catuli et C. Marii exercitibus, prælio victi sunt ab eis [5]: in quo cæsa traduntur hostium centum quadraginta millia, capta sexaginta. Marius, totius civitatis [6] consensu exceptus; pro duobus triumphis, qui offerebantur, uno contentus fuit. Primores civitatis, qui aliquandiu ut novo homini, ad tantos honores evecto, inviderant, conservatam ab eo rempublicam fatebantur. Publicius Malleolus, matre occisa, primus insutus culeo [7], in mare præcipitatus est. Ancilia cum strepitu mota [8] esse, antequam Cimbricum bellum consummaretur, referuntur. Bella præterea inter Syriæ reges gesta continet.

4. *Qui fauces Alpium obsederat..... consequuti*, verba non satis sana, in quibus admodum variant MSS. Ex iis et Plut. Mar. pag. 418, 419, Gron. conj. *obsidebat, flumen Athesim transgressi castellum editum, quod insederat, ut relinqueret, effecerunt. Qui tamen in castello fuerunt* (hæc tria verba excidisse putabat) *virtute sua expliciti, fugientem proconsulem exercitumque consequuti sunt. In Italiam quum deinde trajecissent*, etc. Alia tentabat Pigh. Ann. ad a. 652. De re ipsa vid. Oros. V, 16; Plut. et Pigh. ll. ll.

5. *Junctis ejusdem Catuli* proc. *et C. Marii* V cos. *exercitibus, prælio victi sunt ab eis* a. Urb. 652, *III* Cal. Aug. in campis Raudiis inter Veronam et Vercellas. Conf. Plut. Mar. pag. 420, 421; Oros. V, 17; Eutrop. V, 1; Flor. III, 3; Pigh. l. l. Dio Cass. I, pag. 43.

6. *Marius, totius civitatis*, etc. vide ad Juven. VIII, 245-253, et Plut. l. l. — Post verbum *exceptus*, aliquid desiderat Crev. quale esset *summo cum honore*, vel *ingenti gratulatione*; sed nil opus. Ed.

7. *Publicius Malleolus, matre occisa, primus insutus culeo*, etc. conf. Oros. V, 17, et de hac parricidii pœna ad Juven. VIII, 214, et Otto ad § 6 Instit. de pnbl. jud. et in Præf. t. IV Thes. Jur. Civ. Eam dudum ante hoc tempus legibus constitutam fuisse, putant JCti; Duk.

8. *Ancilia cum strepitu mota esse*, sc. sua sponte: nam alioqui quotannis *moveri* solebant; vid. Liv. I, 20, n. 7, XXXVII, 33, n. 3; ad Juven. II, 126. *Ancilia cum crepitu sua sponte*

PITOME LIBRI LXIX.

L. Appuleius Saturninus[1], adjuvante C. Mario et per milites occiso A. Nonio competitore[2], tribunus plebis per vim creatus, non minus violenter tribunatum, quam petierat, gessit; et, quum legem agrariam[3] per vim tulisset, Metello Numidico, eo quod in eam non juraverat, diem dixit: qui quum a bonis civibus defenderetur, ne causa certaminum esset, in exsilium voluntarium Rhodum profectus est, ibique legendo et audiendis magnis viris avocabatur[4]. Profecto C. Marius, seditionis auctor, qui sextum consu-

mota dicit Obseq. de Prod. cap. 104, ubi Oudend. putabat, in hac Epit. legendum esse *crepitu*. Livium de armis sæpius quidem dixisse *crepare* et *crepitum*, v. c. I, 25, VI, 24, XXIV, 44, XXV, 6, XXVIII, 8, XXXVIII, 17, 46, et *strepitum* forsan nusquam, nec tamen vulgatum idcirco mutandum esse, monet Duk.

Epit. LXIX. 1. *L. Appuleius Saturninus*, seditiosorum post Gracchos eloquentissimus (vid. Cic. Brut. 62), *tribunus pl. per vim creatus* iterum a. Urb. 651; vid. Pigh. Ann. ad a. 651 et 653; Appian. Bell. Civ. I, 28-32; Flor. III, 16; Plut. Mar. pag. 421 seq. Cic. de Or. II, 25, 49, pro Balbo, cap. 21, de Leg. II, 6, ad Herenn. I, 12; Nat. Deor. III, 30. *Appuleius* rectius scribitur, quam *Apuleius;* vid. Drak. ad Epit. V; Burm. ad Suet. Aug. 100; Noris. Cenot. Pis. III, 9.

2. *Occiso A. Nonio competitore per milites* Marianos, etsi tum missos. Conf. Plut. et Appian. ll. ll. Aurel. Vict. de Vir. ill. cap. 73; Intpp. Flor. III, 16, § 1; Val. Max. IX, 7, et Oros. V, 17. *Per clientes* conj. Gron.

3. *Legem agrariam* de centenis jugeribus agri veteranis dividendis; vid. Aurel. Vict. l. l. et de aliis legibus Appuleiis, quæ Sempronianis similes erant, auctores nota 1 laudatos. Earum vim quo firmiorem redderet, simul sanxit, ut, qui tribuno rogationem ferenti obstitisset, majestatis esset reus, utque, si plebs eam scivisset, senatus *in eam* seu verba ejus *juraret;* qui recusasset jusjurandum, senatu moveretur, mulctamque ccccLXXX HS penderet. Quæ exsilii causa fuit *Q. Metello Numidico;* vid. Flor. Plut. Oros. et Appian. ll. ll. Ernesti Clav. Cic.

4. *Ibique legendo et audiendis magnis viris avocabatur* ex emend. Gronov. qui docet, verbum hoc proprium esse de iis, qui aut a sensu rerum adversarum aut gravantibus alioqui negotiis animum avertant eique levando dent operam. Conf. ad Liv. I, 6, n. 1; Duk. et Drak. ad h. l. intpp. Frontini, I, 4, § 14, et Plin. Epit. VIII, 4. *Vacabat* ed. Frob. a. 1535 et hinc alii prob. Crev. In MSS plerisque *audien-*

latum per tribus sparsa pecunia emerat, aqua et igni interdixit[5]. Idem Appuleius Saturninus tribunus plebis[6] C. Memmium candidatum consulatus, quem maxime adversarium actionibus suis timebat, occidit. Quibus rebus concitato senatu (in cujus causam et C. Marius, homo varii et mutabilis ingenii consiliique semper secundum fortunam, transierat, quum eum tueri, minime posset), oppressus armis cum Glaucia prætore et aliis ejusdem furoris sociis, bello quodam interfectus est[7]. Q. Cæcilius Metellus ab exsilio, ingenti totius civitatis favore, reductus est. M'. Aquillius proconsul[8] in Sicilia bellum servile excitatum confecit.

do magnos viros advocabat et *advocabatur:* sed *avocabatur* in Lov. 2 et Exc. Pith.

5. *Profecto* Metello *C. Marius, seditionis auctor, qui sextum consulatum sparsa per tribus pecunia emerat, aqua et igni interdixit;* cf. Plut. Mar. p. 422 sq. Appian. l. l. et alii.

6. *Idem Appuleius Saturninus tribunus plebis* tertium designatus in annum Urb. 654. *C. Memmium candidatum consulatus accidit,* quia eum *maxime adversarium actionibus suis timebat,* et juvabat sui Marianique *furoris socium,* C. Servilium *Glauciam prætorem,* qui ex prætura urbana consulatum contra leges per vim et seditionem invadere conabatur: quare Appuleius et Glaucia hostes a senatu judicati, a perfido Mario deserti, in Capitolio *oppressi armis* et *interfecti* sunt; vid. Plut., Appian., Flor. et Oros. ll. ll. Pigh. Annal. ad a. 653 et 654; Cic. pro C. Rabir. 7 sq. et Catil. III, 6, IV, 2. Post *candidatum consulatus* priores edd. inserunt *petitorem,* sed ed. Camp. et omnes MSS, præter Norvic., perpetuum asseclam editionum omittunt. Illud probant Gron. (conf. ej. Obss. II, 24) et Græv. ad h. l. et ad Suet. Aug. 10, hoc vero Duk., Crev., Drakenb. et plerique intpp. Suet. — *Concitato senatu;* voces *quam plurimum* quæ olim post *concitato* legebantur expunxit Gruter. annuentibus codicibus. Ed.

7. *Bello quodam interfectus est:* pro *bello* Sigonius conj. *a Rabirio* (quod recepit Crever. Ed.); Freinsh. ad Flor. III, 16, § 7, *telo,* et Gron. *a Scæva* aut *a servo.* Conf. Auctor de Vir. ill. cap. 73; Cic. pro Rabir. cap. 11; Pigh. Ann. ad a. Urb. 653.

8. *M'. Aquillius proc.,* etc. conf. Plut. Mar. pag. 413; Cic. Agrar. II, 30, et Verr. III, 54; Pigh. Ann. ad a. Urb. 653 et 654.

EPITOME LIBRI LXX.

Quum M'. Aquillius[1] de pecuniis repetundis causam diceret, ipse judices rogare noluit. M. Antonius, qui pro eo perorabat, tunicam a pectore ejus discidit, ut honestas cicatrices ostenderet: quibus conspectis, indubitanter absolutus est. Cicero ejus rei solus auctor. T. Didius proconsul adversus Celtiberos feliciter pugnavit[2]. Ptolemæus, Cyrenarum rex[3], cui cognomentum Apioni fuit, mortuus heredem populum romanum reliquit, et ejus regni civitates senatus liberas esse jussit. Ariobarzanes in regnum Cappadociæ a L. Cornelio Sulla reductus est[4]. Parthorum legati, a

Epit. LXX. 1. *Quum M'. Aquillius* (vide ad Epit. LXIX, extr.) de pecuniis *repetundis causam diceret*, accusatus a L. Fusio Caleno... *solus auctor;* vid. Cic. Brut. 62, pro Flacco, 38, Verr. V, 1, de Off. II, 14, de Or. II, 28, 45, 47; Quintil. Inst. Or. II, 15. Fuit forte filius M'. Aquillii, qui a P. Lentulo repetundarum reus erat factus (de quo vid. Cic. in Cæcil. 21; Appian. Mithrid. 12, 57, et Bell. Civ. I, 22; Pigh. Ann. ad a. 628); et frater M'. Aquillii, de quo vid. Cic. Tusc. Quæst. V, 5, et Appian. Mithrid. 11, 17, 19, 21, 112. Verba autem *quibus conspectis* absunt a 7 MSS, non modo commode, sed etiam eleganter; Gron.

2. *T. Didius proc. adversus Celtiberos feliciter pugnavit* a. Urb. 656, ut in consulatu adversus Vaccæos aliosque Hispanos a. 655 quo Q. Sertorius trib. mil. sub eo meruit. Conf. Plut. Sertor. pag. 560; Obseq. 46; Gell. II, 27. Ab eo et Q. Cæcilio Metello coss. lata lex Cæcilia Didia de modo legum ferendarum; vid. Cic. Phil. V, 3, pro domo, 20, ad Att. II, 9; Pigh. Ann. ad a. 655.

3. *Ptolemæus, Cyrenarum rex*, Ægyptii regis Ptolemæi VII, Evergetæ II, seu Physconis filius nothus, *cui cognomentum Apioni fuit*, inditum ei ab *Api* Ægyptiorum deo, vel quia *macer* filius fuit patris Physconis seu obesi, *mortuus heredem populum romanum reliquit* a. Urb. 657, *et ejus regni civitates senatus liberas esse jussit*, sed a. 678 a tyrannis oppressas in formam provinciæ redegit, cui postea Augustus eumdem, quem Cretæ, præfecit; vid. Appian. Bell. Civ. I, 111; Justin. XXXIX, 5; Cic. Agr. II, 19; Plut. Lucull. pag. 492; Strab. XVII, 1194; Dio, 53; Sigon. de Ant. Jur. Prov. I, 16, II, 16; Ammian. 22 extr. Pigh. Ann. ad a. 657 et 678. *Ritter über Guthrie*, V, 2, pag. 196 sq.

4. *Ariobarzanes in regnum Cappadociæ a L. Cornelio Sulla reductus est;* vid. Appian. Syr. 48, et Mi-

rege Arsace missi[5], venerunt ad Sullam, ut amicitiam populi romani peterent. P. Rutilius[6] vir summæ innocentiæ, quoniam legatus Q. Mucii proconsulis a publicanorum injuriis Asiam defenderat, invisus equestri ordini, penes quem judicia erant, repetundarum damnatus, in exsilium missus est. C. Sentius[7] prætor contra Thracas infeliciter pugnavit. Senatus, quum impotentiam equestris ordinis in judiciis exercendis ferre nollet, omni vi niti cœpit, ut ad se judicia transferrentur, sustinente causam ejus M. Livio Druso[8] tribuno plebis; qui, ut vires sibi acquireret, perniciosa spe largitionum plebem concitavit. Præterea motus Syriæ regum continet.

thrid. 10-15, 57, 60, 64, 105, 114; Plut. Sulla, pag. 453; Pigh. Ann. ad a. 661.

5. *Parthorum legati*, etc. vid. Pigh. l. l. — Pro *amicitiam populi romani*, exhibebant *am. ā pop. romano* Norv. et edd. ante Gruteri ultimam, quæ hodiernam lectionem substituit, concinentibus MSS. Ed.

6. *P. Rutilius* Rufus... Q. Mucii Scævolæ Auguris quæstor in Asia a. Urb. 632, et deinde *legatus Q. Mucii* Pont. et Proc. a. 654, *invisus equestri ordini, penes quem judicia erant... in exsilium missus est* Smyrnam; vide ad Tac. Ann. III, 66, n. 4, IV, 43, n. 12; Ascon. in Cic. Div. in Verr. cap. 17; Rupert. ad Pompon. lib. II, § 4, D. de Orig. Jur. Cic. pro Balbo, 13, pro Font. 13, Nat. Deor. III, 30; Vell. II, 13; Periz. Animadv. Hist. cap. 2, pag. 59; Voss. de Hist. Græc. I, 22; Ernesti Clav. Cic. Pigh. Ann. ad a. 654 et 660.

7. *C. Sentius* 3 MSS. In aliis *Septius*, *Servius*, *Sericius*, *Census*; at in edd. antt. *C. Geminius*, probante Crever. quia Sentius his quidem temporibus prætor Macedoniæ fuisse videatur, sed *contra Thracas feliciter pugnaverit;* vid. Oros. V, 18; Plut. Sulla, pag. 458; Cic. pro Planco, 8, pro Pis. 34, et Verr. III, 93; Noris. Cenot. Pis. III, 9; Pigh. Ann. ad a. 664-672. Hinc *feliciter* pro *infeliciter* h. l. conj. Sigon.

8. *M. Livio Druso*, etc. conf. ad Epit. seq.

EPITOME LIBRI LXXI.

M. Livius Drusus, tribunus plebis[1], ut majoribus viribus senatus causam susceptam tueretur, socios et Italicos populos spe civitatis romanæ sollicitavit; iisque adjuvantibus, per vim legibus agrariis frumentariisque latis, judiciariam quoque pertulit[2], *ut æqua parte judicia penes senatum et equestrem ordinem essent.* Quum deinde promissa sociis civitas præstari non posset, irati Italici defectionem agitare cœperunt. Eorum coitus[3] conjurationesque et oratioues in conciliis principum referuntur. Propter quæ Livius Drusus, invisus etiam senatui factus[4], velut socialis belli auctor, incertum a quo, domi occisus est.

EPITOME LIBRI LXXII.

Italici populi defecerunt[1], Picentes, Vestini, Marsi, Peligni, Marrucini, Samnites, Lucani, initio belli a

Epit. LXXI. 1. *M. Livius Drusus, trib. pl.* a. U. 662 *occisus est;* vide ad Tac. Ann. III, 27, n. 3; Appian. Bell. Civ. I, 23, 35 sq. Vell. II, 13 sq. Oros. V, 17, 18; Flor. III, 17; Aurel. Vict. de Viris illustr. 66; Pigh. Ann. ad a. 662, et Ern. Clav. Cic. — *Spe civitatis romanæ sollicitavit;* non improbat Crev. quod habet Campanus, *in spem civitatis.* Ed.

2. *Judiciariam quoque pertulit:* non pertulit; saltem illa mox sublata est; vid. Cic. de Leg. II, 6, et loc. class. Appiani modo laud. unde etiam constat, hac lege cautum fuisse, ut, quum senatores vix trecentorum explerent numerum, totidem adjicerentur ex equestri ordine, atque ex his omnibus judices legerentur. Conf. ad Epit. XCVII, 7.

3. *Eorum coitus*, forte *cœtus* vel *coitiones;* Duk. Vide ad Liv. III, 35, n. 10, et Gron. ad IV, 13. *Conventus* MS Berg.

4. *Invisus etiam senatui factus* ob legem judiciariam. Confer Appian. et Pigh. ll. ll.

Epit. LXXII. 1. *Italici populi defecerunt* a Romanis, etc. Confer Appian. Bell. Civ. I, 38 sq. Oros. V, 18; Flor. III, 18; Vell. II, 15; Pigh. Annal. ad ann. 663 sq. — *Samnites, Lucani;* olim, trajectis vocibus, legebatur *Lucani, Samnites,* ut in solo est Norv. Et is ordo placuit Appian. Bell. Civ. l. l. Ed. — Mox *initio belli a*

Picentibus moto. Q. Servilius proconsul[2] in oppido Asculo cum omnibus civibus romanis, qui in eo oppido erant, occisus est. Saga populus sumpsit[3]. Ser. Galba, a Lucanis comprehensus, unius feminæ opera, ad quam devertebatur[4], captivitate exemptus est. Æsernia et Alba coloniæ ab Italicis obsessæ sunt. Auxilia deinde latini nominis externarumque gentium missa populo romano, et expeditiones invicem expugnationesque urbium referuntur.

EPITOME LIBRI LXXIII.

L. Julius Cæsar[1], consul, male adversus Samnites pugnavit. Nola colonia[2] in potestatem Samnitium venit cum L. Postumio prætore, qui ab iis interfectus est. Complures populi ad hostes defecerunt. Quum P. Rutilius consul male[3] adversus hostes Marsos pugnasset, et in prælio cecidisset, C. Marius legatus ejus, meliore eventu cum hostibus conflixit. Ser. Sulpicius Pelignos prælio fudit. Q. Cæpio, legatus Rutilii, quum obsessus prospere in hostes erupisset, et ob eum suc-

P. orto e vet. libro Sigon. et Gron. refrag. Drak. qui monet, *movere bellum* passim dici pro incipere. Num vero et *initium belli?*

2. *Q. Servilius proc.* MS Boend. et Appian. l. l. Plerique MSS h. l. et Oros. V, 18, et Vell. II, 15, *Q. Servius*, prob. Jac. Gron. Sed videatur Duker. ad Flor. III, 18, § 9. — *In oppido Asculo*, Piceno, non Apulo.

3. *Saga populus sumpsit*, quod in tumultu eoque imminente edici et fieri solebat. Conf. ad Epit. LXXIII, 4, LXXIV, 1, CXVIII, 3; Cic. Philipp. VIII, 11, XIV, 1; Vell. II, 16.

Epit. LXXIII. 1. *L. Julius Cæsar* et *P. Rutilius consules* a. U. 663, quo bellum sociale geri cœptum est. *Sex. Julius Cæsar* (qui a. 662 consul fuit) vocatur Appiano, Bell. Civ. I, 40, 48, 72; ad quæ loca vid. Schweigh., Fabric. ad Orosium, V, 18[1], et intpp. Flori, III, 18.

2. *Nola colonia* forte tum nondum fuit, sed ætate auctoris Epit., ut et *Aricia* ac *Lanuvium*, quæ coloniæ vocantur Epit. LXXX; vid. ibi Duk. et ad hoc locum.

3. *P. Rutilius* Lupus *cos. male*, etc. Conf. Appian. Bell. Civ. I, 40-43; Oros. V, 18; Flor. III, 18, ubi pro *Julius Cæsar* viri docti conj. *Rutilius consul.* MS Leid. *male;* reliqui *parum prospere*, quod majori consulis cladi

cessum æquatum ei cum C. Mario esset imperium, temerarius factus et circumventus insidiis, fuso exercitu cecidit. L. Julius Cæsar consul feliciter adversus Samnites pugnavit. Ob eam victoriam Romæ saga posita sunt[4]: et, ut varia belli fortuna esset, Æsernia colonia cum M. Marcello in potestatem Samnitium venit. Sed C. Marius prælio Marsos fudit, Herio Asinio, prætore Marrucinorum, occiso. C. Cæcilius in Gallia Transalpina Salluvios rebellantes vicit.

EPITOME LIBRI LXXIV.

Cn. Pompeius[1] Picentes prælio fudit et obsedit: propter quam victoriam Romæ prætextæ et alia magistratuum insignia sumpta sunt. C. Marius cum Marsis dubio eventu pugnavit. Libertini tum primum militare cœperunt[2]. A. Plotius legatus Umbros, L. Porcius prætor Marsos, quum uterque populus[3] defecisset, prælio vicerunt. Nicomedes in Bithyniæ, Ariobarzanes

minus convenire monet Drakenborch.

4. *Romæ saga posita sunt*, quæ populus sumpserat; vid. Epit. LXXII, 3. — *Et, ut varia fortuna belli esset;* a Voss. exsulat vocula *ut*, quam intercepit præcedens particula *et*. Vid. Drakenb. ad Liv. XXIX, 13, § 1, et XXXVIII, 10, § 2. Ed. — *Herio Asinio* ex Velleio, II, 16, et Appiano, Bell. Civ. I, 40. *Hernio*, *Hirnio* et *Hirno* MSS et edd. antt.

Epit. LXXIV. 1. *Cn. Pompeius* Strabo, pater Pompeii M., consul a. Urb. 664, *Picentes* aliosque hostes *fudit* et triumphavit; vid. Pigh. Ann. ad a. 664. — *Insignia sumpta sunt*, forte *resumpta*, quæ ante posita fuisse apparet (vide ad Liv. IX, 7, n. 5), ut a populo, quum saga sumpsisset, habitum urbanum et civilem (vide ad Epit. LXXII, 3, LXXIII, 4), et sic Oros. V, 18 dicit, *senatus laticlavia et alia dignitatis insignia recepit*, etsi rem ipsam non accurate narrat; Duker.

2. *Libertini tum primum militare cœperunt;* nam antea pauci tantum et in tumultu vel ad tutelam Urbis militaverant; vid. Liv. X, 21, XXII, 11, XL, 18, XLII, 27, nisi potius hi fuere nati ex libertis. Ita Lips. de Mil. Rom. I, 2.

3. *L. Porcius* Cato *prætor Marsos, quum uterque populus defecisset:* pro *Marsos* leg. forte *Etruscos* ex Oros. V, 18; Floro, III, 18, § 13, et Appiano, Bell. Civ. I, 49: nam Marsi jam ante defecerant et primi omnium

in Cappadociæ regna reducti sunt[4]. Cn. Pompeius consul Marsos acie vicit. Quum ære alieno oppressa esset civitas, A. Sempronius Asellio[5] prætor, quoniam secundum debitores jus dicebat, ab iis, qui fenerabantur, in foro occisus est. Præterea incursiones Thracum[6] in Macedoniam populationesque continet.

EPITOME LIBRI LXXV.

A. Postumius Albinus legatus[1], quum classi præesset, infamis crimine proditionis, ab exercitu suo interfectus est. L. Cornelius Sulla legatus[2] Samnites prælio vicit, et bina castra eorum expugnavit. Cn. Pompeius Vestinos in deditionem accepit. L. Porcius[3] consul,

Italicorum bellum moverant; Duker.

4. *Nicomedes*, Prusiæ nepos *in Bithyniæ, Ariobarzanes in Cappadociæ regna reducti sunt* a. Urb. 662, expulsi regnis a Mithridate Evergete, patre Mithridatis M. vid. Appian. Mithrid. 10-20, 57, 60, 64; Plut. Sulla, pag. 453. — Pro *regna*, plures MSS apud Drak. *regnum*, quod omnes editiones ante Frobenium, qui primus dedit *regna*. Ed.

5. *A. Sempronius Asellio*, etc. vid. Appian. Bell. Civ. I, 54; Val. Max. IX, 7, § 4; Pigh. Ann. ad a. 664; Vales. ad Diodori Exc. Peiresc. p. 394, 396. — *Secundum debitores jus dicebat;* conf. Sigon. de Ant. Jur. Civ. Rom. II, 2.

6. *Incursiones Thracum in Macedoniam*, ubi cum Romanis bellum gerebant. Cf. Epit. LXXVI, LXXXI, LXXXII; Oros. V, 18; Appian. Mithrid. 15, 69.

Epit. LXXV. 1. *A. Postumius Albinus legatus* L. Sullæ, *quum classi præesset, infamis crimine* falso *proditionis* et superbia, *ab exercitu suo interfectus est* a. Urb. 664; vid. Oros. V, 18; Plut. Sull. p. 455; Val. Max. IX, 8, § 3. Sed eum *classi præfuisse*, et Romanos omnino classibus usos esse in bello sociali, nemo tradit. Hinc verba *quum classi præesset* delenda, et pro iis *in obsidione castrorum hostilium*, quæ cum aliis, ex initio Epit. seq. inculcatis, in quibusdam MSS leguntur, reponenda putabat Drak. Forte leg. *legatus quum castris præesset*. Certe in castris eum lapidibus obrutum fuisse auctor est Val. l. l.

2. *L. Cornelius Sulla legatus* L. Julii Cæsaris, etc. vid. Appian. Bell. Civ. I, 40, 46, 50 sq. — *Samnites prælio vicit;* Boend. *Samnitem*, quod ferri posset, ait Drak., si plurium codicum testimonio firmaretur. Ed.

3. *L. Porcius* Cato *consul* a. Urb. 664,... *cecidit*, occisus forte a filio C. Marii; vid. Oros. V, 18, et Appian. Bell. Civ. I, 50. — *Dum castra eorum expugnat*, forte *oppugnat;* Drakenb. Conf. ad Epit. XLIX, n. 7.

rebus prospere gestis, fusisque aliquoties Marsis, dum castra eorum expugnat, cecidit. Ea res hostibus victoriam ejus prælii dedit. Cosconius[4] et Lucceius Samnites acie vicerunt, Marium Egnatium, nobilissimum hostium ducem, occiderunt, compluraque eorum oppida in deditionem acceperunt. L. Sulla Hirpinos domuit, Samnites multis præliis fudit, aliquot populos recepit; quantisque raro quisquam alius ante consulatum rebus gestis, ad petitionem consulatus Romam est profectus.

EPITOME LIBRI LXXVI.

A. Gabinius legatus, rebus adversus Lucanos prospere gestis, et plurimis oppidis expugnatis, in obsidione castrorum hostilium cecidit[1]. Sulpicius[2] legatus Marrucinos cecidit, totamque eam regionem recepit. Cn. Pompeius proconsul Vestinos et Pelignos in deditionem accepit. Marsi quoque, a L. Murena et Cæcilio Pinna[3] legatis aliquot præliis fracti, pacem petierunt. Asculum a Cn. Pompeio captum est[4], cæsis

4. C. *Cosconius* prætor a. Urb. 664 *et* L. *Lucceius... Marium Egnatium*, etc. conf. Appian. Bell. Civ. I, 40, 45, 52, ad quæ loca vid. Schweigh. Lucceius, ni fallor, est ille, a quo Cicero consulatum suum scribi cupiebat, quique historiam belli Italici et Civilis composuit (vid. Cic. ad Div. V, 10, 12). Quæ si ad ætatem nostram pervenisset, historiam belli socialis, ab auctoribus, quorum scripta supersunt, admodum concise et neque satis dilucide neque apto ordine expositam, pauciores premerent difficultates.

Epit. LXXVI. 1. *A. Gabinius legatus... cecidit;* conf. Oros. V, 18, et diversa narratio Flori, III, 18, § 13.

2. Ser. *Sulpicius legatus*, etc. conf. ad Epit. LXXIII; Oros. l. l. Appian. Bell. Civ. I, 47. Mox verba *Cn. Pompeius... accepit* absunt a MS Berg. repetita forte ex Epit. præc. *recepit* MS Boend. verum id verbum modo præcessit; Drak.

3. *A L. Murena et Cæcilio Pinna*, forte *Pio*, ut sit Q. Cæcilius Metellus Pius; Gron. Id probabile sit ex Velleio, II, 15; Appiani Bell. Civ. I, 33, 53, 68, 80, et Plut. Mar. — *Pio* edidere Sigon. et Crev. Ed.

4. *Asculum a Cn. Pompeio* Strabone *captum est*, etc. conf. Appian. Bell. Civ. I, 47, 48.

et a Mam. Æmilio legato Italicis. Silo[5] Pompædius, dux Marsorum, auctor hujus rei, in prælio cecidit. Ariobarzanes Cappadociæ, Nicomedes Bithyniæ regno a Mithridate Ponti rege pulsi sunt. Præterea incursiones[6] Thracum in Macedoniam populationesque continet.

EPITOME LIBRI LXXVII.

Quum P. Sulpicius tribunus plebis[1], auctore C. Mario, perniciosas leges promulgasset, *ut exsules revocarentur, et novi cives libertinique distribuerentur in tribus, et ut Marius adversus Mithridatem Ponti regem dux crearetur*, et adversantibus consulibus Q. Pompeio et L. Sullæ vim intulisset, occiso Q. Pompeio consulis[2] filio, genero Sullæ; L. Sulla consul cum exercitu in Urbem venit, et adversus factionem Sulpicii et Marii in ipsa urbe pugnavit eamque expulit:

5. *Silo Pompædius;* vid. Schweigh. ad Appian. Bell. Civ. I, 40 (ubi et de aliis Italicorum ducibus agitur), 44, 53, et intpp. Velleii, II, 16; Flori, II, 18; Oros. V, 18; Val. Max. III, 1, § 2, et Obseq. de Prod. cap. 116. — *Auctor hujus rei,* forte *a. h. belli;* Cluver. Ital. II, 11, p. 732.

6. *Præterea incursiones,* etc. conf. ad Epit. LXXIV extr.

Epit. LXXVII. 1. *P. Sulpicius* Rufus *tribunus pl.* a. Urb. 665, alter Saturninus, qui rempublicam turbavit stipatus satellitibus, *MMM* gladiatoribus equitibusque, quos *Antisenatum* nominabat; vid. Plut. Sulla, p. 456 sq. Ern. Clav. Cic. et Pigh. Ann. — *Ut exsules revocarentur,* Bestia, Cotta, Mummius aliique damnati lege, a. Q. Vario Hybrida trib. pl. a. 662 lata, ut quæstio haberetur de iis, quorum dolo malo sociis spes injecta civitatis et belli occasio data esset; videatur Appian. Bell. Civ. I, 37, 55 sq. Ern. Clav. Cic. voc. *Varius;* Cic. ad Herenn. 28; Pigh. Annal. ad an. 662 et 665. — *Et novi cives libertinique distribuerentur in tribus* veteres, qui in quatuor tribus urbanas erant conjecti; vide ad Liv. XLV, 15, § 1; Epit. LXXXIV, 2 et 4; Plut. l. l. Appian. Bell. Civ. I, 55 sq. Sigon. de Antiq. Jur. Civ. Rom. II, 4 et 14; Spanhem. Orb. Rom. I, 10. — *Ut Marius* (*consul* vel *cos. Marius* MSS; unde *C. Marius* conj. Drak.) *adversus Mithridatem dux crearetur* loco Sullæ consulis, qui jam ad bellum Mithridaticum sibi mandatum cum exercitu Urbe profectus erat. Conf. Plut. et Appian. ll. ll.

2. *Occiso Q. Pompeio,* etc. Conf. Vell. II, 18, et Appian. l. l. — *Ex*

ex qua duodecim a senatu hostes, inter quos C. Marius pater et filius, judicati sunt. P. Sulpicius, quum in quadam villa[3] lateret, indicio servi sui retractus et occisus est. Servus, ut præmium promissum indici haberet, manu missus, et ob scelus proditi domini de saxo dejectus est. C. Marius filius in Africam[4] trajecit. C. Marius pater, quum in paludibus Minturnensium lateret, extractus est ab oppidanis, et, quum missus ad occidendum eum servus, natione Gallus, majestate tanti viri perterritus recessisset, impositus publice in navim delatus est in Africam. L. Sulla civitatis statum ordinavit[5]: exinde colonias deduxit. Q. Pompeius consul[6], ad accipiendum a Cn. Pompeio proconsule exercitum profectus, consilio ejus occisus est. Mithridates, Ponti rex, Bithynia et Cappadocia occupatis, et pulso Aquillio legato[7], Phrygiam, provinciam populi romani, cum ingenti exercitu intravit.

qua factione *duodecim*, etc. Confer Appian. Bell. Civ. I, 60.

3. *P. Sulpicius, quum in quadam villa.....dejectus est;* conf. Appian. l. l. Vell. II, 19; Plutarch. Sulla, p. 457; Oros. V, 19; Freinsh. Suppl. cap. 28.—*Præmium indici promissum* fuisse, aliunde non constat; Drak. *Indici* pro *indicii* ex emend. Gron. — *De saxo* Tarpeio.

4. *C. Marius filius in Africam trajecit;* conf. Appian. Bell. Civ. I, 60, 62; Vell. II, 19; Plut. Mar. p. 426; Oros. V, 19. — *C. Marius pater ... Africam;* conf. Appian. Bell. Civ. I, 61 sq. Plut. Mar. p. 428; Aur. Vict. de Viris ill. I, 67; Vell. II, 19; Val. Max. II, 10, § 10. — *Natione Gallus:* alii Cimbrum fuisse dicunt. — *Publice*, publica Minturnensium auctoritate; Drak. eorumque sumptibus; vide ad Liv. II, 41, 13, et XLI, 20, n. 5. — Pro *impositus publice in navim* olim legebatur *impositus publicæ navi*, quod merito Creverio displicebat. Ed.

5. *L. Sulla civitatis statum ordinavit;* vid. Appian. Bell. Civ. I, 59. — *Exinde colonias deduxit* militares veteranorum, quorum opera usus fuerat. Id vero confecto demum bello civili factum esse, alii tradunt: neque probabile esse monet Duk., et Sullam, ad bellum Mithridaticum properantem, cogitationem de re, quæ brevi temporis spatio transigi non potuerit, suscipere voluisse, et, juventute rom. absumpta bello civili, superfuisse, qui ab Urbe in colonias mitti potuerint.

6. *Q. Pompeius* Rufus *consul* a. U. 665, etc. Conf. Appian. Bell. Civ. I, 63; Vell. II, 20; Val. Max. IX, 7.

7. *Pulso* M'. *Aquillio legato*, qui

EPITOME LIBRI LXXVIII.

Mithridates Asiam[1] occupavit: Q. Oppium proconsulem[2], item Aquillium legatum, in vincula conjecit; jussuque ejus, quidquid civium romanorum in Asia[3] fuit, uno die trucidatum est. Urbem Rhodum, quæ sola in fide permanserat, oppugnavit, et aliquot præliis navilibus victus recessit. Archelaus, præfectus[4] regis, in Græciam cum exercitu venit; Athenas occupavit. Præterea trepidationem urbium insularumque, aliis ad Mithridatem, aliis ad populum romanum civitates suas trahentibus, continet.

EPITOME LIBRI LXXIX.

L. Cornelius Cinna[1], quum perniciosas leges per vim atque arma ferret, pulsus Urbe[2] a Cn. Octavio

præcipuus belli Mithrid. auctor a Mithridate necatus est, auro liquefacto in os infuso. Conf. Appian. Mithrid. 17-21, 112; Vell. II, 18; Cic. pro lege Manilia, 5; Plin. XXXIII, 3; Diodor. Exc. Peiresc. pag. 401; Opp. t. II, p. 613, ed. Wessel. De dissensu auctorum vid. Duk. ad h. l. Schweigh. ad Appian. Mithrid. 19, et Ernesti Clav. Cic.

Epit. LXXVIII. 1. *Mithrid. Asiam*, etc. Conf. Appian. Mithrid.

2. *Q. Oppium proc.*, qui Græcis στρατηγὸς dicitur. Conf. Duker., et Appian. Mithrid. 17, 20, 112.

3. *Quidquid civium rom. in Asia*, etc. Conf. Appian. Mithrid. 22 sq. Vell. II, 18; Cic. Flacc. 25; Val. Max. IX, 2, extr. 3.

4. *Archelaus præfectus*, etc. conf. Appian. cap. 27 sq.—*Trepidationem;* MSS duo et ed. Camp. *trepidationes.* Tum *urbium*, *insularum*, sine copula Berg. Ed.

Epit. LXXIX. 1. *L. Cornelius Cinna*, quem Sulla, ad bellum Mithrid. discessurus, ex adversa factione, ut populum placaret, sed juramento prius et devotionibus in partes et acta sua adstrictum, consulem nominaverat in a. Urb. 666 cum *Cn. Octavio.* Conf. Appian. Bell. Civ. I, 64 sq. Plut. Mar. pag. 428 sq. et Pigh. — *Per vim atque arma:* verba *atque arma* non exstant in quibusdam MSS. Sed *vim* et *arma* passim jungi, et vim multis modis fieri posse, sed præcipue fieri armis, monent Duk. et Drakenb. Quod in optimis scriptoribus passim obvium.

2. *Pulsus Urbe a Cn. Octavio;* conf. Appian. Bell. Civ. I, 64, qui etiam docet, legem Sulpiciam a Cinna reno-

collega cum sex tribunis plebis; imperioque ei abrogato, corruptum Ap. Claudii exercitum[3] in potestatem suam redegit, et bellum Urbi intulit, arcessito C. Mario ex Africa cum aliis exsulibus: in quo bello duo fratres[4], alter ex Pompeii exercitu, alter ex Cinnæ, ignorantes concurrerunt; et, quum victor spoliaret occisum, agnito fratre, ingenti lamentatione edita, rogo ei exstructo, ipse supra rogum se transfodit, et eodem igni consumptus est. Et quum opprimi inter initia potuissent[5], Cn. Pompeii fraude, qui, utramque partem fovendo, vires Cinnæ dedit, nec nisi profligatis optimatium rebus auxilium tulit, et consulis segnitie confirmati Cinna et Marius quatuor exercitibus, ex quibus duo[6] Q. Sertorio et Carboni dati sunt, Urbem circumsederunt. Ostiam coloniam Marius expugnavit et crudeliter diripuit.

vatam de novis civibus per omnes tribus distribuendis præcipuam tumultus fuisse causam, eique majorem partem tribunorum pl. intercessisse. Quod non favere lectioni *cum sex tribunis pl.* sed potius adversari, contra Sigon. jam monuere Crev. et Drakenb. — *Cum Sex. Publio trib. pl.* Boend. Berg. et ed. Camp. Suspicarer *cum M. Virgilio tr. pl.*, nisi a vulg. lect. id nimis recederet; conf. Cic. Brut. 48, et Plut. Sulla, pag. 458. Non minus tamen ab ea recedunt nomina reliquorum hujus anni tribunorum pl. vid. Pigh. Ann. ad a. 666. An leg. *a Cn. Octavio collega et sex tribunis plebis?*

3. *Ap. Claudii exercitum* in Campania.

4. *In quo bello duo fratres*, etc. conf. Tacit. Hist. III, 51; Oros. V, 19; Valer. Maxim. V, 5, § 4; Augustin. de Civ. Dei, II, 25, et similia exempla in Scalig. Catal. Virg. p. 185, Pithœi Catal. Vet. Poet. p. 159, et Sil. IX, 66 sq. — *Ex Pompeii exercitu:* nam Cn. Pompeium Strab. proc., patrem Pompeii M., qui exercitui ad mare superum præerat, senatus advocaverat. Conf. Appian. Bell. Civ. I, 66 seq.

5. *Et quum opprimi inter initia potuissent*, sc. Cinna et Marius, e seqq. ad quæ cf. Appian. Plut. et Oros. ll. ll. — *Consulis segnitie*, Cn. Octavii; nisi legendum *consulum*, Cn. Octavii et L. Cornelii Merulæ, qui Cinnæ suffectus erat.

6. *Ex quibus duo;* Crev. vett. edd. sequutus, dedit *quorum duo.* Sed, ut ipse notat, complures MSS et Camp. præferunt *ex quibus duo.* En.

EPITOME LIBRI LXXX.

Italicis populis a senatu civitas [1] data est. Samnites, qui soli arma retinebant, Cinnæ et Mario se conjunxerunt. Ab iis Plautius cum exercitu cæsus est. Cinna et Marius cum Carbone et Sertorio Janiculum occupaverunt, et fugati ab Octavio consule recesserunt. Marius Antium et Ariciam et Lanuvium colonias [2] devastavit. Quum nulla spes esset optimatibus resistendi propter segnitiem et perfidiam et ducum et militum, qui corrupti aut pugnare nolebant, aut ad diversas partes transibant, Cinna et Marius in Urbem recepti sunt: qui, velut captam, eam cædibus et rapinis vastarunt, Cn. Octavio consule occiso et omnibus adversæ partis nobilibus trucidatis, inter quos M. Antonio eloquentissimo viro, L. et C. Cæsare [3], quorum capita in Rostris posita sunt. Crassus filius ab equitibus Fimbriæ occisus. Pater Crassus, ne quid indignum

Epit. LXXX. 1. *Italicis populis a senatu civitas* sine suffragio, quod jus postea, et forte jam ante necem Cinnæ, adjectum (vid. Epit. LXXXIV, n. 2), *data est:* sed id jam factum a. Urb. 664 et 665 legibus a L. Julio Cæsare cos. et M. Plautio Silvano et C. Papirio Carbone tribunis pl. latis; vid. Cic. pro Balbo, cap. 8, pro Arch. cap. 4; Appian. Bell. Civ. I, 49, 53; Sigon. de Ant. Jur. Ital. III, 1; Spanhem. Orb. Rom. I, 10; Contaren. Var. Lect. I, 10; Pigh. Ann.— *Plautius*, qui Epit. LXXIV *A. Plotius* dicitur, judice Pighio in Ann. ad a. 650, pag. 159.

2. *Aricium et Lanuvium colonias;* vide ad Epit. LXXIII. *Lanuvium* pro *Lavinium* ex emend. Cluver. Ital. Ant. III, 3 et 4, pag. 898 et 939, qui coloniam eo a Sulla deductam putabat. Conf. Appian. Bell. Civ. I, 69.

3. *M. Antonio eloquentissimo viro, L. et C. Cæsare* fratribus, et aliis, *quorum*, etc. vid. Appian. Bell. Civ. I, 71 sq. Plut. et Oros. ll. ll. Cic. de Or. III, 3. — Pro *L. et C. Cæsare;* mallet Crev. cum Gron. *Cæsaribus;* et ita certe Livius sæpissime loquutus est, ut notavit Drak. ad VI, 22, § 1. Morem autem hunc Livianum non semper observavit auctor Epit. Certe aliter loquutus est, Epit. LXXVII, *inter quos, C. Marius, pater et filius, judicati sunt;* ubi etiam Gron., invitis omnibus libris, conj. *Caii Marii pater et filius.* Ed. — *Crassus filius*, etc. aliter Appian. Conf. Ern. Clav. Cic.

virtute sua pateretur, gladio se transfixit. Et citra ulla comitia consules in sequentem annum se ipsos renuntiaverunt[4]: eodemque die, quo magistratum inierant, Marius Sex. Licinium senatorem de saxo[5] dejici jussit; editisque multis sceleribus, Idibus Januariis decessit: vir, cujus si examinentur cum virtutibus vitia, haud facile sit dictu, utrum bello melior, an pace perniciosior fuerit; adeo, quam rempublicam armatus servavit[6], eam primo togatus omni genere fraudis, postremo armis hostiliter evertit.

EPITOME LIBRI LXXXI.

L. Sulla Athenas, quas Archelaus, præfectus Mithridatis, occuparat, circumsedit et cum magno labore expugnavit[1]: urbi libertatem, et civibus, quæ habuerant, reddidit[2]. Magnesia, quæ sola in Asia civitas in fide manserat, summa virtute adversus Mithridatem defensa est. Præterea Thracum in Macedonia[3] continet gesta.

4. *Se ipsos renuntiaverunt*, sc. Cinna et Marius.

5. *Sex. Licinium senatorem de saxo* Tarpeio, etc. conf. Plut. Mar. p. 432, ubi Λικίνιον Aldus recte pro Λευκῖνον edidisse videtur. Eamdem rem narrari putabat Duk. in Exc. Peiresc. e Dione, pag. 644, non a Velleio, II, 24 (ubi vid. intpp.), causam vero pœnæ, a Pigh. ad a. 667 allatam, ex loco Plut. haud attente lecto depromptam esse.

6. *Quam rempubl. armatus servavit* (conf. ad Epit. LXVIII), *togatus evertit;* vide ad Livium, lib. III, cap. 50, not. 1.

Epit. LXXXI. 1. *L. Sulla Athenas... expugnavit* a. Urb. 668. Conf. Strab. XIII, 906 sq. Plut. Sulla, III, 97-106; Appian. Mithr. 28-40; Dio fr. Peiresc. 124, pag. 49 sq.

2. *Urbi libertatem, et civibus quæ habuerant reddidit;* Voss. Leid. et Berg. exhibent *urbi libertatem, et quæ habuerat, reddidit.* Ed. — *Magnesia* ad Sipylum, *quæ sola in Asia*, etc. vid. Appian. Mithr. 21 (ubi conf. Schweigh.) et 61 (ubi et aliæ memorantur civitates Asiæ, quæ in fide manserant); Spanhem. Orb. Rom. II, 9.

3. *Thracum in Maced.* conf. ad Epit. LXXIV, 6.

EPITOME LIBRI LXXXII.

Sulla copias regis[1], quæ, Macedonia occupata, in Thessaliam venerant, prælio vicit, cæsis hostium centum millibus, et castris quoque expugnatis. Renovato deinde bello, iterum exercitum regis[2] fudit ac delevit. Archelaus cum classe[3] regia Sullæ se tradidit. L. Valerius Flaccus[4] consul, collega Cinnæ, missus, ut Sullæ succederet, propter avaritiam invisus exercitui suo, a C. Fimbria legato ipsius, ultimæ audaciæ homine, occisus est, et imperium ad Fimbriam translatum. Præterea expugnatæ in Asia urbes a Mithridate et crudeliter direpta provincia[5], incursionesque Thracum in Macedoniam, referuntur.

EPITOME LIBRI LXXXIII.

C. Fimbria in Asia, fusis prælio aliquot præfectis Mithridatis[1], urbem Pergamum cepit, obsessumque regem, non multum abfuit, quin caperet. Urbem

Epit. LXXXII. 1. *Sulla copias regis* Mithridatis ejusque duces Archelaum et Taxillem... *prælio vicit* a. U. 668 ad Cheroneam, cæsis *CX* millibus; vid. Appian. Mithr. 42 sq. Plut. Sulla, III, 106-118; Memnon apud Phot. pag. 732; Oros. VI, 2.

2. *Iterum exercitum regis* ducesque Archelaum et Doryalum *fudit* apud Orchomenum; vid. Plut. 120 sq. Appian. 49 sq. — Pro *exercitum regis*, *exercitum ejus* Norv. et typis descripti ante Gruter. qui *regis* restituit. Ed.

3. *Archelaus cum classe*, etc. vid. Plut. 124 seq. Appian. 51-56; Dio, I, 73.

4. *L. Valerius Flaccus* consul, suffectus Mario mortuo a. Urb. 667. — *A C.* Flavio *Fimbria legato... occisus*, etc. vid. Appian. Mithr. 51-53, 59-64, 112, et Bell. Civ. I, 75; Vell. II, 23, 24; Strab. XIII, 594; Aur. Vict. de Vir. illustr. 70.

5. *Direpta provincia*; forte ex MS Boend. leg. *direptæ provinciæ*. Conf. Appian. Mithr. 20, 112.

Epit. LXXXIII. 1. *C. Fimbria in Asia fusis prælio aliquot præfectis Mithridatis*; vide ad Liv. XXVIII, 30, n. 1. Quidam MSS et edd. antt. *aliquot copiis M.* Ipsum Mithridatem ejusque filium aliquoties fusos dicunt

EPITOME LIBRI LXXXV.

Sulla in Italiam cum exercitu trajecit, missisque legatis, qui de pace agerent, a consule C. Norbano violatis, eumdem Norbanum prælio vicit. Et quum L. Scipionis alterius consulis [1], cum quo per omnia id egerat, ut pacem jungeret [2], nec potuerat, castra oppugnaturus esset, universus exercitus consulis, sollicitatus per emissos a Sulla milites, signa ad Sullam transtulit. Scipio, quum occidi posset, dimissus est. Cn. Pompeius [3], Cn. F. ejus, qui Asculum ceperat, conscripto voluntariorum exercitu, cum tribus legionibus ad Sullam venerat; ad quem se nobilitas omnis conferebat, ita ut deserta Urbe ad castra veniretur. Præterea expeditiones per totam Italiam utriusque partis ducum referuntur.

EPITOME LIBRI LXXXVI.

Quum C. Marius, C. Marii filius [1], consul ante an-

Epit. LXXXV. 1. *Sulla in Italiam... a consule C. Norbano... L. Scipionis alterius consulis*, etc. conf. Appian. Bell. Civ. I, 79 sq. Flor. III, 21; Pigh. Ann. ad a. 670; Plut. Sull. pag. 468 sq. *Cn. Norbano* multi MSS h. l. et plerique in Epit. LXXXIX. Sed vid. Pigh. l. l. et Appian. Bell. Civ. 82. — Olim legebatur *et a consule C. Norbano*, etc. Sustulere Crever. et Drak. auctore Campano particulam *et* ante *a consule*. Sensus quippe est: Legatis qui a Sulla missi erant, a consule violatis. Ed.

2. *Per omnia id egerat, ut pacem jungeret*, adeoque bona fide, non simulate. Illud tradit etiam Vell. II, 25, hoc Plut. et Appian.

3. *Cn. Pompeius*, qui Magnus postea cognominatus est, *Cn. F. ejus, qui Asculum ceperat* (vid. Epit. LXXIV, 1, et LXXVI, 4), *conscripto*, etc. conf. Appian. Bell. Civ. I, 80, 87 sq. Plut. Sull. et Pomp.

Epit. LXXXVI. 1. *C. Marius, C. Marii* septies consulis *filius* ex Julia, amita C. Julii Cæsaris; vid. Plut. Cæs. pr. et Appian. I, 62, qui tamen cap. 87 eum C. Marii fratre genitum dicit; unde fuere, qui a patruo eum adoptatum putarent. Sed hos Appianumque refellit Periz. Anim. Hist. cap. 3, pag. 98 sq. — *Consul* a. Urb. 671 cum Cn. Papirio Carbone III, *per vim creatus ante annos XX*, quod haud verisimile est, quoniam sexto

nos viginti per vim creatus esset, C. Fabius[2] in Africa propter crudelitatem et avaritiam in prætorio suo vivus exustus est. L. Philippus legatus Sullæ Sardiniam, Q. Antonio prætore pulso et occiso, occupavit. Sulla cum Italicis populis, ne timeretur ab iis, velut ereptu-rus civitatem et suffragii jus nuper datum, fœdus percussit: idemque, ex fiducia jam certæ victoriæ, litigatores, a quibus adibatur, vadimonia Romam differre jussit, quum a parte diversa urbs adhuc teneretur. L. Damasippus prætor[3], ex voluntate C. Marii consulis quum senatum contraxisset, omnem, quæ in Urbe erat, nobilitatem trucidavit: ex cujus numero Q. Mucius Scævola pontifex maximus[4] fugiens in vestibulo

ante anno in exsilium actus est, et tum ante illud uxorem duxit (vid. Plut. Mar. pag. 425 sq.), tum in eo multa egit, quæ immaturæ ætati convenire nequeunt; Drak. Annos *XXVII* memorat Appian. Bell. Civ. I, 87; annos *XXV*, Aur. Vict. Vir. ill. cap. 68, et *XXVI*, Vell. II, 26, ubi conf. Voss. *Creatus est. C. Fabius*, etc. conjicit Gron. deleta prima voce Epit. *quum*.

2. *C. Fabius* Hadrianus, qui nunc pro prætore erat; Duk. Cf. Epit. LXXIV, 3; Dio Cass. XXXV, 9; Plut. Lucull. pag. 502, 515; Haverk. ad Oros. V, 20, et in Comm. ad Thes. Morell. t. I, p. 171; Schweigh. ad Appian. Mithr. 88. *In prætorio suo*, ut apud Ascon. ad Cic. Verr. I, 27, V, 36, sed Ciceroni ibi *domus* est; Duk. Conf. Perin. de Prætorio, I, 30, II, 5. — *Pulso et occiso;* male Leid. voces *et occiso* omisit. Eædem etiam, observat Drak., abfuisse videntur a codice quo Pighius usus est. Quamvis enim in Annal. ad annum Urbis 670, p. 428, quo præturam Antonius gessit, promiserit, se anno sequenti de ejus exitu acturum, attamen ad annum Urbis 671, p. 254, et ad annum Urbis 672, p. 264, eum tantum a L. Philippo Sullæ legato provincia pulsum fuisse, laudato etiam h. l., refert; cædis vero nullam mentionem facit. Ed.

3. *L. Damasippus prætor*, etc. ita et dicitur Vell. II, 26, et Oros. V, 20 (ubi vid. Fabric.); at *Brutus* Appiano, Bell. Civ. I, 88, unde ei duo fuisse cognomina *L. Junium Brutum Damasippum* suspicabatur Pigh. Ann. ad annum 671, eique tribuebat, quæ in Epit. LXXXIX pr. de M. Bruto, et in Appiani Bell. Civ. I, 92, de Damasippo leguntur: quod in dubium vocavit Duk. ad h. l. et ad Flor. III, 21, § 20. — *Senatum contraxisset; forte convocasset.* — *Omnem, quæ in Urbe erat, n. t.* ex aliis patet, hic rem supra modum exaggerari; Duk. Ex Appiano vero et aliis, id demum factum esse jussu Marii, postquam is Præneste compulsus obsidebatur, de quo vide ad Epit. LXXXVII.

4. *Q. Mucius Scævola pont. max.* Ciceronis in jure præceptor, temperantiæ prudentiæque specimen, et juris peritorum eloquentissimus et

ædis Vestæ occisus est. Præterea bellum a L. Murena advérsus Mithridatem [5] in Asia renovatum continet.

EPITOME LIBRI LXXXVII.

Sulla C. Marium [1], exercitu ejus fuso deletoque ad Sacriportum [2], in oppido Præneste obsedit: urbem Romam ex inimicorum manibus recepit. Marium erumpere tentantem repulit. Præterea res a legatis ejus, eadem ubique fortuna partium, gestas continet.

EPITOME LIBRI LXXXVIII.

Sulla [1] Carbonem, exercitu ejus fuso ad Clusium, ad Faventiam Fidentiamque cæso, Italia expulit: cum Samnitibus, qui soli [2] ex Italicis populis nondum arma

eloquentium juris peritissimus, qui in consulatu cum Crasso a. 658 legem Muciam Liciniam tulerat; vid. Cic. Brut. 39, 89, Nat. Deor. III, 32, Or. I, 3, Off. III, 11, 15. — *In vestibulo ædis Vestæ occisus est;* ante simulacrum Vestæ dicit Nat. Deor. III, 32, in curia Hostilia Vell. II, 26, non longe a curia Appian. Bell. Civ. 88. Hæc curia et ædes Vestæ in foro rom. et forsan vicinæ fuerunt, et in curia eum occidere percussores constituerant, sed aufugientem in proxima æde Vestæ occiderunt; Drak. Conf. Duk. ad Flor. III, 21, § 21.

5. *A L. Murena*, etc. conf. Appian. Mithr. 32, 43, 64 sq. 93, 112; Cic. l. Manil. 8, Verr. I, 35, Brut. 90. *Murena*, gr. Μουρήνας, et sic in Fastis Capit. ad a. Urb. 731 et nummis gentis Liciniæ. Alii scribunt *Muræna*, nomen deducentes a pisce, qui gr. μύραινα dicitur. Conf. Drakenb. ad hunc locum, et *Spalding in Berlin. Monatsschr.* a. 1805.

Epit. LXXXVII. 1. *Sulla C. Marium..... repulit;* vid. Appian. Bell. Civ. I, 87-90, 94; Plut. Sull. p. 470 sq. Flor. III, 21; Aur. Vict. de Viris illustr. I, 68, 75; Vell. II, 26, 27.

2. *Ad Sacriportum* in Volscis inter Signiam et Præneste. — *Marium erumpere* ex Præneste.

Epit. LXXXVIII. 1. *Sulla* Cn. Papirium *Carbonem* cos., *exercitu ejus* (per legatos, ut quidam tradunt) *fuso ad Clusium... expulit;* conf. Appian. Bell. Civ. I, 89-92; Vell. II, 28; Plut. — *Faventiam;* apud Appian. cap. 92, *Placentiam:* quæ tamen pro *Fidentia*, urbe vicina, est posita. Cf. ibi Schweigh.

2. *Cum Samnitibus, qui soli*, etc. conf. Appian. Bell. Civil. I, 51-53,

posuerant, juxta urbem romanam ante portam Collinam debellavit; recuperataque republica, pulcherrimam victoriam crudelitate, quanta in nullo hominum fuit, inquinavit. Octo millia deditorum[3] in villa publica trucidavit: tabulam proscriptionis posuit: Urbem ac totam Italiam cædibus replevit; inter quas omnes Prænestinos[4] inermes concidi jussit: Marium, senatorii ordinis virum[5], cruribus brachiisque fractis, auribus præsectis et effossis oculis, necavit. C. Marius, Præneste obsessus a Lucretio Ofella, Sullanarum partium viro, quum per cuniculum captaret evadere, septus ab exercitu, mortem sibi conscivit, id est, in ipso cuniculo, quum sentiret se evadere non posse, cum Pontio Telesino[6], fugæ comite, stricto utrimqne gladio, concurrit; quem quum occidisset, ipse saucius impetravit a servo, ut se occideret.

68, 87, 92 sq. Plut. Sulla, III, 141 sq. Oros. V, 20. — *Juxta urbem romanam;* vid. ad Epit. XLIX, 14.

3. *Octo millia deditorum* (forte *dedititiorum*, ut Crev. conj. cum Pithœo apud Hearnium. Ed.) *in villa publica* (vide ad Liv. IV, 22) *trucidavit: tabulam proscriptionis* (primum inhumanitatis hujus exemplum) *posuit* (forte *proposuit;* Drak.), etc. conf. Appian. Bell. Civ. I, 93, 95 sq. Plut. Sull. III, 145-150, p. 472; Dio, I, pag. 53-58; Vell. II, 28; Lucan. II, 139 sq. Flor. III, 21, 24 sq. Oros. V, 21; Val. Max. IX, 2, § 1; August. de Civ. Dei, III, 28; Aurel. Vict. de Vir. illustr. 75; *Meiners Gesch. des Verf. d. Romer,* p. 117-132. Ex his etiam patet, Catilinam eique similes fuisse instrumenta crudelitatis Sullanæ.

4. *Omnes Prænestinos,* etc. vid. Appian. Bell. Civ. I, 94.

5. M. *Marium* Gratidianum, *senatorii ordinis virum,* a M. Mario, C. Marii septies consulis patruo aut potius filio adoptatum... *necavit;* vid. Periz. Animadv. hist. cap. 3, pag. 98 sq. Gron. Obss. II, 6; intpp. Lucani, II, 175; Flori, III, 21, 26; August. l. l. Sen. de Ira, III, 18; Ern. Clav. Cic. voc. *M. Gratidianus.*

6. *C. Marius, Præneste obsessus a Lucretio Ofella..... cum Pontio Telesino* (fratre minore Pontii Telesini, callidi Samnitium ducis, qui paulo ante in prælio adversus Sullam ad portam Urbis Collinam perierat)..... *occideret;* conf. Appian. Bell. Civ. I, 88, 89, 90, 93, 94; Plutarch. Sulla, p. 471; Flor. III, 21; Vell. II, 27; Oros. V, 21. In verbis *id est* aliquid vitii hærere, locum etiam hunc non integrum esse, et varias potius sententias de morte Marii, ut in Velleii l. l., relatas fuisse, certe non eadem

EPITOME LIBRI LXXXIX.

M. Brutus[1] a Cn. Papirio Carbone, qui Cossuram appulerat, missus nave piscatoria Lilybæum, ut exploraret, an ibi Pompeius esset, et circumventus a navibus, quas Pompeius miserat, in se mucrone verso, ad transtrum navis obnixus corporis pondere, incubuit. Cn. Pompeius, in Siciliam cum imperio a senatu missus, Cn. Carbonem, qui flens muliebriter mortem tulit, captum occidit. Sulla, dictator factus, quod nemo unquam fecerat[2], cum fascibus viginti quatuor processit. Rebus novis reipublicæ statum[3] confirmavit, tribunorum plebis potestatem minuit, et omne jus legum ferendarum ademit. Pontificum augurumque col-

genera mortis memorari, jam monuit Duk. — Hoc *id est*, et præcedd. verba, *mortem sibi conscivit*, delenda putat Sigon. et Crev., ita ut legatur: *septus ab exercitu, in ipso cuniculo*. Ed.

Epit. LXXXIX. 1. *M. Brutus* (vid. ad Epit. LXXXVI, 3) *a Cn. Papirio Carbone, qui Cossuram* (insula inter Siciliam et Africam, hodie *Pantalarea;* vide ad Sil. XIV, 272) *appulerat... Cn. Pompeius... Cn. Carbonem ... occidit;* conf. Appian. Bell. Civ. I, 96, 98, et Oros. V, 21: e quibus Sigon. *Cossuram* pro *Corcyram* primus substituit. — *Circumventus a navibus;* vocula *a* in Gronovianis edd. male omissa fuerat: sed omnes eam vetustiores exhibent. Ed. — *Mucroni* pro *mucrone* conj. Gron. et *in se mucrone verso... ei incubuit* Drak.

2. *Quod nemo unquam fecerat:* hæc verba ab inepto aut sciolo homine inserta putabant Lips. Elect. I, 23, et Voss. ad Cæs. Bell. Civil. I, 6, quia dictatoribus semper *XXIV fasces* et secures prælatas fuisse testantur Polyb. III, 87; Dionys. Halicarn. X, p. 650; Plutarch. Fab. p. 176; Appian. Bell. Civ. I, 100 (ubi conf. Schweigh.), et Dio, LIV, pag. 521. Alii legendum putabant *quod nemo;* scilic. eo tempore viventium *unquam viderat* (nam per annos cxx nemo dictator fuerat; de quo vid. Plutarch. Sulla, pag. 473; Vell. II, 28, et Appian. Bell. Civ. I, 98, ubi confer Schweigh.), vel *Sulla dictator perpetuus, quod nemo unquam fuerat.* Cf. Drak. ad h. l. et Spanh. de usu et pr. num. diss. X, p. 94, 172. Cæterum et *Fausti* vel *Felicis* et Ἐπαφροδίτου cognomen ei datum vel ab ipso sumptum. Cf. Liv. XXX, 25 extr. Diod. Ecl. 2 ex lib. XXXVII Opp. t. II, p. 541; Plut. Sull. p. 473; Appian. Bell. Civ. I, 97, ibique Schweigh.

3. *Rebus novis reip. statum confirmavit*, etc. conf. Appian. Bell. Civ. I, 97-100; Plutarch. Sulla, pag. 473

legium ampliavit, ut essent quindecim[4]; senatum ex equestri ordine supplevit[5]: proscriptorum liberis jus petendorum honorum eripuit, et bona eorum vendidit; ex quibus plurima primo rapuit. Redactum est sestertium ter millies quingenties. Q. Lucretium Ofellam[6], consulatum adversus voluntatem suam petere ausum, jussit occidi in foro, et, quum hoc indigne ferret populus romanus, concione advocata, se jussisse dixit. Cn. Pompeius in Africa[7] Cn. Domitium proscriptum et Hiarbam, regem Numidiæ, bellum molientes, victos occidit; et, quatuor et viginti annos natùs, adhuc eques romanus, quod nulli contigerat, ex Africa triumphavit. C. Norbanus consularis[8] proscriptus, in urbe Rhodo quum comprehende-

sq. *Legibus* pro *rebus* bene conj. Gron. *Regibus* MS Leid. Legibus Cornelii reip. status mutatus est: de quibus vid. Pigh. Annal. ad annum 672, et Ern. Clav. Cic.—*Ademit* sc. tribunis. Conf. Cic. Leg. III, 9; Vell. II, 30. Antiquam potestatem tribunis restituit Pompeius, Appian. Bell. Civ. I, 100, II, 29.

4. *Pontificum augurumque collegium ampliavit, ut essent XV:* quibus non adversatur locus Cic. de Har. resp. cap. 6, quia tres pontifices minores fuere scribæ pontificum; vide ad Liv. XXII, 57, et Drak.

5. *Senatum supplevit ex equestri ordine* adlectis ccc, et civibus inseruit ex proscriptorum servis decies mille, quos vocavit Cornelios; vid. Appian. Bell. Civ. I, 100 et 104. — *Proscriptorum liberis*, etc. conf. Plut. Cic. IV, 769, Cic. Agr. III, 3, pro Rosc. Am. XLIII, 44, et Verr. I, 47; Vell. III, 28. — *Ex quibus plurima pr. rapuit;* MSS Leid., Barb. et Gud. minor pro *primo* habent *præmia*, probb. Gronov. et Drak. qui *præmia* passim prædas, manubias dici monent. Aliquid potius intercidisse putabat Crev. ut Sulla dictus *et plurima primo rapuisse*, deinde cætera *redegisse* in publicum. — *Sestertium ter millies quingenties*, hoc est, ex æstimatione Creverii, marcæ argenti 1,367,187, unciæ 4. Ed.

6. *Q. Lucretium Ofellam* (vide ad Epit. LXXXVIII, 6) ... *dixit;* cf. Appian. Bell. Civ. I, 101.

7. *Cn. Pompeius in Africa Cn. Domitium*, etc. conf. Oros. V, 21; Val. Max. VI, 2, § 8, et Plut. Pomp. pag. 624. — *Hiarbam* seu *Jarbam* (vide ad Sil. I, 414-417) *regem Numidiæ*, etc. vid. Plut. et Oros. ll. ll. Eutrop. V, 9; Aur. Vict. de Viris illustr. 77. — *XXIV annos natus*, etc. ut apud Plut. Pomp. p. 625: at *XXVI annos* apud Aur. Vict. de Viris illustr. 77. De triumpho ejus videatur Plutarch. Sull. p. 473.

8. *C. Norbanus consularis... occidit;* cf. Appian. Bell. Civ. I, 91. *C.* ex

retur, ipse se occidit. Mutilus, unus ex proscriptis, clam capite adoperto ad posticas ædes Bastiæ uxoris quum accessisset, admissus non est, quia illum proscriptum diceret; itaque se transfodit, et sanguine suo fores uxoris respersit. Sulla Nolam in Samnio recepit[9]: quadraginta septem legiones in agros[10] captos deduxit, et eos iis divisit. Volaterras[11], quod oppidum adhuc in armis erat, obsessum, in deditionem accepit. Mitylenæ quoque in Asia[12], quæ sola urbs post victum Mithridatem arma retinebat, expugnatæ dirutæque sunt.

EPITOME LIBRI XC.

Sulla decessit[1], honosque ei a senatu habitus est, ut in campo Martio sepeliretur. M. Æmilius[2] Lepidus,

Exc. Pith. et edd. pr. recepi pro *Cn.* vide ad Epit. LXXXV, 1. — *Mutilus* Papiorum cognomen; Sigon. *Mutilius, Mutillus*, et *Metellus* al. — *Ad posticas ædes;* vide ad Liv. XXIII, 8, n. 8; Duk. et Drakenb. ad h. l.— *Bastiæ*, Leid. *Hastiæ*. Neutrius gentis quisquam meminit, et forte leg. *Hostiæ;* Drak.

9. *Sulla Nolam in Samnio recepit*, immo *a Samnitibus*, qui invaserant; Gron. coll. Epit. LXXIII. Hoc in Leid. superesse videtur; Drak.

10. *XLVII legiones in agros captos*, etc. vix credi potest, Sullam tot legiones sub signis habuisse, et Appian. Bell. Civ. I, 100 et 104, memorat XXIII, et CXX millia hominum; Duker. *LXVII legiones* Boend. et ed. Camp. *XXVII legiones* conjicit Drakenborch.

11. *Volaterras*, etc. Sullam agros Volaterranorum publicasse, non divisisse, neque iis civitatem eripere potuisse, Cic. pro domo, 30, ad Att. I, 9, et ad Div. XIII, 4 scribit; Duk.

12. *Mitylenæ quoque in Asia*, etc. urbem a M. Thermo, cujus prætura nusquam alibi reperitur, apud solum Suet. Cæs. 2 legitur, et Pigh. Ann. ad a. 672 conjecturas habet sine testimonio Veterum; Duk.

Epit. XC. 1. *Sulla decessit* phthiriasi correptus a. Urb. 675 Puteolis, quo concesserat a. Urb. 674, postquam sponte se abdicaverat dictatura seque paratum esse dixerat ad rationem omnium rerum a se gestarum reddendam: —*Honosque ei a senatu habitus est, ut* corpus humeris senatorum portaretur *in campum Martium* ibique *sepeliretur;* qui honos non nisi regibus Cæsaribusque et eorum familiæ (sed et Hirtio ac Pansæ, si fides habenda Epit. CXIX) habitus. Conf. ad Epit. CVI, 1; ad Tacit. Ann. I, 8, n. 13, 16, XIII, 17, n. 2; Appian. Bell. Civ. I, 103-106; Plutarch. in Sulla, pag. 474, 475.

2. *M. Æmilius Lepidus* cos. a. Urb.

quum acta Sullæ tentaret rescindere, bellum excitavit, et a Q. Catulo collega Italia pulsus est, et in Sardinia, frustra bellum molitus, periit. M. Brutus, qui Cisalpinam Galliam obtinebat[3], a Cn. Pompeio occisus est. Q. Sertorius[4] proscriptus in ulteriore Hispania ingens bellum excitavit. L. Manlius proconsul[5] et M. Domitius legatus ab Herculeio quæstore[6] prælio victi sunt. Præterea res a P. Servilio proconsule[7] adversus Cilicas gestas continet.

EPITOME LIBRI XCI.

Cn. Pompeius, quum adhuc eques esset[1] cum imperio consulari adversus Sertorium missus est. Serto-

675 cum *Q.* Lutatio *Catulo*; etc. conf. Appian. Bell. Civ. I, 105, 107; Pigh. ad a. 675; Oros. V, 22.

3. *M. Brutus* (pater M. Bruti Cæpionis, qui cum Cassio et aliis adversus Cæsarem conspiravit), *qui Cisalpinam Galliam obtinebat*, forte ex prætura, quæ tamen conjectura Pighii, Ann. ad a. 675 sq. nulla auctoritate scriptorum veterum confirmari potest, deperditis monumentis vetustis; Duk. Conf. Appian. Bell. Civ. I, 60, II, 111; Plut. Pomp. et Brut.

4. *Q. Sertorius*, etc. conf. Appian. Bell. Civ. I, 65, 67, 85 sq. 107-114, et Hisp. 101 sq. Flor. III, 22; Oros. V, 23; Plut. Sertor. et Pomp.

5. *L. Manlius proconsul*, forte prætor cum imperio consulari. Conf. Duker. ad h. l. Oros. V, 23; Plut. Sertor. pag. 574, ubi pro Λόλλιον forsan leg. Μάλλιον, non Μανίλιον.—*M. Domitius legatus* Metelli, qui Sallust. fr. Hist. I, apud Priscian. X, 901, proconsul, et Eutropio, VI, 1, prætor (sc. cum imperio procons.) dicitur. Conf. Plut. Sertor. pag. 574, ubi pro Δομέτιον δὲ καὶ Λούσιον quidam conj. Λούκιον δὲ Δομέτιον, et Fabric. ad Oros. V, 23. Δομ. δὲ Καλουΐνον. Pro *M.* vel cum Drak. leg. *Cn.*, vel potius ex Eutrop. VI, 1, *L.* Vid. Suet. Ner. 1.

6. *Ab Herculeio quæstore*, Sertorii duce, qui Plutarch. Pomp. pag. 628, Ἑρέννιος nominatur; Sigon. Conf. ad Epit. XCI; Sallust. Hist. II, ex Marcello voc. *sagum*, et intpp. Flori III, 22, § 6; Front. I, 5, § 8; Oros. V, 23, et Eutrop. VI, 1. — *Hirtuleio* vett. edd. exhibent. Ed.

7. *A P. Servilio* Vatia Isaurico *procons.* a. Urb. 676, etc. Conf. Eutrop. VI, 3; Flor. III, 6; Cic. Verr. I, 21, 90.

Epit. XCI. 1. *Cn. Pompeius, quum adhuc eques esset*, etc. Conf. Epit. LXXXIX et XCVII; Plut. Pomp. pag. 630; Cic. pro lege Manil. 21; Dio, XXXVI, 13. *Eques* cod. Voss. reliqui *quæstor* et *equester*: unde *eques r.* (romanus) conj. Drak. præeunte Crev. Ed.

rius[2] aliquot urbes expugnavit, plurimasque civitates in potestatem suam redegit. Ap. Claudius proconsul Thracas pluribus prœliis vicit[3]. Q. Metellus proconsul L. Herculeium, quæstorem Sertorii, cum exercitu cecidit.

EPITOME LIBRI XCII.

Cn. Pompeius dubio eventu cum Sertorio pugnavit[1], ita ut singula ex utraque parte cornua vicerint. Q. Metellus Sertorium et Perpernam[2] cum duobus exercitibus prœlio fudit : cujus victoriæ partem cupiens ferre Pompeius parum prospere pugnavit. Obsessus deinde Cluniæ[3] Sertorius, assiduis eruptionibus non leviora damna obsidentibus intulit. Præterea ab Curione proconsule[4] in Thracia res gestas adversus Dardanos, et Q. Sertorii multa crudelia[5] in suos

2. *Sertorius... cecidit;* conf. Epit. XC, 4 et 6.

3. *Ap. Claudius* Pulcher cos. a. U. 674, *proconsul* a. 675, *Thracas p. p. vicit* Macedoniam populantes, et in Sarmatas usque pervenit; vid. Flor. III, 4. Sed eum varia fortuna dimicasse dicit Obseq. cap. 58, et ægritudine animi morboque mortuum esse Oros. V, 23; Eutrop. VI, 2, et Sex. Rufus. — *Herculeium;* vide ad Epit. lib. XC, ubi de hujus nomine non consentiunt scripti, dum hic omnes *Herculeium* exhibeant. Ed.

Eptt. XCII. 1. *Cn. Pompeius d. e. cum Sertorio pugnavit* ad Sucronem... *ita ut singula*, forte *sinistra ;* Gron. Id firmat Plut. in Pomp. pag. 628, in Sertor. pag. 578. Conf. et Appian. Bell. Civ. I, 110.

2. *Q. Metellus Sertorium et Perpernam* (al. *Perpennam :* de quo vide ad Liv. XLIV, 27, n. 6)... *fudit* ad Seguntiam; *cujus victoriæ... pugnavit;* conf. Appian. l. l. M. *Perperna* Sertorii socius, qui a. Urb. 661 consul, deinde legatus in bello sociali, et in bello civili dux Marianorum fuerat. Conf. Appian. Bell. Civ. I, 107, 110, 111 seq.

3. *Obsessus deinde Cluniæ*, etc. conf. Dio, XXXIX, 115. *Clunia* opp. Arevacorum in Hisp. Tarrac. vid. Plinius, III, 3 seu 4, et intpp. Suet. Galb. 9. — Ante Gronov. editi habebant *Calagurii;* quod mutandum docuit ille, et e vestigiis MSS eruit nomen *Cluniæ*. Ed.

4. *Præterea ab* C. Scribonio *Curione* cos. a. Urb. 677, *proc.* a. 678, quo Ap. Claudio (vide ad Epit. XCI, 3) successerat *in Thracia*, etc. conf. Epit. XCV; Flor. IV, 1, 45, III, 4; Cic. Pis. 19; Pigh. Annal. ad ann. 677, 678.

5. *Q. Sertorii multa crudelia*, etc.

facta continet; qui plurimos ex amicis et secum proscriptis, crimine proditionis insimulatos, occidit.

EPITOME LIBRI XCIII.

P. Servilius proconsul in Cilicia Isauros [1] domuit, et aliquot urbes piratarum expugnavit. Nicomedes, Bithyniæ rex, moriens populum [2] romanum fecit heredem, regnumque ejus in provinciæ formam redactum est. Mithridates, fœdere cum Sertorio [3] icto, bellum populo romano intulit. Apparatus deinde regiarum copiarum pedestrium navaliumque; et, occupata Bithynia, M. Aurelius Cotta consul ad Chalcedonem prælio a rege victus [4]; resque a Pompeio et Metello adversus Sertorium gestæ, qui omnibus belli

conf. Appian. Bell. Civ. I, 112, 113, Plut. Sert. p. 581.

Epit. XCIII. 1. *P. Servilius proc. in Cilicia Isauros domuit*, etc. conf. ad Epit. XC, 7. Quum tota Isauria tunc et diu etiam post id tempus domicilium et receptaculum latronum fuerit, *Isauros* h. l. potius pro piratis dici, quam Ciliciam et Isauriam confundi, putabat Duk. ad Flor. III, 6, § 5. Sed *Isauri*, a quibus domitis Servilius etiam cognomen Isaurici accepit, proprie dicti videntur, et *Cilicia* latiori sensu sumpta, ut simul Isauria, inter eam et Lycaoniam ad Taurum in Asia min. sita, ea comprehendatur. Hinc et Isaurus *arx Ciliciæ* vocatur Flor. III, 6, et seriori ævo Cilicia Aspera, seu Τραχεῖα appellata est Isauria; vid. Ammian. Marc. XIV, 7, et Hierocl.

2. *Nicomedes* III Philopator, nepos Prusiæ (quidam hunc Nicomedem IV, tertii filium aut nepotem, fuisse putant) *Bithyniæ rex, moriens* a. U. 678, *populum*, etc. conf. Appian. Bell. Civ. I, 111, et Mithrid. II, 7, 71; ad quæ loca vid. Schweigh.

3. *Mithridates, fœdere cum Sertorio icto* a. U. 678, *bellum pop. rom. intulit* tertium, etc. Cf. Appian. Mithr. 68, et Plut. Sert. p. 580, 581; Oros. VI, 2; Memnon. apud Phot. p. 735-755. — Pro *icto* præfert. Voss. *inito*, quod e glossa, quæ olim margini adscripta, deinde in contextum irrepsit, natum est. Vid. Drak. ad Liv. XXII, 34, § 7. Ed. — De *regiarum copiarum pedestrium navaliumque* (vide ad Liv. XXII, 31, n. 4) *apparatu*; vid. Appian. Mithrid. 67, 69, et Pigh. Annal. ad a. 679.

4. *M. Aurelius Cotta consul* a. Urb. 679 *ad Chalcedonem a rege victus est*; vid. Appian. Bell. Civ. I, 71, 112; Plut. Lucull. pag. 496. Cæterum suadente Drak. recepi lectionem omnium MSS; nisi quod post *Sertorium* adjeci *gestæ* ex ed. Camp. in qua certe *gestas* legitur. Ita *apparatus*,

militiæque artibus par fuit. Quos etiam, ab obsidione Calagurris oppidi[5] depulsos, coegit diversas regiones petere, Metellum ulteriorem Hispaniam, Pompeium Galliam.

EPITOME LIBRI XCIV.

L. Licinius Lucullus consul adversus[1] Mithridatem equestribus præliis feliciter pugnavit, et expeditiones aliquot prosperas fecit, poscentesque pugnam milites a seditione inhibuit. Dejotarus, Gallogræciæ tetrarches[2], præfectos Mithridatis, bellum in Phrygia moventes, cecidit. Præterea res a Cn. Pompeio in Hispania contra Sertorium prospere gestas continet.

EPITOME LIBRI XCV.

C. Curio proconsul Dardanos in Thracia[1] domuit.

victus et *res* pendent a verbo *referuntur* aut simili, quod supplendum est; ut *concio ejus bona* Epit. C et alia. Sigonius et deinde reliqui editores post *Sertorium* inseruere *gestas continet*, quæ ratio durior est et scabriorem efficit orationem. — *Omnibus belli militiæque artibus*, forte legendum *o. bellis* (quæ cum Pompeio et Metello gessit) *militiæ a. par fuit* illis; Drak. *Beili*, *militiæ* Boend. Sed non est forsan, quod pleonasmus ille displiceat.

5. *Ab obsidione Calagurris* (vide ad Liv. XXXIX, 21, n. 3) *oppidi*, etc. conf. Appian. Bell. Civ. I, 112; Plut. Sert. p. 579, Bell. Civ. — *Coegit diversas regiones petere* commeatum intercludendo iis, insidiando, circumveniendo, circumcursitando et litora obsidendo navigiis prædatoriis. Ita Plut. l. c. — *Metellum ulteriorem*, etc. contrarium tradit Plut. l. c.

Epit. XCIV. 1. *L. Licinius Lucullus consul* an. Urb. 679 cum Cotta (vide ad Epit. XCIII, 4) *adversus Mithridatem*, etc. conf. Appian. Mithrid. 33, 51, 56, 72-90, et Plutarchus in Lucullo.

2. *Dejotarus, Gallogræciæ tetrarches*, etc. conf. Appian. Mithrid. 75. Gallogræci antiquitus constabant ex tribus diversis populis, quorum quisque divisus erat in quatuor tetrarchias, ita ut universæ genti præfuerint *XII* tetrarchæ, qui deinde ad tres, postea ad duos redacti sunt, donec tandem unus Dejotarus iis præesse inceperit; Drakenb. Vid. Strab. XII, 566; Appian. Mithrid. 114; Cic. pro Dejot. et Ern. Clav. Cic. — *Præfectos Mithridatis;* hoc debetur Sigonio. Antea legebatur *præfectus*, contra fidem historiæ. Ed.

Epit. XCV. 1. *C. Curio proc. Dardanos in Thracia domuit;* conf. ad

Quatuor et septuaginta gladiatores Capuæ ex ludo Lentuli profugerunt[2], et, congregata servitiorum ergastulorumque multitudine, Crixo et Spartaco ducibus bello excitato, Claudium Pulchrum legatum[3] et P. Varinium prætorem prælio vicerunt. L. Lucullus proconsul[4] ad Cyzicum urbem exercitum Mithridatis fame ferroque delevit; pulsumque Bithynia regem, variis belli ac naufragiorum casibus fractum, coegit in Pontum profugere.

EPITOME LIBRI XCVI.

Q. Arrius prætor Crixum, fugitivorum ducem, cum viginti millibus hominum cecidit[1]. Cn. Lentulus con-

Epit. XCII, 4, et Sallust. Hist. II, apud Non.

2. *LXXIV gladiatores Capuæ ex ludo* gladiatorio Cn. *Lentuli* Batiatæ, vel potius Vacciæ seu Vatiæ, *profugerunt, et... Crixo et Spartaco ducibus*, etc. de quo bello gladiatorio, a. Urb. 680, 681, 682 gesto, quod etiam Spartacium, servile et fugitivorum dicitur; vid. et Epit. XCVI, XCVII; Appian. Bell. Civ. I, 111, 116-121; Plut. Crass. p. 547-550; Vell. II, 30; Flor. III, 20; Eutrop. VI, 7; Oros. V, 24. *CCCCLXX gladiatores* Berg. et Leid. *LXXVII* fuisse dicit Plut. alii vero pauciores. — *Servitiorum*, servorum, *ergastulorumque*, illorum servorum, qui compediti in ergastulis custodiebantur; Drakenb. Conf. ad Juvenal. XIV, 24. *Et ergastulorum* edd. antt. *ex ergastulis* in MSS legit Puteanus: idque placebat Dukero. Conf. Liv. XXIV, 15, et Justin. I, 6. *Spartacum* fuisse Thracem, *Crixum* et *Œnomaum* Gallos, tradit Oros. l. l. ubi conf. Fabric.

3. *Claudium Pulchrum legatum*, qui *Clodius prætor* dicitur Oros. Κλώδιος στρατηγὸς Plut. *Clodius Glaber* (quod potius Vatiniorum cognomen fuit) Floro. Conf. Frontin. I, 5, § 20, 21. — *P. Varinium* ex emend. Sigon. restitui. *P. Vorenum* edd. vett. *P. Varcenum* Voss. *P. Varenum* plerique MSS et edd. recentt. (*Varenus* nomen rom., v. c. ejus, pro quo orationem habuit Cicero.) *P. Varinus* dicitur Cic. pro Flacco, 19, et Plut. l. l. sed rectius *P. Varinius* Frontino, I, 5, § 22, et *P. Varinius Glaber* Appiano, Bell. Civ. I, 116, et in fragmento antiqui monumenti, in quo historia belli servilis descripta fuit, apud Murator. Thes. Nov. Inscr. t. I, pag. 4; unde constat, *Varinium* gentis adeoque verum nomen esse.

4. *L. Lucullus p.*, etc. cf. Appian. Mithr. 72-78.

Epit. XCVI. 1. *Q. Arrius prætor... cecidit:* quam victoriam Gellio cos. tribuunt Appian. Bell. Civ. I, 117 pr. Plut. Crass. p. 548 D. et Oros. V, 24. Arrii prætoris nullam mentionem faciunt alii in historia hujus

sul male adversus Spartacum pugnavit. Ab eodem L. Gellius consul et Q. Arrius prætor acie victi[2] sunt. Sertorius a M'. Antonio et M. Perperna[3] et aliis conjuratis in convivio interfectus est, octavo ducatus sui anno; magnus dux et adversus duos imperatores, Pompeium et Metellum, sæpe par, vel frequentius victor; ad ultimum desertus et proditus. Imperium partium[4] ad Marcum translatum est: quem Cn. Pompeius victum captumque interfecit, ac recepit Hispanias decimo fere anno, quam cœptum erat bellum. C. Cassius[5] proconsul et Cn. Manlius prætor male adversus Spartacum pugnaverunt; idque bellum M. Crasso prætori mandatum est.

EPITOME LIBRI XCVII.

M. Crassus prætor[1] primum cum parte fugitivorum, quæ ex Gallis Germanisque constabat, feliciter pugnavit, cæsis hostium triginta quinque millibus et

belli. De eo tamen vid. Cic. Brut. 69, et Verr. II, 15, XL, 20. — Scripsit h. l. Delrius *cum triginta millibus hominum*, ut numerus Appiano consentaneus esset. Ed.

2. *Cn.* Cornelius *Lentulus* Clodianus et *L. Gellius* Poplicola *consules* a. Urbis 681, *a Spartaco victi sunt;* conf. Appian. et alii ad Epit. XCV, 2 laudati.

3. *Sertorius a M'. Antonio et M. Perperna*, etc. conf. Appian. Bell. Civ. I, 113 sq. Plut. Sert. pag. 581, 582 (ubi leg. Μάνιος Ἀντώνιος pro Μάλλιος Ἀντώνιος); Sallust. Hist. III, apud Non.—*Octavo ducatus sui anno;* de voce *ducatus*, qua usus est Epit. auct., non ex lectione Liviana, sed ævi sui corrupto sermone, vid. Drak. ad Liv. XXIX, 20, § 2. Ed.

4. *Imperium partium* Sertorii *ad Marcum* Perpernam (nisi ex Lov. 2 leg. *M. Perpernam*) *translatum... bellum;* conferantur Appianus et Plutarchus ll. ll.

5. *C. Cassius*, etc. auctores ad Epit. XCV, 2 laudati.

Epit. XCVII. 1. *M. Crassus prætor... Gannico;* conf. Plut. Crass. pag. 549; Appian. Bell. Civ. I, 118-120; Oros. V, 24; Frontin. II, 4, § 7, et II, 5, § 34, ubi ipsa Livii verba laudantur. *Gannico* pro *Granico* recepi ex MSS et Frontino. *C. Cannicius* dicitur Plut. Fuit fortassis C. Cannicii alicujus libertus, vel unus e colluvie ingenuorum Italicorum, quos (præter *Gallos Germanosque*) ad Spartacum confluxisse, Appianus auctor est; Duker.

duce eorum Gannico. Cum Spartaco dein[2] debellavit, cæsis cum ipso millibus sexaginta. M. Antonius[3] prætor bellum adversus Cretenses, parum prospere gestum, morte sua finivit. M. Lucullus[4] proconsul Thracas subegit. L. Lucullus in Ponto[5] adversus Mithridatem feliciter pugnavit, cæsis hostium amplius quam sexaginta millibus. M. Crassus et Cn. Pompeius consules[6] facti (sed Pompeius, ante quam quæsturam gereret, ex equite romano) tribunitiam potestatem restituerunt. Judicia quoque per L. Aurelium Cottam prætorem ad equites romanos translata sunt[7]. Mithri-

2. *Cum Spartaco dein debellavit;* conf. Plut. et Appian. ll. ll. *dein debellavit* cum Crev. reposui pro *deinde bellavit.* Drak. malebat *deinde debellavit*, quia *dein* sæpe quidem in Livio, at nunquam aut rarissime in Epitomis occurrat.—*Millibus LX* pro *millibus XL*, edidit Drak. ex 3 MSS, Oros. V, 24, et Eutrop. VI, 7. Idem reponendum putabat apud Vell. II, 30, aut cum aliis xc, quia cæsorum numerum iniri non potuisse dicat Appian.

3. *M. Antonius*, oratoris filius, triumviri pater, avarissimus homo, *prætor* a. Urb. 679, quo infinitum imperium in omnes oras maritimas nactus factione Cethegi et gratia Cottæ cos. Siciliam aliasque provincias depopulatus est, et bellum *Cretensibus* intulit, sed et *morte sua finivit.* Conf. Cic. Verr. II, 3, III, 91; Vell. II, 31; Flor. III, 7; Appian. de Reb. Sic. Exc. VI, ibique Schweigh. Cognomen *Cretici* (vid. Plut. Anton. pr.) a vano homine jam initio belli sumptum, aut per contumeliam ei inditum putatur.—*Parum prospere gestum* revocavi ex MSS et edd. ante Grut. quæ substituit *p. p. susceptum.*

4. *M.* (Terentius Varro) *Lucullus*, L. Licinii Luculli frater a Varrone adoptatus, qui consul fuerat a. Urbis 680 cum C. Cassio Varo, *proconsul* Macedoniæ *Thracas subegit;* conf. Eutrop. VI, 8, 10; Flor. III, 4; Ammian. XXVII, 3, 8; Ern. Clav. Cic. Appian. Illyr. XXX, et Bell. Civ. I, 92; Vell. II, 28; Oros. VI, 3; Sex. Ruf. cap. 9; Strab. VII, 319; Freinsh. Suppl. XCVII. 16, 17.

5. *L. Lucullus in Ponto*, etc. conf. Appian. Mithr. 78-82, et Plut. Lucull. pag. 499 sq. — *Amplius quam sexaginta millibus;* unus e Gron. MSS non agnoscit voculam *quam*, quæ nec necessaria est; unius tamen fide MSti non ausus est eam Drakenb. expungere. Ed.

6. *M.* Licinius *Crassus et Cn. Pompeius consules* a. Urbis 683 *facti (sed Pompeius)... restituerunt;* vid Epit. LXXXIX, 3, et XCI, 1.

7. *Judicia quoque per L. Aurelium Cottam prætorem* a. Urbis 683 *ad equites romanos translata sunt*, proprie communia senatoribus, equitibus ac tribunis ærarii facta: sed nonnunquam non modo senatores tantum et equites memorantur, tanquam præcipui judicum ordines (ut *V* classes civium, non *VI*), sed etiam soli equites

dates, desperatione rerum suarum coactus, ad Tigranem Armeniæ regem[8] confugit.

EPITOME LIBRI XCVIII.

Machares, filius Mithridatis, Bospori rex[1], ab L. Lucullo in amicitiam receptus est. Cn. Lentulus et L. Gellius censores[2] asperam censuram egerunt, quatuor et sexaginta senatu motis : à quibus, lustro condito, censa sunt civium capita quadringenta quinquaginta millia[3]. L. Metellus prætor in Sicilia adversus piratas

quoniam judicia horum potissimum munia sensim sunt facta. Conf. ad Tacit. Ann. II, 35, n. 4, III, 30, n. 2, XII, 60, n. 3; Duker. ad h. l. (qui laudat Cic. Verr. I, 2, 8, 16, II, 71, III, 96, V, 69; Divin. in Cæcil. 3, pro Cluent. 43, quique monet, *judicia transferri* non eadem semper significatione dici); intpp. Vell. II, 32, et Ern. Clav. Cic. in ind. leg. voc. *Aurelia*. Judicia primum fuerant penes senatum, sed a. Urbis 632, a C. Graccho ad equites vel solos vel simul translata (vide ad Epit. LX, 7), a. 647 a Q. Servilio Cæpione cos. et a. 662 a M. Livio Druso trib. pl. utrique ordini data (quorum tamen leges non perlatæ, aut paulo post sublatæ; conf. ad Epit. LXXI, 2), a. 673 a Sulla senatui restituta; a. 683 a L. Aurelio Cotta prætore, et a. 698 a Cn. Pompeio II cos. cum senatoribus, equitibus et tribunis ærarii communicata, a. 707 a C. Julio Cæsare dictat. et III cos. senatoribus equitibusque tradita. Hæc sancita legibus judiciariis Sempronia, Servilia, Livia, Cornelia, Aurelia, Pompeia et Julia; de quibus vid. Ern. Clav. Cic. et Bachii Hist. Jurisprud. Rom.

8. *Mithridates... ad Tigranem, Armeniæ regem* generumque suum, *confugit* a. U. 682; cf. Appian. Mithrid. 67, 82 sq. et Plut. Lucull. p. 503 sq.

Epit. XCVIII. 1. *Machares, filius Mithridatis, Bospori rex*, etc. conf. Appian. Mithrid. 67, 78, 83, 102, 113; Plut. Lucull. p. 507; Dio, lib. XXXVI, pag. 25; Oros. VI, 5.

2. *Cn. Lentulus et L. Gellius censores* a. Urb. 683, qui et simul consules fuerant (vide ad Epit. XCVI, 2), *asperam egerunt censuram*, ab a. 667 intermissam. Conf. Pigh. Ann. ad a. 683.

3. *Censa sunt civium capita* CCCCL *millia*; ita omnes editi: at MSS DCCC *millia*, DCCCCL *mil.*, DCCCC et DCCCCL *millia* habent, et Phlegon (in Bibl. Phot. cod. 92) DCCCCX *millia*. Hunc majorem numerum probant Lipsius, Elect. I, 27; Rualdus, ad Plut. Animadv. 85, et Voss. in Obss. quia sociis in civitatem receptis admodum auctus sit civium numerus. Eumdem vero continuis fere bellis, Cimbrico, sociali, civilibus, Mithridatico et servili, valde imminutum, et a. Urbis 667, civitate jam Italicis data, censa tantum civium CCCCLXIII millia fuisse (vid. Scalig. ad Euseb. Chron. Ol. 173, 4, et Pigh. Ann. ad a. 667),

prospere rem gessit[4]. Templum Jovis in Capitolio, quod incendio consumptum ac refectum erat, a Q. Catulo dedicatum est[5]. L. Lucullus in Armenia[6] Mithridatem et Tigranem et ingentes utriusque regis copias pluribus præliis fudit. Q. Metellus proconsul, bello sibi adversus Cretenses[7] mandato, Cydoniam urbem obsedit. C. Triarius, legatus Luculli, adversus Mithridatem parum prospere pugnavit[8]. Lucullum, ne persequeretur Mithridatem ac Tigranem summamque victoriæ imponeret, seditio militum tenuit, quia sequi nolebant, id est, quia legiones Valerianæ, impleta a se stipendia dicentes, Lucullum[9] reliquerunt.

adeoque saltem dubitari posse, monet Duker.

4. *L. Metellus prætor* a. Urbis 683 *in Sicilia*, ubi successit Verri, *adversus p. p. r. g.* conf. Oros. VI, 3, et Ern. Clav. Cic. — Pro *Sicilia* ante Sigonium legebatur *Cilicia*, quod ille recte mutavit. Ed.

5. *Templum Jovis in Capitolio, quod incendio consumptum* a. Urb. 670, *ac refectum erat, a Q. Catulo dedicatum est*, ita omnes MSS et ed. Camp. sed reliquæ edd. ante Sigon. *consumptum erat, refectum a Q. C. d. est*, et sane refectio etiam Capitolii Catulo mandata est, sed mortuo demum Sullæ, cui prius data erat. Conf. Tac. Hist. III, 72; Gell. II, 10; Suet. Cæs. 15; Dio, XXXVII, 44, XLIII, 14; Pigh. Ann. ad a. 670.

6. *L. Lucullus in Armenia*, etc. conf. Appian. Mithr. 83-88; Plut. in Lucullo, pag. 508 sq. Dio, lib. XXXV, 1 sq.

7. *Q. Metellus proc.* a. Urb. 685, *bellum adversus Cretenses* gerere cœpit, iisque intra triennium subactis leges dedit: quo et triumphum et Cretici cognomen meruit. Conf. Epit. XCIX et C.; Appian. de Reb. Sic. Exc. VI; Flor. III, 7; Oros. VI, 4; Vell. II, 34; Cic. l. Manil. XII, 16; Pigh. ad a. 685 sq.

8. *C.* (al. *L.*) *Triarius... pugnavit* a. Urbis 686; conf. Appian. Mithr. 88, 89, 112, 120; Plut. Lucull. pag. 515, et Pomp. pag. 639; Dio, XXXV, 10-13; Plin. VI, 3; Phlegon in Phot. Bibl. p. 147.

9. *Lucullum... reliquerunt;* conf. Appian. Mithr. 90; Dio, XXXV, 14-17; Plut. Lucull. pag. 514 sq.— *Legiones Valerianæ* duæ, quas, a L. Valerio Flacco cos. a. Urbis 669 in Asiam adductas, Valerio occiso, Fimbria occuparat, deinde vero Sulla, ex Asia discedens, ibi cum Murena reliquerat, et Lucullus postea junxerat exercitui suo; Duk. Conf. Appian. Mithr. 51, 52, 60, 64, 72; Dio, XXXV, 14, 15, 29. — Edidit Crev. *id est, legiones Valerianæ, quæ impleta*, etc. quod quidem se in vet. lib. reperisse testatur Sigon.: sed nostram lectionem tuentur plerique codices ap ud Drak. Ed.

EPITOME LIBRI XCIX.

Q. Metellus[1] proconsul Gnosson et Lyctum et Cydoniam et alias plurimas urbes expugnavit. L. Roscius tribunus plebis[2] legem tulit, ut equitibus romanis in theatro quatuordecim gradus proximi assignarentur. Cn. Pompeius, lege ad populum lata[3], persequi piratas jussus, qui commercium annonæ intercluserant, intra quadragesimum diem toto mari eos expulit; belloque cum iis in Cilicia confecto, acceptis in deditionem piratis agros et urbes dedit. Præterea res gestas a Q. Metello[4] adversus Cretenses continet, et epistolas Metelli et Cn. Pompeii in vicem missas. Queritur Metellus, gloriam sibi rerum gestarum a Pompeio præripi, qui in Cretam miserit legatum suum ad accipiendas urbium deditiones. Pompeius rationem reddit, hoc se facere debuisse.

Epit. XCIX. 1. *Q. Metellus*, etc. vide ad Epit. XCVIII, 7.

2. *L. Roscius* Otho *tribunus plebis* a. 686 *legem tulit* theatralem, *ut equitibus rom.* (iis tantum, quibus census equester esset) *in theatro* XIV *gradus proximi assignarentur;* vide ad Juven. III, 153 sqq. XIV, 323 sq. ad Tac. Ann. XV, 32; Ern. Clav. Cic. in Ind. leg.; intpp. Vell. II, 32; Plut. Cic. pag. 867; Hard. ad Plin. VII, 30 seu 31, et XXXIII, 2 seu 8. — *Proximi*, cui? Forte excidit *orchestræ*, aut leg. *primi*, scil. post orchestram; Duk. Conf. Horat. Epod. IV, 15, ibique Mitscherl.

3. *Cn. Pompeius, lege ad populum lata* a. Urb. 686, ab A. Gabinio trib. pl., cui L. Trebellius trib. pleb. et Q. Hortensius frustra resistebant, *persequi piratas jussus... dedit;* cf. Dio, XXXVI, 1-20; Appian. Mithr. 91, 94 sq. et Bell. Civ. I, 111; Plut. Pomp. pag. 631-634; intpp. Flori, III, 6; Eutrop. VI, 12, et Velleii, II, 31, 32.

4. *Præterea res gestas a Q. Metello... debuisse;* conf. Epit. XCVIII, 7; Plut. Pomp. p. 633, 634. — Pro *gloriam sibi rerum gestarum a Pompeio præripi*, quod MS Berg. legebatur antea: *rerum a se gestarum a Pompeio præteriti;* quod sane inelegans erat, atque mendosum. Ed.

EPITOME LIBRI C.

C. Manilius, tribunus plebis, magna indignatione nobilitatis legem tulit, ut Pompeio Mithridaticum bellum mandaretur[1]. Concio ejus bona. Q. Metellus, perdomitis Cretensibus, liberæ in id tempus insulæ leges dedit[2]. Cn. Pompeius, ad gerendum bellum adversus Mithridatem profectus, cum rege Parthorum Phraate amicitiam renovavit; equestri prælio Mithridatem vicit. Præterea bellum inter Phraatem Parthorum regem et Tigranem Armeniorum, ac deinde inter Tigranem filium patremque gestum, continet[3].

EPITOME LIBRI CI.

Cn. Pompeius Mithridatem, nocturno prælio victum, coegit Bosporon profugere. Tigranem in deditionem accepit, eique, ademptis Syria, Phœnice, Cilicia, regnum Armeniæ restituit[1]. Conjuratio eorum, qui in petitione[2] consulatus ambitus damnati erant, facta de interficiendis consulibus, oppressa est. Cn. Pompeius, quum Mithridatem persequeretur, in ultimas ignotas-

Epit. C. 1. *C. Manilius trib. pl.* a. Urb. 687, *magna... mandaretur;* cf. Dio, XXXV, 25 sq. Plut. Pomp. pag. 634; Vell. II, 33; Cic. pro lege Manil.—*Concio ejus bona;* hic suspicatur Crev. aliquid esse vitii, sed parvi rem esse. Vid. cæterum ad Epit. XCIII, 4. Ed.

2. *Q. Metellus... dedit;* vide ad Epit. XCVIII, 7, et XCIX, 4.

3. *Cn. Pompeius... cum rege Parthorum Phraate... bellum inter Phraatem et Tigranem, ac inter Tigranem filium patremque g. c.* conf. Appian. Mithr. 104-106; Plut. Pomp. p. 636 sq. Dio, XXXVI, 28, 34 sq. Vell. II, 37. — Pro *ad gerendum bellum*, Doujat. et Cler. *ad regendum bellum* ediderunt, invitis omnibus libris. Ed.

Epit. CI. 1. *Cn. Pompeius Mithridatem... Tigranem... restituit;* cf. Appian. Mithr. 98-102, 104 sq. 114; Plut. l. l. Dio, XXXVI, 31 sq. Vell. II, 37.

2. *Conjuratio eorum, qui in petitione*, etc. hi erant P. Antronius et P. Sulla, eorumque socii, præter alios, Catilina, Cn. Piso, Cæsar et Crassus, quem a Cicerone argui au-

que gentes penetravit. Iberos Albanosque, qui transitum non dabant, prælio vicit. Præterea fugam Mithridatis per Colchos Heniochosque, et res ab eo in Bosporo gestas continet[3].

EPITOME LIBRI CII.

Cn. Pompeius in provinciæ formam Pontum redegit. Pharnaces, filius Mithridatis, bellum patri intulit. Ab eo Mithridates obsessus in regia, quum veneno sumpto parum profecisset ad mortem, a milite gallo, nomine Bitœto, a quo, ut adjuvaret se, petierat, interfectus est[1]. Cn. Pompeius Judæos subegit : fanum eorum in Hierosolyma, inviolatum ad id tempus, cepit[2]. L. Catilina, bis repulsam in petitione consulatus passus, cum Lentulo prætore et Cethego et pluribus aliis conjuravit de cæde consulum et senatus, incendiis Urbis et opprimenda republica; exercitu quoque

ctorem conjurationis, a Pisone et Catilina factæ, Ascon. ad princip. Cicer. or. in toga cand. scribit; Duk. Conf. Suet. Cæs. 9; Dio, XXXVI, 27; Pigh. ad a. 687; Sallust. Catil.

3. *Cn. Pompeius, quum Mithridatem... continet;* conf. Appian. Mithr. 101-103; Dio, XXXVI, 33, 37, et XXXVII, 1-7; Plut. Pomp. p. 637 sq. Aur. Vict. Vir. illustr. 77; Vell. II, 40; Plin. VI, 11 sq. Strab. XI, 752, 765 sq.

Epit. CII. 1. *Cn. Pompeius in prov. f. Pontum redegit. Pharnaces, filius Mithrid., bellum patri intulit... Mithridates... interf. est* a. U. 690. Cf. Appian. Mithrid. 109-112; Plut. Pomp. p. 641; Dio, XXXVII, 10-14. — *Quum veneno sumpto parum profecisset ad mortem* accelerandam : nam ab ineunte ætate antidotis (Mithridaticis) se adversus venena munierat. Conf. ad Juvenal. VI, 661, XIV, 252; Gell. XVII, 16; Appian. et Dio ll. ll. — *A milite gallo, nomine Bitæto* ex emend. Sigon. *Bitocho, Bitoco, Biroco, Bithocco, Bithoco* MSS et edd. vett. Conf. ad Epit. LXI, 4; Fabric. ad Oros. VI, 6, et intpp. Aurel. Vict. de Vir. ill. 76; ubi *Sithocus* dicitur. — Gallum hunc forte *Bituitum* vocatum esse, conjicit Gruterus ad Aur. Vict. l. l. « Sane, ait Drakenborchius, Βίτοιτος Appiani et Βιτουΐτος una tantum litera differunt: Appiani etiam interpres vocem græcam reddidit *Bituitus*. *Bituitum* Arvernorum regem memorat auctor supra, Epit. LXI, de cujus tamen loci vera dictione non convenit ». Ed.

2. *Cn. Pompeius Judæos subegit: fanum eorum in Hierosolyma* (vide ad

in Etruria comparato. Ea conjuratio industria M. Tullii Ciceronis eruta est. Catilina Urbe pulso, de reliquis conjuratis supplicium sumptum est[3].

EPITOME LIBRI CIII.

Catilina a C. Antonio proconsule[1] cum exercitu cæsus est. P. Clodius accusatus[2], quod in habitu muliebri in sacrarium, in quod virum intrare nefas est, intrasset, et uxorem maximi pontificis stuprasset, absolutus est. C. Pontinius prætor[3] Allobrogas, qui

Liv. XXXVIII, 39, n. 4), *inviolatum* usque *ad id tempus* (ut passim; vid. Drak.), *cepit;* conf. Appian. Mithrid. 106; Joseph. Bell. Jud. I, 5 sq. et Antt. Jud. XIV, 4 sq. Dio, XXXVII, 15-19; Oros. VI, 6; Strab. XVI, 763.

3. L. Sergius *Catilina... sumptum est* a. Urb. 690, quæ vel tironibus nota ex Ciceronis oratt. Catil. et Sallustio. Conf. Dio, XXXVII, 10, 29-42, et Appian. Bell. Civ. II, 2-7. — *Ea conjuratio... eruta est;* vid. Gronov. ad Sen. de Clem. I, 22. *Exstincta est* Boend. et edit. Camp. ut apud Oros. VI, 6. Sed ex glossa id natum puto; Drakenb.

Epit. CIII. 1. *A C. Antonio proc.* conf. Dio, XXXVII, 39.

2. *P. Clodius accusatus* a. U. 692, *quod in habitu muliebri* psaltriæ *in sacrarium*, locum, ubi sacra Bonæ Deæ agerentur (ut apud Liv. XXXIX, 9 sq. 13, 15), domum Cæsaris, *in quod virum intrare nefas est, intrasset, et* Pompeiam, *uxorem maximi pontificis*, Cæsaris, *stuprasset*, *absolutus est;* conf. ad Juvenal. VI, 337 sq. in Cæs. p. 711 sq. et in Cic. pag. 874 sq. Dio, XXXVII, 45, 46; Cic. ad Att. I, 5, 11-19, pro Pis. 22 sq. de Prov. Cons. 5 sq. pro Mil. 27; Suet. Cæs. 74; Sen. ep. 97. *Uxorem maximi pontificis* ex emend. virorum doctorum pro *uxorem Metelli pontificis* vel *Ponti* et *Pontii* et *Pon.* quas lectiones ex compendio scripturæ *M. Pont.* vel ex eo ortas putant, quod Metellus Pius pontifex max. fuerit ante Cæsarem. Quæ conjecturæ si veræ sunt, erravit certe auctor Epit. cum aliis, aut minus apte *max. pont.* pro *prætoris* dixit: nam Cæsar quidem pontifex maximus tum fuit, sed et prætor (vid. Dio, XXXVII, 37, 44), ac sacra Bonæ Deæ in ædibus consulum aut (illis forte absentibus) prætorum, non pontificis maximi, agi solebant; vid. Cic. de Har. resp. 17; Dio, lib. XXXVII, 45; Plut. in Cæs. p. 711, et in Cic. p. 870.

3. *C. Pontinius prætor* anno Urb. 690, consule Cicerone, cujus necessarius fuit, *Allobrogas ad Solonem domuit*, et de iis triumphavit a. Urb. 699. Nomen ejus varie scribitur in MSS, Fastis et lapidibus, *Pontinus*, *Pontinius*, *Pomtinus*, *Pomptinus*, *Pomptinius*. Cf. Reimar. ad loc. class. Dion. XXXVII, 47, 48, XXXIX, 65; Goltz. in Fast. ad a. Urb. 699 (ubi in nummo *C. Pontinii* præt. victoria et triumphus de Allobrogibus memora-

rebellaverant, ad Solonem domuit. P. Clodius ad plebem transiit[4]. C. Cæsar Lusitanos subegit[5]; eoque consulatus candidato, et captante rempublicam invadere, conspiratio inter tres principes civitatis facta est, Cn. Pompeium, M. Crassum, C. Cæsarem. Leges agrariæ[6] a Cæsare consule cum magna contentione, invito senatu et altero consule M. Bibulo, latæ sunt. C. Antonius proconsul in Thracia parum prospere rem gessit[7]. M. Cicero, lege a P. Clodio tribuno plebis lata, quod indemnatos cives necavisset, in exsilium missus est[8]. Cæsar, in provinciam Galliam profectus,

tur); Ernesti Clav. Cic. in ind. hist. voc. *Pomtinus;* Cort. ad Sall. Catil. 45; Oudend. ad Front. II, 4, § 7; Fabrett. p. 640; Donius, class. II, 189, XVI, 4, et Gruter.—*Salonem;* Dio, XXXVII, 48, *Solonium* aut *Solomium* vocat. — *Ad Solonem* edidit Doujatius, sed verisimiliter, observat Drak., operarum errore, quia in notis nihil monuit, et in supplementis Freinshemii urbem ex auctoritate Dionis *Solonium* vocat. Errorem editionis Doujat. servarunt Clericus et Creverius. Ed.

4. *P. Clodius ad plebem transiit* a. Urb. 693, ex patricio factus est plebeius, adoptatus a P. Fonteio plebeio homine et natu etiam minore, ut tribunus pl. fieri, et a Cicerone inimico ultionem petere posset. Cf. Plut. Cic. p. 875 sq. Dio, XXXVII, 51, XXXVIII, 12; Cic. pro domo, XIII, 29, ad Attic. I, 18 sq. II, 7; Suet. Cæs. 20, et Tib. 2. Cæterum de Dolabella idem tradit Dio, XLII, 29.

5. *C. Cæsar* pro prætore *Lusitanos* et Gallæcos *subegit*, et rediit ex obærato locuples factus, sed triumphum, ne consulatu excluderetur, dimisit; vid. Plutarch. Cæs. p. 712 sq. Appian. Bell. Civ. lib. II, c. 8; Dio, XXXVII, 52 sq. Sueton. Cæs. 18; Pigh. Ann. ad a. Urb. 692. — *Eoque consulatus candidato... conspiratio* (τριπάρτινον) *inter tres p. c. facta est, Pompeium, Crassum, Cæsarem* Lucæ a. Urb. 693. Conf. Appian. Bell. Civ. II, 9, 14; Plut. in Crasso, p. 551 sq. in Pomp. p. 643 sq. in Cæs. p. 713 sq. Dio, XXXVII, 54-58; Sueton. Cæs. 19; Vell. II, 44.

6. *Leges agrariæ* (lex agraria Julia de agro Campano et Stellate, xx millibus civium, quibus terni pluresve liberi essent, a xx viris dividendo) *a Cæsare cos.* a. Urb. 684 aut 695. — *Invito senatu et altero consule M. Bibulo latæ sunt;* vid. Plut. ll. ll. Dio, XXXVIII, 1-8; Appian. Bell. Civ. II, 10 sq. Cic. pro Planco, V, 14, Phil. V, 19, ad Attic. II, 2, 16-19; Vell. II, 44; Sueton. Cæs. 20, Aug. 4; Goes. Script. Rer. agr. p. 530; Mazoch. de Amphith. Camp. p. 14 sq.

7. *C. Antonius proc.* oratoris filius, Ciceronis in consulatu collega *in Thracia parum prospere rem gessit;* conf. Plut. in Cæs. p. 708, in Cic. p. 866; Dio, lib. XXXVIII, 10 sq. Ernesti Clav. Cic.

8. *M. Cicero, lege* post alias *a P. Clodio trib. pl. lata, quod indem-*

Helvetios, vagam gentem, domuit; quæ, sedem quærens, per provinciam Cæsaris Narbonem iter facere volebat[9]. Præterea situm Galliarum continet. Pompeius de liberis Mithridatis, Tigrane et Tigranis filio, triumphavit[10]; Magnusque a tota concione consalutatus est[11].

EPITOME LIBRI CIV.

Prima pars libri situm Germaniæ moresque continet. C. Cæsar, quum adversus Germanos, qui Ariovisto duce in Galliam transcenderant, exercitum duceret, rogatus ab Æduis et Sequanis, quorum ager possidebatur, trepidationem militum, propter metum novorum hostium ortam, allocutione exercitus inhibuit, et victos prælio Germanos Gallia[1] expulit.

natos cives, Catilinæ socios, *necasset, in exsilium missus est*, bona quoque ejus publicata sunt, et in dirutæ domus area ædes Libertatis exstrui cœpta. Conf. Plut. Cic. pag. 875 sq. Dio, XXXVIII, 13-30; Cic. pro Sexto, 15, 25 sq. pro domo, 17 sq. pro Pis. 4, 8, 10, ad Quintum fratrem, I, 3 sq. ad Att. III, 4; Appian. Bell. Civ. II, 14, 15; Pigh. Ann. ad a. 695.

9. *Cæsar in provinciam Galliam... volebat* duce Orgetorige; conf. Plut. Cæs. pag. 714 sq. Cæs. Bell. Gall. I, 2-29; Dio, XXXVIII, 31 sq. Flor. III, 10. — *Per provinciam Cæsaris Narbonem*, forte *Narbonensem*, scil. in aliam Galliam, quæ non erat provincia; Gron. *Narbonem* abest a cod. Leid. et potest abesse ob præc. *provinciam Galliam*; Drak.

10. *Pompeius de liberis Mithridatis... triumphavit*, sed jam a. Urbis 692, ad quem vid. Pigh. Hinc ordinem rerum verborumque vel librarii turbarunt, vel ipse auctor, sicut in Epit. CXXXIX extr. Præterea Gron. emend. *Pompeius de Mithridate, ductis ante currum Mithridatis liberis et Tigrane, Tigranis filio, triumphavit.* Id firmant Appian. Mithr. 116, 117; Plut. Pomp. p. 642; Eutrop. VI, 16.

11. *Magnusque a tota concione consalutatus est:* quod cognomen quando et a quo acceperit, varie traditur; vid. Duk. ad h. l. (qui illud primum a Sulla post res in Africa gestas, deinde vulgo, ac postremo post hunc triumphum a tota populi concione ei datum esse suspicabatur) Liv. XXX, 45 extr. Appian. Mithr. 97, 118, 121, et Bell. Civ. I, 4, II, 86; Plut. Crass. p. 546, et Pomp. p. 625; Plinius, VII, 26 seu 27, et Spanhem. ad Juliani Cæs. pag. 167, ed. Amst.

Epit. CIV. 1. *C. Cæsar... Germanos Gallia expulit;* conf. Cæs. Bell. Gall. I, 30 sq. Dio, XXXVIII, 34

M. Cicero, Pompeio inter alios orante, et T. Annio Milone tribuno plebis agente, ingenti gaudio senatus ac totius Italiæ, ab exsilio reductus est [2]. Cn. Pompeio per quinquennium annonæ cura mandata est [3]. Cæsar Ambianos [4], Suessiones, Veromanduos, Atrebates, Belgarum populos, quorum ingens multitudo erat, prælio victos in deditionem accepit; ac deinde contra Nervios unius civitatis cum magno discrimine pugnavit, eamque gentem delevit; quæ bellum gessit, donec ex sexaginta millibus armatorum trecenti superessent, ex sexcentis senatoribus tres tantum evaderent. Lege lata [5] de redigenda in provinciæ formam Cypro, et publicanda pecunia regia, M. Catoni administratio

sq. Plut. Pomp. pag. 716 sq. Flor, III, 10. — Pro *in Galliam transcenderant*, edebatur olim *descenderant*; sed plerique codices *transcenderant*, et hoc verbum Livio frequens. Vide exempla quæ affert Drakenb. ad hunc locum. Ed.

2. *M. Cicero... ab exsilio reductus est;* vid. Pigh. Ann. ad annum 696; Appian. Bell. Civ. II, 16; Plut. Cæs. pag. 877 sq. Dio, XXXVIII, 30, XXXIX, 6 sq. Cic. pro Sext. 31 sq. ad Div. V, 4, ad Att. III, 22 sq. IV, 1 sq. oratt. pro domo, de Har. Resp., post reditum ad Quirites et in senatu. — Vox *agente*, a Sigon. inserta, apprime convenit: nam Milo non tantum pro reditu Ciceronis oravit, sed etiam Clodium, qui legem ea de re ferri impediebat, licet gladiatoribus armatum, lege Plotia de vi postulavit, et quum judicia sublata videret, gladiatores emit, quibus conatus furoresque Clodii comprimeret; Drakenborch.

3. *Cn. Pompeio per quinquennium annonæ cura mandata est* eodem anno, quo Cicero rediit ex exsilio; vid. Appian. Bell. Civ. II, 18; Plut. Pomp. pag. 646; Dio, XXXIX, 9, 24; Cic. ad Att. IV, 1, et pro domo, 7; 10.

4. *Cæsar Ambianos*, etc. conf. Cæs. Bell. Gall. II, 3 sq. — *Contra Nervios unius civitatis* (*unam horum civitatem*, sc. Belgarum malebant Gron. et Crever.)... *ex LX millibus*, etc. codices admodum variant. Cf. Drak., et Cæs. Bell. Gall. II, 28; Plut. Cæs. pag. 717, 718; Dio, XXXIX, 3.

5. *Lege lata* a P. Clodio trib. pl. a. Urbis 695 *de redigenda..... Cypro..... M. Catoni*, etc. conf. Plut. Cat. min. p. 776; Appian. Bell. Civ. II, 23; Dio, XXXVIII, 30, XXXIX, 22 sq. LIII, 12; Cic. pro domo, 8 sq. Strab. XIV, 684 sq. Vell. II, 38, 45; Ammian. XIV, 27; Flor. III, 9. — Pro *M. Catoni*, male plerique editi, *C. Catoni*. Ed. — *Ptolemæus, Ægypti rex, ob injurias, quas patiebatur a suis, regno pulsus:* verba *regno pulsus* absunt a cod. Leid. et, quod jam Duker. et Drak. monuere, suspecta sunt, quia Ptolemæus sponte regno cessit, et injurias non tam passus est, quam civibus propter ex-

ejus rei mandata est. Ptolemæus, Ægypti rex, ob injurias, quas patiebatur a suis, regno pulsus, Romam venit. C. Cæsar Venetos, gentem Oceano junctam, navali prælio vicit[6]. Præterea res a legatis ejus eadem fortuna gestas continet.

EPITOME LIBRI CV.

Quum C. Catonis tribuni plebis[1] intercessionibus comitia tollerentur, senatus vestem mutavit. M. Cato in petitione præturæ, prælato Vatinio[2], repulsam tulit. Idem, quum legem impediret[3], qua provinciæ consulibus in quenquennium, Pompeio Hispaniæ, Crasso Syria et Parthicum bellum, Cæsari Gallia et Germania dabantur, a C. Trebonio tribuno plebis, legis auctore,

actiones pecuniarum intulit, neque ob illas, sed ob has rex pelli solet, nisi post *regno pulsus* intelligi potest, *ut ferebat* aut *querebatur*. Cf. Plut. l. l. et Pomp. p. 645; Dio, XXXIX, 12-16. *Ob injurias, quas patiebantur, a suis regno pulsus* edd. vett. forte rectius.

6. *C. Cæsar Venetos... vicit* tertio expeditionis gallicæ anno Urb. cond. 697, in Gallia Celtica, seu Lugd. ubi Venetia, Venetorum caput, hodie *Vannes*, seu *Vennes* in Britannia inf., *Basse-Bretagne*. Conf. Strab. IV, 4, § 1, p. 195; Cæs. Bell. Gall. III, 7 sq. Dio, XXXIX, 40 sq.

Epit. CV. 1. *C. Catonis trib. pl.* qui primum reductionem Ptolemæi (vide ad Epit. CIV, 4) impedire conatus erat, et deinde a Pompeio et Crasso, consulatum ambientibus, subornatus *comitia tollebat*, etc. conf. Dio, XXXIX, 15, 27, 28; Manut. ad Cic. ad Quintum fratrem, II, 6; Non. voc. *rumor*; Pigh. Ann. ad a. Urb. 697 sq. Ern. Clav. Cic.

2. *M. Cato... prælato* P. *Vatinio*, sordido scelestoque homine, quem Cn. *Pompeius* et *M. Crassus*, alterum per vim adepti *consulatum* et Catonem adversarium veriti, adjuverant; vid. Pigh. Ann. ad a. 698; Plut. Pomp. p. 646 sq. in Cat. min. pag. 779 sq. Dio, XXXIX, 26-32; Ern. Clav. Cic. — *Provinciæ consulibus*; legebatur antea *consulares*, quod Sigonius mutavit. Ed.

3. *Idem* M. Cato, *quum legem impediret*, etc. conf. Plut. ll. ll. et in Crasso, p. 552, et in Cæs. p. 718; Dio, XXXIX, 33-36; Appian. Bell. Civ. II, 17, 18; Suet. Cæs. 24; Pigh. l. l. — *Cæsari Gallia et Germania*: de Germania nihil apud alios proditum inveni, et Cæsar bellum quidem gessit adversus Germanos, sed ipse causam ejus quæsivit Germanis per fraudem circumventis et perfidia eorum ambitioni et crudelitati suæ prætexta; Duker. Conf. Plut. Cæs. p. 718, et Cat. min. pag. 784; Suet. Cæs. 24; Dio,

in vincula ductus est. A. Gabinius proconsul[4] Ptolemæum reduxit in regnum Ægypti, ejecto Archelao, quem sibi regem adsciverant. Cæsar, victis[5] Germanis in Gallia cæsisque, Rhenum transcendit, et proximam partem Germaniæ domuit; ac deinde Oceano in Britanniam, primo parum prospere tempestatibus adversis, trajecit; iterum parum felicius; magnaque multitudine hostium cæsa, aliquam partem insulæ in potestatem redegit.

EPITOME LIBRI CVI.

Julia Cæsaris filia, Pompeii uxor, decessit; honosque ei populo habitus est, ut in campo Martio sepeliretur[1]. Gallorum aliquot populi, Ambiorige duce Eburonum, defecerunt; a quibus Cotta[2] et Titurius,

XXXIX, 48; Cæs. Bell. Gall. IV, 13.

4. *A. Gabinius proc.* Syriæ, quam lege Clodia acceperat, *Ptolemæum* a. U. 698 *reduxit in regnum Ægypti, ejecto Archelao*, immo cum Berenice filia, quæ ei nupserat, occiso; Duk. Conf. Dio, XXXIX, 55-65; Appian. Syr. 51, et Bell. Civ. II, 24; Strab. XVII, 796; Plut. Anton. p. 916 sq. Joseph. Antt. Jud. XIV.

5. *Cæsar victis Germanis*..... primus Romanorum et quidem bis et *Rhenum transcendit* inter Ringium Moguntiamque (a. Urbis 699 adversus Sicambros, et a. Urb. 701 adversus Suevos proficiscens), et *in Britanniam trajecit* ex portu Ittio seu Iccio a. 699 et 700. Conf. Cæs. Bell. Gall. IV, 16 sq. 20 sq. V, 2, 11 sq. VI, 9 sq. Plut. Cæs. pag. 718 sq. Dio, XXXIX, 48-53, XL, 1-11; Strab. IV, 5, § 2, 3, p. 199 sq. Tacit. Agric. 13. — *Iterum parum felicius:* vox *parum* ex verbis præc. perperam repetita; Gron. et Drak. — *Aliquam partem insulæ;* veteres editiones *reliquam* pro *aliquam* exhibent, sed perperam. Nam Tacit. l. l. scribit Cæsarem, qui primum in Britanniam legiones romanas duxit, prospera pugna terruisse incolas, et litoris tantum potitum esse. Ed.

Epit. CVI. 1. *Julia, Cæsaris filia, Pompeii uxor, decessit,... ut in campo Martio sepeliretur;* conf. ad Epit. XC, 1; Plut. Pomp. pag. 644, 647, in Cæs. pag. 714, 719; Suet. Cæs. 12, 26; Dio, XXXIX, 64, XL, 44; Appian. Bell. Civ. II, 19.

2. *Gallorum aliquot populi, Ambiorige duce Eburonum..... a quibus* L. Aurunculeius *Cotta et Q. Titurius* Sabinus... *in Nerviis Q. Cicero* M. frater, etc. conf. Dio, XL, 4-11; Plut. Cæs. p. 719; Cæs. Bell. Gall. V, 24-58; Oros. VI, 10. Cæterum cum Gron. leg. *interque ea, quibus in Nerviis* (male *Treviris* MSS et edd. antt.)

legati Cæsaris, circumventi insidiis, cum exercitu, cui præerant, cæsi sunt : et quum aliarum quoque legionum castra oppugnata magno labore defensa essent, interque eos, qui in Nerviis præerat, Q. Cicero, ab ipso Cæsare hostes prælio fusi sunt. M. Crassus, bellum Parthis illaturus[3], Euphratem fluvium transiit, victusque prælio, in quo et filius ejus cecidit, quum reliquias exercitus in collem recepisset, evocatus in colloquium ab hostibus, velut de pace acturis, quorum dux erat Surenas, comprehensus, et, ne quid vivus pateretur, repugnans interfectus est.

EPITOME LIBRI CVII.

C. Cæsar, Treviris in Gallia victis, iterum in Germaniam transiit; nulloque ibi hoste invento, reversus in Galliam, Eburones et alias civitates, quæ conspiraverant, vicit, et Ambiorigem in fuga persequutus est[1]. P. Clodii, a T. Annio Milone[2], candidato consulatus, Appia via ad Bovillas occisi corpus plebs in Curia cremavit. Quum seditiones inter candidatos consulatus, Hypsæum, Scipionem et Milonem essent,

præerat Q. Cicero, vel cum Drakenb. *inter quæ ejus, qui in N. p. Q. Ciceronis.* Conf. Epit. LXXVII, LXXX, CVII.

3. *M. Crassus* proc. *bellum Parthis illaturus... interfectus est* a. Urb. 700. Conf. Plut. Crass. pag. 552-565 (ex quo ad verbum fere expressa est hist. Parth., quæ vulgo tribuitur Appiano); Dio, XXXIX, 39, XL, 12-30; Joseph. Ant. Jud; XIV, 12; Bell. Jud. 1, 6; Justin. XLII, 4; Oros. VI, 13; Vell. II, 46; Flor. III, 11; Strab. XVI, 1083 sq.—*Velut de pace acturis;* vett. edd. *acturus;* sed *acturis* omnes codd. habent, et historiæ fides postulat. Ed. — *Surenas* seu Surena dicebatur Parthis, qui dignitate secundus erat a rege; vid. Plut. Crass. p. 556; ad Tacit. Ann. VI, 42, u. 6; Brisson. de regno Pers. lib. I, p. 7 et 134.

Epit. CVII. 1. *C. Cæsar, Treviris... persequutus est* a. Urb. 700. Conf. Dio, XL, 31 sq. Cæs. Bell. Gall. VI, 3-8, 29 sq. Plut. Cæs. p. 719. Ante *persequutus est*, quod frigide dicitur, excidisse *frustra*, conjicit Duk. coll. Cæs. Bell. Gall. VI, 30 et 43.

2. *P. Clodii, a. T. Annio Milone... Milo j. d. in exsilium actus est;* vid. Pigh. Ann. ad annum 701; Plut. Cic. p. 878; Dio, XL, 48-55; Appian. Bell. Civ. II, 20-24; Cic. Or. pro Milone, et ad eam Ascon.—*Cn. Pompeius*

qui armis ac vi contendebant; ad comprimendas eas Cn. Pompeius legatus a senatu consul tertium factus est, absens et solus, quod nulli alii unquam contigit. Quæstione decreta de morte P. Clodii, Milo judicio damnatus in exsilium actus est. Lex lata est, ut ratio absentis Cæsaris in petitione consulatus[3] haberetur, invito et contradicente M. Catone. Preterea res gestas a C. Cæsare adversus Gallos, qui prope universi, Vercingentorige Arverno duce, defecerunt, et laboriosas obsidiones urbium continet: inter quas Avarici Biturigum, et Gergoviæ Arvernorum[4].

EPITOME LIBRI CVIII.

C. Cæsar Gallos ad Alesiam vicit, omnesque Galliæ civitates, quæ in armis fuerant, in deditionem accepit[1]. C. Cassius, quæstor M. Crassi, Parthos, qui in Syriam transcenderant, cecidit[2]. In petitione consulatus M. Cato[3] repulsam tulit, creatis consulibus Ser. Sulpicio, M. Marcello. C. Cæsar Bellovacos cum aliis

legatus a senatu, forte *delegatus*, aut *rogatus:* hanc enim speciem ambitioni suæ circumdedit; Gron.

3. *Lex lata est* a *X* tribunis pl., *ut ratio absentis Cæsaris in petitione consulatus haberetur;* conf. Appian. Bell. Civ. II, 25; Dio, XL, 51, 56; Plut. Pomp. pag. 649; Flor. IV, 2; Cic. ad Att. VII, 3, VIII, 3, et, qui accuratissime rem tradit (vid. Duk.); Suet. Cæs. 26 et 28. — Tò *lata* debetur Sigonio, qui reposuit verbum in hac re proprium, pro *dicta* vel *data*, quomodo libri, sive editi, sive scripti habebant. Ed. — *Invito et c. M. Catone*, quod verisimile quidem est, nec tamen alibi, quod sciam, legitur; Duker.

4. *Præterea res gestas... Arvernorum;* conf. Plut. Cæs. pag. 720 sq. Strab. IV, 2, § 3, p. 191; Dio, XL, 33-41; Cæs. Bell. Gall. VII, 4 sq. Oros. VI, 11; Flor. III, 10, § 20.— *Vercingentorix* plerisque *Vercingetorix* dicitur; Plut. *Vergentorix*. Conf. intpp. Flori.

Epit. CVIII. 1. *C. Cæsar Gallos ad Alesiam vicit... accepit;* conf. Cæs. Bell. Gall. VII, 68 sq. Oros. VI, 11; Flor. III, 10; Vell. II, 47. *Alexiam* MSS et edd. vett. male; vid. Diodor. IV, 158.

2. *C. Cassius* Longinus... *Parthos... cecidit;* conf. Plut. Crass. p. 554; Dio, XL, 25, 28, 29; Vell. II, 46; Oros. VI, 13.

3. *In petitione consulatus M. Cato*, etc. vid. Pigh. Ann. ad a. 702; Dio,

Gallorum populis domuit. Præterea contentiones inter consules[4] de successore C. Cæsari mittendo, agente in senatu M. Marcello consule, ut Cæsar ad petitionem consulatus veniret, quum is lege lata in id tempus consulatus provincias obtinere deberet, resque a M. Bibulo in Syria gestas[5] continet.

EPITOME LIBRI CIX.

Causæ civilium armorum[1] et initia referuntur, contentionesque de successore C. Cæsari mittendo, quum se dimissurum exercitus negaret, nisi a Pompeio dimitterentur. Et C. Curionis tribuni plebis primum adversus Cæsarem, dein pro Cæsare actiones continet. Quum senatusconsultum factum esset, ut successor Cæsari mitteretur, M. Antonio et Q. Cassio tribunis plebis, quoniam intercessionibus id senatusconsultum impediebant, Urbe pulsis, mandatum est a senatu consulibus et Cn. Pompeio, ut viderent, ne quid

XL, 58; Plutarch. Cat. min. p. 783.

4. *Præterea contentiones inter consules*, etc. conf. Dio, XL, 59, et ad Epit. CIX pr. — Mox delendum τὸ *id*, et leg. *in tempus consulatus*, h. e. in solidum decennium; Gronov. coll. Cæs. Bell. Civ. III, 1. — Omittuntur in Voss. verba, *veniret, quum is lege lata in id tempus consulatus*, sed errore librarii, cui peccandi ansa fuit vocis *consulatus* repetitio. Vid. Drak. ad Liv. IX, 11, § 11. Ed.

5. *Resque a M. Bibulo* proc. *in Syria gestas*, qui cæso M. Crasso bellum Parthicum confecit; vid. Pigh. Ann. ad a. U. 703, Dio, XL, 30; Cic. ad Div. II, 10, XV, 3 sq. ad Att. V, 20.

Epit. CIX. 1. *Causæ civilium armorum*, belli inter Pompeium et Cæsarem gesti... *contentionesque de successore Cæsari mittendo... C.* Scribonii *Curionis actiones... M. Antonio et Q. Cassio..... caperet;* vid. Pigh. Ann. ad a. 703, 704; Appian. II, 25-34; Dio, XL, 59-66, XLI, 1-3; Plutarch. in Pomp. p. 649 sq. in Cæs. p. 722 sq. in Anton. p. 917 sq. Hirt. Bell. Gall. VIII, 50 sq. Cæs. Bell. Civ. I, 1 sq. Suet. Cæs. 28 sq. Cic. ad Attic. VII, 1, 7, ad Div. VIII, 6, 10, 13, XVI, 11; Vell. II, 48 sq. — *Primum adversus Cæsarem, dein pro Cæsare actiones:* hanc lectionem Sigon. concinnavit ad historiæ fidem. Ipse inveniebat in libris: *primum adversum Cæsarem de populo romano Cæsare actiones.* Ed. — *Ut viderent, ne quid resp. d. c.* vide ad Liv. III, 4.

respublica detrimenti caperet. C. Cæsar, bello inimicos persequuturus[2], cum exercitu in Italiam venit; Corfinium cum L. Domitio et L. Lentulo cepit, eosque dimisit. Cn. Pompeium cæterosque partium ejus Italia expulit.

EPITOME LIBRI CX.

C. Cæsar Massiliam[1], quæ portas ipsi clauserat, obsedit; et, relictis in obsidione urbis ejus legatis, C. Trebonio et D. Bruto, profectus in Hispaniam, L. Afranium et M. Petreium, legatos Cn. Pompeii, cum septem legionibus ad Ilerdam in deditionem accepit, omnesque incolumes dimisit, Varrone quoque legato Pompeii cum exercitu in potestatem suam redacto. Gaditanis civitatem dedit. Massilienses, duobus navalibus præliis victi, post longam obsidionem potestati Cæsaris se permiserunt. C. Antonius[2], legatus Cæsaris, male contra Pompeianos in Illyrico rebus gestis, captus est. In quo bello Opitergini Transpadani, Cæsaris auxiliares, rate sua ab hostilibus navibus clausa, potius, quam in potestatem hostium venirent, inter se concurrentes occubuerunt. C. Curio, legatus[3] Cæsaris in Africa, quum prospere adversus

2. *C. Cæsar bello inimicos persequuturus;* edd. ante Sigon. *persequutus.* Sed et sensus et vetustæ lectionis auctoritas probant legendum esse *persequuturus.* Ed. — *In Italiam venit* transgressus Rubiconem... *Corfinium cum L. Domitio et L.* (immo *P.*) *Lentulo... Italia expulit;* cf. Appian. Bell. Civ. II, 34-40; Plut. in Pomp. p. 651, in Cæs. p. 723; Dio, XLI, 4-14; Cæs. Bell. Civ. I, 7 sq. Cic. ad Att. VII, 11, 14, 17 sq. VIII, 1, 13, IX, 13; Suet. Cæs. 31 sq.

Epit. CX. 1. *C. Cæsar Massiliam... se permiserunt;* conf. Cæs. Bell. Civ. I, 34-87, II, 1-22; Appian. Bell. Civ. II, 40 sq. Dio, XL, 15-25.

2. *C. Antonius... Opitergini Transpadani,* etc. conf. Appian. Bell. Civ. II, 41, 47; Dio, XLI, 40; Flor. IV, 2, 31 sq. Quintil. III, 8, 23; Lucan. IV, 401-551.

3. *C. Curio... in Africa... adversus* P. Attium *Varum... a Juba... cæsus est;* conf. Dio, XL, 41, 42; Appian. Bell. Civ. II, 44-46; Cæs. Bell. Civ.

Varum, Pompeianarum partium ducem, pugnasset, a Juba rege Mauritaniæ cum exercitu cæsus est. C. Cæsar in Græciam trajecit[4].

EPITOME LIBRI CXI.

M. Cœlius Rufus prætor, quum seditiones in Urbe concitaret, novarum tabularum spe[1] plebe sollicitata, abrogato magistratu pulsus Urbe, Miloni exsuli, qui fugitivorum exercitum contraxerat, se conjunxit. Uterque, quum bellum molirentur, interfecti sunt. Cleopatra, Ægypti regina, a Ptolemæo fratre regno pulsa est[2]. Propter Q. Cassii prætoris avaritiam crudelitatemque Cordubenses in Hispania cum duabus Varronianis legionibus[3] a partibus Cæsaris desciverunt. Cn. Pompeius, ad Dyrrachium obsessus a Cæsare[4] et,

I, 23 sq. Oros. VI, 15. — Pro *Varum* male vett. editiones exhibent *Varronem*. Ed.

4. *C. Cæsar in Græciam trajecit;* cf. Plutarch. Cæs. p. 725 sq. Appian. Bell. Civ. II, 52-59; Dio, XLI, 44-50; Cæs. Bell. Civ. III, 4-33.

Epit. CXI. 1. *M. Cœlius Rufus prætor... novarum tabularum spe* rescissisque Cæsaris actis et legibus *plebe sollicitata... Miloni exsuli, qui fugitivorum*, gladiatorum, etc. cf. Pigh. Annal. ad a. U. 705; Cæs. Bell. Civ. III; Vell. II, 68; Dio, XLII, 22-25; Oros. VI, 15; Sueton. Cæs. 42. *Tabulæ novæ* dicuntur, quum nomina in tabulis expensorum mutantur, h. e. creditorum plane delentur, aut pars de summa debiti demitur. Conf. ad Epit. CXIII, 4; Ernesti Clav. Cic. et intpp. Sall. Cat. 22, et Suet. l. l.

2. *Cleopatra a Ptolemæo fratre*, puero et Ptolemæi *XI* Auletis filio, *regno pulsa est*, et deinde restituta a Cæsare. Conf. Epit. CXII; Plut. Cæs. p. 730 sq. Appian. Bell. Civ. 71, 84, 89 sq. Dio, XLII, 2 sq. 9, 34-44; Suet. Cæs. 35, 52.

3. *Propter Q. Cassii* Longini *prætoris avaritiam c. Cordubenses in H. cum duabus Varronianis legionibus;* quibus M. Varro in ulteriori Hispania præfuerat, quæque deinde cum provincia traditæ fuerant Q. Cassio, *a p. C. d.;* conf. Epit. CX; Cæs. Bell. Civ. II, 20, 21; Auctor Bell. Alex. 48-58; Dio, XLII, 15, 16; Val. Maxim. IX, 4, § 2. Pro *Cassii* in MSS et edd. antt. male legitur *Catuli* et *Catis:* pro vulg. *Varianis* (MS Leid. *Varrianis*) ex emend. Jac. Gron. substitui *Varroianis*, i. e. *Varronianis*.

4. *Cn. Pompeius ad Dyrrachium obsessus a Cæsare, et... apud Pharsaliam acie victus est... Cæsar ignovit;* conf. Pigh. ad an. U. 705; Dio,

præsidiis ejus cum magna clade diversæ partis expugnatis, obsidione liberatus, translato in Thessaliam bello, apud Pharsaliam acie victus est. Cicero in castris remansit, vir nihil minus quam ad bella natus; omnibusque adversarum partium, qui se potestati victoris permiserunt, Cæsar ignovit.

EPITOME LIBRI CXII.

Trepidatio victarum partium in diversas orbis terrarum partes[1] et fuga referuntur. Cn. Pompeius, quum Ægyptum petisset, jussu Ptolemæi regis pupilli, auctore Theodoto præceptore, cujus magna apud regem auctoritas erat, et Pothino[2], occisus est ab Achilla, cui id facinus erat delegatum, in navicula, ante quam in terram exiret. Cornelia uxor et Sex. Pompeius filius Cypron refugerunt. Cæsar, post tertium diem[3] insequutus, quum ei Theodotus caput Pompeii et annulum obtulisset, et infensus est, et il-

XLI, 47-63; Plut. in Pomp. p. 652-558, in Cæs. p. 726 sq. Appian. Bell. Civ. II, 52-81; Cæs. Bell. Civ. III, 25-101; Oros. VI, 15; Lucani Phars. — Pro *Dyrrachium* vett. edd. *Brundusium*, quod cum historia minime congruit. Ed. — *Præsidiis ejus*, Cæsaris. Conf. Oros. VI, 15. — *Apud Pharsaliam*, in Pharsalia, regione (vide ad Liv. X, 23, 12), aut h. l., ut apud Tac. Hist. I, 50; Flor. IV, 2, 66, 84, *Pharsalia* pro urbe posita; Duk. — *Cicero;* vide ad Epitomen CVI, 2.

Epit. CXII. 1. *Trepidatio victarum partium in diversas o. t. partes;* nam *trepidare* est huc illuc discurrere cum tumultu (vide ad Liv. I, 14, n. 6, et III, 49, n. 4); nisi seq. copula *et* post *partium* ponenda; Drak. *Per* pro *in* edd. antt. et multi MSS.

2. *Cn. Pompeius, quum Ægyptum petisset, jussu Ptolemæi, auctore Theodoto et Pothino* (vid. intpp. Flor. IV, 2, 60; Oudend. ad Cæs. Bell. Civ. III, 108, et ad Lucan. VIII, 483) *occisus est ab Achilla... refugerunt;* conf. Dio, XLII, 1-5; Plut. Pomp. pag. 660 sq. Appian. Bell. Civ. II, 83-87.

3. *Cæsar, post diem tertium... caput Pompeii et ann... Alex. intravit ... Cleopatram... reduxit... Ptolemæus... subsedit;* conf. Plut. Pomp. p. 662, in Cæs. p. 730 sq. Dio, XLII, 7-9, 34-44; Appian. Bell. Civ. II, 88 sq. Cæs. Bell. Civ. III, 107 sq. Oros. VI, 15, 16; Hirt. Bell. Alexandr.

lacrymavit: sine periculo Alexandriam tumultuantem intravit. Cæsar, dictator creatus, Cleopatram in regnum Ægypti reduxit, et inferentem bellum iisdem auctoribus Ptolemæum, quibus Pompeium interfecerat, cum magno suo discrimine vicit. Ptolemæus dum fugit, in Nilo navicula subsedit[4]. Præterea laboriosum M. Catonis in Africa per deserta cum legionibus iter, et bellum a Cn. Domitio contra Pharnacem parum prospere gestum continet.

EPITOME LIBRI CXIII.

Confirmatis in Africa[1] Pompeianis partibus, imperium eorum P. Scipioni delatum est, Catone, cui ex æquo deferebatur imperium, cedente. Et quum de diruenda urbe Utica propter favorem civitatis ejus in Cæsarem deliberaretur, idque ne fieret, M. Cato te-

Lucan. X. *Post diem tertium* a nece Pompeii? Id tamen nusquam proditum opinor, et forte Livius dixerat, quod Appian. cap. 89, Cæsarem tribus diebus ab Rhodo Alexandriam pervectum fuisse; Duk. Et idem Appianus, c. 88, tradit, Cæsarem tertio demum post pugnam Pharsalicam die Pompeio fugienti institisse. Mox Gron. non male conj. *et offensus est, et illacrymavit; nec sine periculo*, etc. conf. Dio, XLII, 34, 35.

4. *In Nilo navicula subsedit; consedit* legit ed. Camp. male, observat Drak.; *subsidere* enim dicuntur, quæ fundum petunt. Sic Colum. XII, 19, *quidquid fæcis subsederit, exagitet, et in summum reducat.* Ed. — *Laboriosum M. Catonis in Africa... iter;* conf. Plutarch. Cat. min. pag. 786 sq. Appian. Bell. Civ. II, 87; Dio, XLII, 9 sq. — *Bellum a Cn. D. contra Pharnacem*, regem Bospori, filium Mithridatis M., *parum prospere gestum;* conf. ad Epit. CII, 1; Appian. Mithr. 113, 120, et Bell. Civ. II, 91 sq. Dio, XLII, 45-48; Hirt. de Bello Afric. 34 sq. — Veteres editiones omittunt *parum*, quod adjecit Sigon. quum illud historiæ fides necessario poscat. Ed.

Epit. CXIII. 1. *Confirmatis in Africa... mandata est Catoni;* vid. Plut. Cat. min. p. 787; Appian. II, 87, 95; Dio, XLII, 10 sq. 56 sq. Vox *imperium* male repetita, judice Sigonio. — Hanc vocem posteriore loco omisit Crev. emendationem Sigonii amplexus; eamdem tamen, teste Drak., codd. omnes servant, excepto uno Berg. Ed. — *P. Scipioni* Nasicæ (Q. Cæcilio Metello Pio Scipioni), socero et collegæ Pompeii III consulis. Post adoptionem etiam aliis *P.* non *Q.*

nuisset, Juba suadente, ut dirueretur; tutela ejus et custodia mandata est Catoni. Cn. Pompeius Magni filius in Hispania[2], contractis viribus, quarum ducatum nec Afranius, nec Petreius excipere volebant, bellum adversus Cæsarem renovavit. Pharnaces, Mithridatis filius, rex Ponti, sine ulla belli mora victus est[3]. Quum seditiones Romæ a P. Dolabella tribuno plebis, legem ferente de novis tabulis[4], excitatæ essent, et ex ea causa plebs tumultuaretur, inductis a M. Antonio magistro equitum in Urbem militibus, octingenti e plebe cæsi sunt. Cæsar veteranis cum seditione missionem postulantibus dedit[5]; et, quum in Africam trajecisset, contra copias Jubæ regis cum discrimine magno pugnavit.

Scipio est dictus; videantur Dukerus et Drakenb. ad Epit. CXIV, et Ern. Clav. Cic.

2. *Cn. Pompeius M. f. in Hisp.... renovavit;* vid. Appian. Bell. Civ. II, 87, 103 sq. Plutarch. Cæs. p. 733 sq. Dio, XLII, 15 sq. XLIII, 14, 28 sq. Hirt. de Bello Hisp.

3. *Pharnaces, M. f., rex Ponti... victus est;* vide ad Epit. CXII, 4. *Ex Ponto* plerique MSS et edd. ante Mogunt. Forte leg. *in Ponto* (ut apud Oros. VI, 16), vel *rex Bospori*, vel *regis Ponti*.

4. *Quum seditiones Romæ a P.* Cornelio *Dolabella trib. pl.* Ciceronis genero, *legem ferente de novis tabulis* (vide ad Epit. CXI, 1), cui intercessere collegæ L. Trebellius et C. Asinius Pollio. — *Cæsi sunt;* vid. Dio, XLII, 29 sq. Plutarch. Anton. pag. 919 sq. Cic. Phil. II, 24 sq. 38, VI, 4, X, 10, XI, 6, ad Att. VII, 8, XI, 21, ad Div. II, 15 sq. XII, 3 (his aliisque locis *Cn. Dolabella*) dicitur; Pigh. Ann. ad a. Urb. 706; Freinsh. Supplem. cap. 28 sq.

5. *Cæsar veteranis*, Decumanis, *cum seditione missionem postulantibus dedit;* vid. Appian. Bell. Civ. II, 92 sq. Dio, XLII, 52-55; Suet. Cæs. 70; Plut. Cæs. p. 730; Pigh. Ann. ad a. U. 706.—*In Africam... contra copias Jubæ regis*, Vari, Scipionis, Labieni et Petreii, *c. d. m. pugnavit* ad Ruspinam; vid. Plut. l. l. Dio, XLII, 56 sq. Appian. Bell. Civ. 95 sq. Hirt. de Bello Afric.

EPITOME LIBRI CXIV.

Bellum in Syria Cæcilius Bassus[1], eques romanus Pompeianarum partium, excitavit, relicto a legione Sex. Cæsare, quæ ad Bassum transierat, occisoque eo. Cæsar Scipionem prætorem, Afranium Jubamque vicit ad Thapsum[2], castris eorum expugnatis. Cato, audita re, quum se percussisset Uticæ et, interveniente filio, curaretur, inter ipsam curationem recisso vulnere exspiravit, anno ætatis quadragesimo octavo. Petreius Jubam seque interfecit. P. Scipio in nave circumventus honestæ morti vocem quoque adjecit: quærentibus enim imperatorem hostibus dixit, *Imperator bene se habet.* Faustus et Afranius occisi. Catonis filio venia data. Brutus, legatus Cæsaris, in Gallia Bellovacos rebellantes prælio vicit.

Epit. CXIV. 1. *Bellum in Syria* Q. *Cæcilius Bassus* prætor a. Urb. 707. — *Relicto a legione Sex. Cæsare ... occisoque eo*, instigante Basso; vid. Dio, XLVII, 26 sq. Appian. Bell. Civ. III, 77 sq. IV, 58 sq. Joseph. Ant. Jud. XIV, 7, 11, Bell. Jud. I, 8; Abramus ad Cic. pro Dejot. 8 sq. Ern. Clav. Cic. Vox *eo* forte del., aut legendum cum Perizonio (Animadvers. hist. c. 4, p. 176 sq.) *occiso eo*, vel cum Drak. *occisoque. Et* vel *C. Cæsar*, etc.

2. *Cæsar Scipionem* (vide ad Epit. CXIII, 1)[5] *prætorem, Afranium Jubamque vicit ad Thapsum* a. U. 707. *Cato, quum se percussisset Uticæ... anno ætatis XLVIII... Petreius Jubam seque interfecit. P. Scipio... Faustus* (filius Sullæ) *et Afranius occisi;* conf. Plut. in Cæs. p. 732 sq. in Cat. min. 787-794; Appian. Bell. Civ. 96-100; Dio, XLIII, 1-13; Hirt. de Bell. Afr. *prætorem*, ducem (conf. Epit. CXIII pr. et ad Liv. VI, 42, not. 7); nisi potius cum Gron. leg. *Petreium*, vel, quod Periz. Animadv. histor. cap. 4, p. 177, et Drak. probabant, *proconsulem.* — *Anno ætatis XLVIII* optimi MSS. Conf. Plut. et Appian. ll. ll. Gruch. de Comit. Rom. I, 3. — *Petreius Jubam s. i.* conf. Freinshem. ad Flor. IV, 2, § 69. — *Vocem quoque adjecit:* videtur excidisse *parem* aut *memorabilem;* Gron. — *Catonis filio venia data;* corrupte Voss. *Catonis filia Veneris data*, et Lov. 2, *Catonis filia venumdata.* Ed.

EPITOME LIBRI CXV.

Cæsar quatuor triumphos duxit, ex Gallia, ex Ægypto, ex Ponto, ex Africa. Epulum et omnis generis spectacula dedit[1]. M. Marcello consulari, senatu rogante, reditum concessit : qui Marcellus beneficio ejus frui non potuit, a Cn. Magio Cilone cliente suo Athenis occisus[2]. Recensum egit, quo censa sunt civium capita centum quinquaginta millia[3]. Profectusque in Hispaniam adversus Cn. Pompeium, multis utrimque expeditionibus factis et aliquot urbibus expugnatis, summam victoriam cum magno discrimine ad Mundam[4] urbem consequutus est. Pompeius Sextus effugit.

Epit. CXV. 1. *Cæs. quatuor triumphos duxit... dedit;* vid. Pigh. ad a. 707; Plut. Cæs. p. 753; Dio, XLIII, 14, 19-24; Appian. Bell. Civ. II, 101 sq. Suet. Cæs. 49, 51.

2. *Marcellus... a Cn. Magio Cilone* (qui aliis *P. Magius Chilo* dicitur; de quo vid. Fest. v. *Chilo;* Charis. Inst. Gram. I, 78, et Drakenb.) *cliente suo Athenis occisus;* conf. Cic. pro Marc. 1, ad Div. IV, 12, ad Attic. IX, 8, XIII, 10; Val. Max. IX, 11, § 4; Cæs. Bell. Civ. I, 24.— Pro *qui Marcellus beneficio ejus*, Gronov. ex uno MS rescribit, probante Creverio, *quo Marcellus beneficio ejus.* Ed.

3. *Recensum egit, quo censa sunt civium capita CL millia :* idem de censu a Cæsare acto tradunt Plutarch. Cæs. pag. 753, et Appian. Bell. Civ. II, 102. Sed hos errasse, et Livium potius *recensum populi*, h. e. plebis (vide ad Liv. XXXI, 50, n. 1) frumenti publice distribuendi causa factum (ut Sueton. Cæs. 41, et Dio, XLIII, 21), non censum totius populi, a Cæsare nunquam forte actum (etsi id dixerit Dio, XLIII, 25), memorasse, suspicantur Duker. ad h. l. Casaub. ad Suet. l. l. Lips. Elect. I, 8, 27; Ruald. Animadv. 24 in Plut. Pro *recensum* in plerisque MSS *censum; et censum; Romæ censum.*

4. *Profectusque in Hispaniam... ad Mundam*, etc. conf. Pigh. ad a. 708; Plut. Cæs. p. 753, 754; App. Bell. Civ. II, 103 sq. Dio, XLII, 15 sq. XLIII, 28-45; Flor. IV, 2; Vell. II, 55; Sueton. Cæs. 36, et liber de Bello Hisp. adnexus Cæsari. — *Pompeius Sextus;* Sigonius *Sextus Pompeius*, quasi insolens sit prænomina postponi: sed vide ad Liv. III, 1, n. 1. Ed.

EPITOME LIBRI CXVI.

C. Cæsar ex Hispania[1] quintum triumphum egit. Et, quum plurimi maximique honores ei a senatu decreti essent, inter quos ut *Pater Patriæ* appellaretur, et sacrosanctus ac dictator in perpetuum esset, invidiæ causam[2] adversus eum præstitere, quod senatui deferenti hos honores, quum ante ædem Veneris Genitricis sederet, non adsurrexit; et quod a M. Antonio consule collega suo, inter Lupercos currente, diadema capiti suo impositum in sella reposuit; et quod Epidio Marullo et Cæsetio Flavo tribunis plebis, invidiam ei tanquam regnum affectanti moventibus, potestas abrogata est. Ex iis causis conspiratione[3] in eum facta (cujus capita fuerunt M. Brutus et C. Trebonius), in Pompeii curia occisus est viginti tribus vulneribus, occupatumque ab interfectoribus ejus Capitolium. Oblivione deinde cædis ejus a senatu decreta, obsidibus Antonii et Lepidi liberis acceptis, conjurati a Capitolio descenderunt. Testamento Cæsaris heres ex parte dimidia institutus C. Octavius sororis nepos et

Epit. CXVI. 1. *C. Cæsar ex Hispania*, etc. prænomen negligunt edd. ante Mogunt. tum *in Hispania* duo MSS, manifesto scribarum errore. Ed. — *Plurimi maximique honores..... Pater Patriæ... et sacrosanctus ac dictator in perpetuum*, etc. de his aliisque honoribus vid. Duk. ad Flor. IV, 2, § 91; Dio, XLIII, 42 sq. XLIV, 4 sq. 48; Appian. Bell. Civ. II, 106 sq. Plutarch. Cæs. p. 734 sq. Sueton. Cæs. 76.

2. *Invidiæ causam... quod senatui ...non adsurrexit, et quod a M. Antonio cos.... diadema... Epidio Marullo et Cæsetio Flavo*, etc. cf. Suet. Cæs. 78, 79; Dio, XLIV, 8-11; Plut. Cæs. p. 736; Appian. Bell. Civ. II, 107-109; Cic. Phil. II, 34; Vell. II, 56.

3. *Ex iis causis conspiratione... descenderunt;* conf. Pigh. ad a. 709; Plutarch. in Cæs. p. 737 sq. in Anton. pag. 921 sq. in M. Bruto, pag. 987-992; Dio, XLIV, 1, 9-34; Appian. Bell. Civ. II, 110-147; Sueton. Cæs. 80 sq. Vell. II, 56 sq. — In prænominibus eorum, qui conspirationis capita fuere, nonnihil variant codices. Vid. Drak. ad h. l. Ed. — *Oblivione cædis*, ἀμνηστία. — De re autem tragica vide Nostratem *Voltaire*, qui

in nomen adoptatus est[4]. Cæsaris corpus, quum in campum Martium ferretur, a plebe ante Rostra crematum est[5]. Dictaturæ honos in perpetuum sublatus est. C. Amatius[6], humillimæ sortis homo, qui se C. Marii filium ferebat, quum apud credulam plebem seditiones moveret, necatus est.

EPITOME LIBRI CXVII.

C. Octavius Romam ex Epiro venit (eo enim illum Cæsar præmiserat, bellum in Macedonia gesturus), omnibusque prosperis exceptus etiam nomen *Cæsaris* sumpsit[1]. In confusione rerum ac tumultu Lepidus pontificatum maximum intercepit[2]. Sed M. Antonius

Cæsaris necem sublimi carmine illustravit. Ed.

4. *Testamento Cæsaris heres ex parte dimidia institutus C. Octavius sororis* Juliæ *nepos* ex filia Atia, seu Attia, *et in nomen a. est;* cf. Appian. Bell. Civ. II, 143; Plut. in Cic. pag. 885, in Anton. p. 922, in Bruto, p. 994; Dio, XLIV, 35, XLV, 1 sq. Vell. II, 59; Sueton. in Cæs. 83, in Aug. 4. *Ex sorore nepos* quidam MSS et edd. vett. Ita et simpl. *nepos* inferioris ætatis scriptoribus dicitur sororis filius. Sic et τῆς ἀδελφῆς υἱὸν pro ἀδελφιδῆς vulgo apud Plutarch. et Dion. ll. ll. Cf. Duk. et Drak.

5. *Cæsaris corpus ... crematum est;* vid. Appian. Bell. Civ. II, 143 sq. Dio, XLIV, 35-53; Sueton. Cæs. 84 sq. — *Dictaturæ honos in p. sublatus est;* vid. Dio, XLIV, 51; App. Bell. Civ. III, 24 sq. 37; Cic. Phil. I, 1 sq.

6. *C. Amatius* (male *Chamaces, Chamates, Carmates, Cammates, Camartes* MSS et edd. ante Sigon.) Pseudo-Marius; conf. Appian. Bell. Civ. III, 2, III, 36; Cic. Phil. I, 2, ad Attic. XII, 49, XIV, 6 sq. Val. Max. IX, 15, § 2, qui Erophilum appellat. *Marii filium*, nepotem dicunt Appian. et Val. Maxim. Conf. intpp. Cic. ad Attic. XII, 49. — *Interfectus est* vett. edd. pro *necatus est;* sed adversantur codices plerique. Ed.

Epit. CXVII. 1. *C. Octavius Romam ex Epiro venit ... bellum in Macedonia gesturus ... omnibusque prosperis exceptus etiam nomen Cæsaris sumpsit;* conf. Dio, XLV, 3-5, XLVI, 47; Appian. Bell. Civ. II, 110, III, 9-14; Plut. Anton. p. 922; Vell. II, 59, 60; Flor. IV, 2 extr. Suet. in Cæs. 44, in Aug. 8; Obseq. de Prodig. 128. *Bellum* adversus Parthos memorant alii, et alii adversus Dacos et Getas; quos si nomine *Macedoniæ* comprehendit auctor Epit., admodum late id sumpsit; Duk. Cf. tamen Appian. Bell. Civ. III, 25.

2. *In confusione rerum ac t. Lepidus p. m. i.* conf. Dio, XLIV, 53;

consul[3] quum impotenter dominaretur legemque de permutatione provinciarum per vim tulisset et Cæsarem quoque, petentem, ut sibi adversus percussores avunculi adesset, magnis injuriis affecisset; Cæsar, et sibi, et reipublicæ vires adversus eum paraturus, deductos in colonias veteranos excitavit. Legiones quoque quarta et Martia signa ab Antonio ad Cæsarem tulerunt. Deinde et complures sævitia M. Antonii passim in castris suis trucidati, quia et suspecti erant, ad Cæsarem desciverunt. D. Brutus, ut petenti Cisalpinam Galliam Antonio obsisteret, Mutinam cum exercitu occupavit[4]. Præterea discursus utriusque partis virorum ad accipiendas provincias apparatusque belli continet.

Appian. Bell. Civ. II, 132; Vell. II, 63. — Hoc loco habemus conjecturam Sigonii, qui ex historiæ veritate veterem lectionem vitiosissimam emendavit. Legebatur nempe: *Lepidum pontificem maximum interemit* sive *interfecit*. Ed.

3. *Sed M. Antonius consul... desciverunt;* conf. Plut. Anton. p. 921 sq. Appian. Bell. Civ. III, 13-49; Dio, XLV, 5 sq. 11-47, XLVI, 1-28; Vell. II, 60 sq. Suet. Aug. 10. — *Legem de permutatione provinciarum*, Galliæ, Macedoniæ et Syriæ, D. et M. Brutis et Cassio prius, deinde M. et L. Antoniis et Dolabellæ decretarum; conf. Dio, XLV, 9; Appian. Bell. Civ. II, 112, III, 2, 6 sq. 24 sq. 49 sq. 98, IV, 57 sq. Cic. ad Div. XI, 1 sq. — *Deductos in colonias veteranos* Cæsaris *excitavit*, qui inde *evocati* (vide ad Tac. Ann. I, 17, n. 2) dicebantur. Cf. Dio, XLV, 12; Vell. II, 61 (ex quo forte h. l. leg. *excivit*); Appian. Bell. Civ. III, 40-45; Suet. Aug. 10; Tac. Annal. I, 10 pr. — *Legiones quoque quarta et Martia*, etc. conf. Appian. Bell. Civ. III, 40 sq. 45, 66 sq. 93, IV, 115 sq. Dio, XLV, 13; Cic. Phil. III, 3, IV, 2; Vell. II, 61; *tulerunt*, forte *transtulerunt;* Duk. et Crever. Conf. tamen Vell. II, 61. — *Sævitia M. Antonii*, etc. conf. Appian. Bell. Civ. III, 43 sq. Dio, XLV, 13. *M. Antonii, passim in castris suis trucidantis, qui suspecti erant* conj. Gron.

4. *D. Brutus, ut petenti Cisalpinam Galliam* M. *Antonio obsisteret, Mutinam c. e. occupavit* an. Urb. 710. Conf. Appian. Bell. Civ. III, 45-49; Dio, XLV, 13-17.

EPITOME LIBRI CXVIII.

M. Brutus in Græcia[1] sub prætextu reipublicæ et suscepti contra M. Antonium belli exercitum, cui Vatinius præerat, cum provincia in potestatem suam redegit. C. Cæsari[2], qui primus reipublicæ arma sumpserat, proprætoris imperium a senatu datum est cum consularibus ornamentis, adjectumque, ut senator esset. M. Antonius D. Brutum Mutinæ obsedit; missique[3] ad eum a senatu legati de pace parum ad eam componendam valuerunt. Populus romanus saga sumpsit. M. Brutus in Epiro C. Antonium prætorem cum exercitu potestati suæ subjecit.

EPITOME LIBRI CXIX.

C. Trebonius in Asia fraude P. Dolabellæ[1] occisus

Epit. CXVIII. 1. *M. Brutus in Græcia*, Macedonia,... *redegit;* cf. Appian. Bell. Civ. III, 63, 79, IV, 58, 75; Dio, XLVII, 20-36; Vell. II, 69; Plut. Brut. et Cic. ad Brut.

2. *C. Cæsari* Octaviano, *qui primus reip. arma sumpserat* anno ætatis XIX *proprætoris..... esset;* nam auctore Cicerone Antonius hostis reip. judicatus est, et Octaviano summi honores decreti sunt; conf. Cic. Phil. 5 et 8; Dio, XLV, 18-47, XLVI, 1 sq. 29, 35; Appian. Bell. Civ. II, 54-60, III, 51 sq. Vell. II, 61; Flor. IV, 4. Pro *primus reip.* cum Sigon. leg. *pro rep.*, aut potius cum Gron. et Duk. *privatus* (privatoque consilio et sumptu) *pro rep.* Cf. Vell. et Flor. ll. ll. Cic. Phil. III, 2, et Monim. Ancyr. — *Cum consularibus ornamentis*, ita Appian. l. l. Prætoria ei data esse, tradunt Plut. Anton. pag. 923; Dio, XLVI, 29, 35; Tac. Ann. I, 10; Vell. II, 61; Suet. Aug. 10, et Cic. Phil. V, 17: consularia vero post bellum Mutinense mortemque consulum Dio, XLVI, 41.

3. *M. Antonius D. Brutum Mutinæ obsedit, missique*, etc. conf. Appian. Bell. Civ. III, 50-63; Dio, XLVI, 29 sq. Cic. ad Div. XI, 8, XII, 4 sq. Flor. IV, 4. — *Populus R. saga sumpsit;* vide ad Epit. LXXII, 3. — *M. Brutus in Epiro*, etc. conf. not. 1. — *Potestati suæ subjecit;* multi codd. *subegit.* Voces *subjecit* et *subegit* alibi etiam commutantur; vid. Drak. ad XXVIII, 21, § 9; XXX, 9, § 2; XXXVIII, 47, § 11; XXXIX, 2, § 9. Pariter *adigere* et *adjicere;* vid. Epit. CXXIV, n. 2. Ed.

Epit. CXIX. 1. *C. Trebonius in*

est. Ob id facinus Dolabella hostis a senatu judicatus est. Quum Pansa consul[2] male adversus Antonium pugnasset, A. Hirtius consul cum exercitu superveniens, fusis M. Antonii copiis, fortunam utriusque partis æquavit. Victus deinde ab Hirtio et Cæsare Antonius in Galliam confugit, et M. Lepidum cum legionibus, quæ sub ipso erant, sibi junxit; hostisque a senatu cum omnibus, qui intra præsidia ejus essent, judicatus est. A. Hirtius, qui post victoriam in ipsis hostium castris ceciderat, et C. Pansa, e vulnere, quod in adverso prælio exceperat, defunctus, in campo Martio sepulti sunt. Adversus C. Cæsarem[3], qui solus e tribus ducibus supererat, parum gratus senatus fuit, qui, D. Bruto, obsidione Mutinensi a Cæsare liberato, honore triumphi decreto, Cæsaris militumque ejus mentionem non satis gratam habuit. Ob quæ C. Cæsar, reconciliata per M. Lepidum cum M. Antonio gratia, Romam cum exercitu venit, et, perculsis

Asia fraude P. Dolabellæ occisus, etc. vid. Appian. Bell. Civ. III, 2, 7, 24, 26, 61, III, 95, IV, 58; Cic. Phil. XI, 1; Vell. II, 69; Dio, XLVII, 26, 29, 30; Ern. Clav. Cic.

2. *Quum* C. Vibius *Pansa consul... A. Hirtius consul... in campo Martio sepulti sunt;* vid. Epit. XC, 1. Conf. Appian. Bell. Civ. III, 65-76; Dio, XLV, 17, XLVI, 35-38; Cic. ad Div. X, 30.

3. *Adversus C. Cæsarem*, cujus opera consules occisi credebantur (vid. Suet. Aug. 11, Tac. Ann. I, 10; sed et Cic. Epit. ad Brut. 6), *parum gratus senatus fuit... ob quæ C. Cæsar, reconciliata per M. Lepidum cum M. Antonio gratia... consul creatus est* cum Q. Pedio consanguineo Cæsaris; conf. Pigh. ad a. U. 710; Dio, XLVI, 39-49; Appian. Bell. Civ. III, 74-95; Cic. ad Div. XI, 20 sq. ad Brut. 10; Vell. II, 62-65. — *D. Bruto, obsidione a Cæsare liberato, honore triumphi decreto*, non Cæsari ejus liberatori. « Hic sermo est adulantium potentiæ Octavii et successorum ejus, quo etiam utuntur Vell. II, 62, et Dio, XLVI, 40: nam de cive non triumphabatur, et, si id speravit Octavius, improbe speravit. Quanto honestius Suet. Aug. 12 loquutus est! Bruto decretus est triumphus de gentibus Transalpinis, ut colligas ex Epit. CXIV, et Cic. ad Div. XI, 4. » Gron. —*Perculsis adventu ejus;* multi codd. apud Drak. *præclusis*, vel *preculsis*, et hoc quidem edebatur ante Mogunt. quæ recte *perculsis* emendavit. Error ortus erat ex literis perperam trans-

adventu ejus iis, qui in eum iniqui erant, quum annos novemdecim haberet, consul creatus est.

EPITOME LIBRI CXX.

Cæsar consul legem tulit[1] de quæstione habenda in eos, quorum opera pater occisus esset, postulatique ea lege M. Brutus, C. Cassius, D. Brutus, absentes damnati sunt. Quum M. Antonio vires[2] Asinius quoque Pollio et Munatius Plancus, cum exercitibus suis adjuncti, ampliassent, et D. Brutus, cui senatus, ut persequeretur Antonium, mandaverat, relictus a legionibus suis, profugisset; jussu Antonii, in cujus potestatem venerat, a Capeno Sequano interfectus est. C. Cæsar pacem cum Antonio et Lepido fecit[3], ita ut tresviri reipublicæ constituendæ per quinquennium essent ipse et Lepidus et Antonius, et ut suos quisque inimicos proscriberent: in qua proscriptione plurimi equites romani, centum triginta senatorum nomina fuerunt, et inter eos L. Paulli fratris M. Lepidi

positis. Ed. — *Quum annos XIX haberet, consul creatus est;* cf. Sigon. et Duk. ad h. l. Petav. Doctr. Temp. XII, 30; Noris. in Cenot. Pis. II, 2; intpp. Vell. II, 65, et Sueton. Aug. 26.

Epit. CXX. 1. *Cæsar consul legem tulit*, etc. quam alii Pediam appellant, a Q. Pedio collega Octaviani latam. Conf. Dio, XLVI, 48, 49; Appian. Bell. Civ. III, 95; Vell. II, 69; Suet. Ner. 3.

2. *Quum M. Antonio vires ..... D. Brutus..... jussu Antonii, in cujus potestatem venerat, a Capeno Sequano interfectus est;* conf. Appian. Bell. Civ. III, 72, 83 sq. 96 sq. Vell. II, 64 (e quibus forte cum Drakenb. leg. *jussu Antonii a Camelo*, vel *Camillo*, vel, ut apud Liv. XLI, 1, *Catmelo Sequano, in cujus p. venerat*); Val. Max. IV, 7, § 6, IX, 13, § 3; Dio, XLVI, 50-53; Cic. ad Div. XI, 10, 13, ad Brut. 12 sq.

3. *C. Cæsar* Octavianus *pacem cum Antonio et Lepido fecit* in parva insula Rheni Bononiensis, hodie *Reno* (vide ad Sil. VIII, 599), *ita ut III viri reip. constituendæ... in qua proscriptione plurimi equites,... M. Ciceronis;* conf. Plut. Cic. p. 884; Anton. pag. 923 sq. 929; Appian. Bell. Civ. IV, 1-51; Dio, XLVI, 50-56, XLVII, 1-19; Vell. II, 66 sq. Suet. Aug. 27; Oros. VI, 18. — *L. Paulli fratris* germani *M. Lepidi;* nam M. Le-

et L. Cæsaris Antonii avunculi et M. Ciceronis. Hujus, occisi a Popillio legionario milite, quum haberet annos sexaginta tres, caput quoque cum dextra manu in Rostris positum est[4]. Præterea res a M. Bruto in Græcia gestas continet.

EPITOME LIBRI CXXI.

C. Cassius[1], cui mandatum a senatu erat, ut Dolabellam hostem judicatum bello persequeretur, auctoritate reipublicæ adjutus, Syriam cum tribus exercitibus, qui in eadem provincia erant, in potestatem suam redegit. Dolabellam, in urbe Laodicea obsessum, mori coegit. M. quoque Bruti jussu C. Antonius captus, occisus est[2].

pidus triumviri pater, more illorum temporum, alteri filiorum illud nomen dederat, ut renovaret memoriam L. Paulli, insignis viri et gentilis sui, cujus nomen et familia una cum ipso erant exstincta; vid. Periz. Animad. hist. cap. 3, p. 145 sq. De *L. Cæsare* conf. Ern. Clav. Cic.

4. *Ciceronis occisi a Popillio* Lænate..... *positum est;* vid. Appian. Bell. Civ. IV, 6, 19, 20; Dio, XLVII, 8; Plut. Cic. p. 884 sq. Fabricii Hist. Cic.; Corrad. in Quæstura. — *Caput cum dextra manu in Rostris positum est*, inter duas manus scripsit Livius; vid. Sen. Suas. I, 6.

5. *Res a M. Bruto in Græcia gestas;* vid. Plutarch. Brut. p. 996 sq. Appian. Bell. Civ. IV, 66 sq. Dio, XLVII, 20-36; Cic. ad Brut. 1 sq.

Epit. CXXI. 1. *C. Cassius* Longinus... *Dolabellam... mori coegit;* vid. Appian. Bell. Civ. III, 3 sq. 26, 63, 77 sq. 95, IV, 27, 57-73; Dio, XLVII, 20, 21, 26-32. — *In urbe Laodicea;* de cujus urbis nomine multum variant MSS apud Drak. Ed.

2. *M. Bruti jussu C. Antonius* frater triumviri *c. occisus est;* videatur Dio, XLVII, 22-24; Appian. Bell. Civ. III, 79, IV, 75; Plutarch. in Anton. p. 925, in M. Bruto, p. 996. — Post *occisus est* legitur *a Q. Cicerone* apud Boend. et in edit. Campan. invitis omnibus reliquis, calamo vel typis exaratis, libris. Ed.

EPITOME LIBRI CXXII.

M. Brutus adversus Thracas parum prospere rem gessit[1]; omnibusque transmarinis provinciis exercitibusque in potestatem ejus et C. Cassii redactis, coierunt Smyrnæ uterque ad ordinanda belli futuri consilia. M. Messallæ Poplicolam fratrem victum communi consilio condonaverunt[2].

EPITOME LIBRI CXXIII.

Sex. Pompeius, Magni filius, lectis ex Epiro proscriptis ac fugitivis, cum exercitu diu, sine ulla loci cujusquam possessione, prædatus in mari, Messanam oppidum in Sicilia primum, deinde totam provinciam occupavit; occisoque A. Pompeio Bithynico prætore, Q. Salvidienum legatum Cæsaris navali prælio[1] vicit. Cæsar et Antonius cum exercitibus in Græciam trajecerunt, bellum contra Brutum et Cassium[2] gesturi.

Epit. CXXII. 1. *M. Brutus adversus Thracas parum* (quam vocem delendam videri, jam alii monuere) *prospere rem gessit*... et ipse et *C. Cassius coierunt Smyrnæ*, etc. vid. Dio, XLVII, 25, 32-36; Appian. Bell. Civ. IV, 65 sq. 75-82.

2. *M.* Valerio *Messallæ* Gellium *Poplicolam fratrem victum communi consilio condonaverunt* (vide ad Liv. II, 35, n. 5); conf. Dio, XLVII, 24. *Vinctum* Exc. Pith. *junctum* edd. vett. *conjunctum* ed. Parm. *insidiarum convictum* ex Dione conj. Gron. *fratrem*, sc. adoptatum a Gellio quodam, retento cognomine gentis Valeriæ. Conf. Drakenb.

Epit. CXXIII. 1. *Sex. Pompeius, Magni filius..... navali prælio vicit;* conf. Appian. Bell. Civ. III, 4, IV, 25, 36 sq. 83-87, V, 15, 18, 70; Dio, XLV, 10, XLVII, 36, 37, XLVIII, 17-23; Plut. Anton. p. 930, 48, 17-23. — *Cum exercitu diu*, etc. « Quomodo *exercitum* habere et cum eo diu in mari prædari potuit, qui *nullam loci cujusquam possessionem* habebat? Si manum illam *proscriptorum ac fugitivorum*, quos ex Epiro legerat, *exercitum* vocavit, non admodum proprie loquutus est ». Duk. — *Q. Salvidienum* Rufum; vide tamen ad Epit. CXXVII, 3; Drak. ad h. l. et intpp. Suet. Aug. 66, et Vell. II, 59.

2. *Cæsar et Antonius..... contra Brutum et Cassium gesturi;* conf. Dio,

Q. Cornificius in Africa T. Sextium, Cassianarum partium ducem, prælio vicit[3].

EPITOME LIBRI CXXIV.

C. Cæsar et Antonius apud Philippos[1], vario eventu adversus Brutum et Cassium pugnaverunt, ita ut dextra utriusque cornua vincerent, et castra quoque utrimque ab iis, qui vicerant, expugnarentur. Sed inæqualem partium fortunam mors Cassii fecit; qui, quum in eo cornu fuisset, quod pulsum erat, totum exercitum fusum ratus, mortem sibi conscivit. Altero deinde prælio victus M. Brutus[2] et ipse vitam finivit, exorato Stratone fugæ comite, ut sibi gladium adigeret; idemque fecerunt principum romanorum circiter quadraginta, inter quos Q. Hortensius erat.

XLVII, 35 sq. Appian. Bell. Civ. IV, 82, 86, 106.

3. *Q. Cornificius in Africa T. Sextium, Cassianarum partium ducem, prælio vicit;* vid. Dio, XLVIII, 21 sq. Appian. Bell. Civ. III, 85, IV, 36, 53-56, V, 12, 26, 75. Horum narratio diversa est: sed ex iis cum Sigon. et Drak. forte leg. *Q. Cornificium in Africa Cassian. part. ducem T. Sextius præl. vicit.* Cornificium a Cassio et rep. non alieno fuisse animo, docet Duk. ex Dione, Appian. et Cic. ad Div. XII, 22, 25. — Legendum *Cæsarianarum partium* conj. Henr. Vales. prob. Crev. Ed.

Epit. CXXIV. 1. *C. Cæsar et Antonius apud Philippos..... conscivit;* vid. Pigh. Ann. ad a. 711; Plutarch. Brut. pag. 1001-1007; Appian. Bell. Civ. IV, 86-114, 129 sq. Dio, XLVII, 36-47; Suet. Aug. 13. *Dextra utriusque cornua,* immo *utriusque aciei,* vel *utrorumque,* vel *utrimque;* Gron.

2. *Altero deinde prælio victus M. Brutus,* etc. conf. Plutarch. Brut. 1007-1009; Appian. Bell. Civ. IV, 116-138; Dio, XLVII, 47-49; Vell. II, 71. — *Ut sibi gladium adigeret;* multi codd. *adiceret,* quod æque notat *adigere,* quam *adjicere;* unde fit ut hæc verba non semel a librariis commutentur, ut apud Val. Max. III, 2, § 23, similiter verba *subigere* et *subjicere.* Videatur Epitome CXVIII, n. 3. Ed. — *Idemque fecerunt p. r. ...erat;* hæc recepi ex Exc. Pith. pro vulg. *annorum circiter XL, inter quos Q. H. occisus est,* quæ saltem manca sunt.

EPITOME LIBRI CXXV.

C. Cæsar, relicto trans mare Antonio, quæ provinciæ ex partitione imperii in potestatem ei cesserant, reversus in Italiam veteranis agros divisit[1]. Seditiones exercitus sui, quas corrupti a Fulvia, M. Antonii uxore, milites adversus imperatorem suum concitaverant, cum gravi periculo inhibuit[2]. L. Antonius consul, M. Antonii frater, eadem Fulvia consiliante, bellum Cæsari intulit[3]; receptis in partes suas populis, quorum agri veteranis assignati erant, et M. Lepido, qui custodiæ Urbis cum exercitu præerat, fuso, hostiliter in urbem irrupit.

EPITOME LIBRI CXXVI.

C. Cæsar[1], quum esset annorum viginti trium, ob-

Epit. CXXV. 1. *C. Cæsar relicto trans mare Antonio,... reversus in Italiam veteranis agros divisit;* conf. Plut. Anton. p. 929 D. Dio, XLVI, 55, XLVIII, 1, 6-12; Appian. Bell. Civ. V, 3 sq. 12 sq. 22; Sueton. Aug. 13, 15, 27; Tac. Ann. I, 10. *Relicto trans mare Antonio... cesserant* ed. Camp. et omnes fere MSS quos sequutus sum, nisi quod in his *ex parte imperii potestate recesserant*, et in ed. Camp. *ei cesserant* legitur; quæ jam ita emendavere Gron. et Crev. qui tamen *ejus* pro *ei* conjecere. *C. Cæsar, relicto Antonio, transmarinæ provinciæ ex parte imperium ei cessit: reversus,* etc. perperam omnes edd. præter Camp.

2. *Seditiones exercitus sui, corrupti a Fulvia..... inhibuit;* vid. Appian. Bell. Civ. V, 14, 19 sq. Dio, XLVIII, 6-12.

3. *L. Antonius consul* a. U. 713... *bellum Cæsari intulit* Perusinum... *in Urbem irrupit;* cf. Appian. Bell. Civ. V, 19-31; Dio, XLVIII, 13. — Vox *fuso* deest in Boend. et edit. Camp. sed male. Ea enim voce omissa, observat Drak., sensus foret, L. Antonium etiam M. Lepidum in partes suas recepisse; quum tamen ex Appian. l. l. constet, Cæsarem Octavianum, expeditionem adversus L. Antonium suscepturum, Lepidum cum duabus legionibus Urbi præfecisse: Antonium autem, quum clam ad urbem accessisset, mira celeritate eam ingressum esse, portis sibi proditis; quo tempore Lepidus ad Cæsarem evasit. Ed.

Epit. CXXVI. 1. *C. Cæsar... confecit;* conf. Appian. Bell. Civ. V, 32-50, 54; Dio, XLVIII, 14; Flor. IV, 5; Vell. II, 74; Suet. Aug. 14, 15.

sessum in oppido Perusia L. Antonium, conatumque aliquoties erumpere et repulsum fame coegit in deditionem venire, ipsique et omnibus militibus ejus ignovit. Perusiam diruit; redactisque in potestatem suam omnibus diversæ partis exercitibus, bellum citra ullum sanguinem confecit.

EPITOME LIBRI CXXVII.

Parthi, Labieno, qui Pompeianarum partium fuerat, duce, in Syriam irruperunt, victoque Decidio Saxa, M. Antonii legato, totam eam provinciam occupaverunt[1]. M. Antonius, quum ad bellum contra Cæsarem gerendum[2] incitaretur, uxore Fulvia dimissa, ne concordiæ ducum obstaret, pace facta cum Cæsare, sororem ejus Octaviam in matrimonium duxit. Q. Salvidienum, consilia nefaria contra Cæsarem molitum, indicio suo protraxit[3]; isque damnatus

Epit. CXXVII. 1. *Parthi, Labieno duce, in Syriam irruperunt, victoque Decidio Saxa... occupaverunt;* vid. Dio, XLVIII, 24 sq. Appian. Bell. Civ. V, 9 sq. 65, 133, in hist. Parth. 71 sq. Justin. XLII, 4; Strab. XIV, 974. De *Decidio Saxa* vid. Reim. ad Dion. XLVII, 35; Noris. ad Genot. Pis. II, 16, 5; Cæsar de Bell. Civili, lib. I, cap. 66; Ernesti Clavis Ciceroniana.

2. *M. Antonius, quum ad bellum contra Cæsarem gerendum* a Fulvia propter æmulationem Cleopatræ, quam Antonius perdite amabat, *incitaretur, uxore Fulvia dimissa, ne concordiæ ducum obstaret, pace facta cum Cæsare, sororem ejus Octaviam in m. duxit;* conf. Dio, XLVIII, 4 sq. 24, 27-31; Plut. Anton. p. 926-930; Appian. Bell. Civ. V, 8 sq. 50, 52-66. Ex quibus locis partim cum Gron., partim cum Duk. legendum videtur *incitaretur ab uxore Fulvia, ea amissa* (i. e. mortua; nam de divortio Antonii nihil usquam proditum est), *quæ concordiæ ducum obstabat;* vel potius *gerendum paratus esset* (ita cod. Leid. pro *incitaretur,* quod in 5 MSS deest), *uxore Fulvia amissa*, etc. Præterea copulam *et* ante *pace facta* excidisse crediderim.

3. *Q. Salvidienum, consilia... indicio suo protraxit* (vide ad Livium, XLIV, 26, n. 1), *isque d. m. s. c.* confer ad Epit. CXXIII, 1; Appian. Bell. Civ. V, 66; Dio, XLVIII, 33; Suet. Aug. 66. — De Salvidieni nomine non consentiunt codd. Videatur Drak. Ed.

mortem sibi conscivit. P. Ventidius, Antonii[4] legatus, Parthos, prælio victos, Syria expulit, Labieno eorum duce occiso. Quum vicinus Italiæ hostis Sex. Pompeius[5] Siciliam teneret, et commercium annonæ impediret, cum eo postulatam pacem Cæsar et Antonius fecerunt, ita ut Siciliam provinciam haberet. Præterea motus Africæ et bella ibi gesta[6] continet.

EPITOME LIBRI CXXVIII.

Quum Sex. Pompeius rursus latrociniis mare infestum redderet, nec pacem, quam acceperat, præstaret, Cæsar, necessario adversus eum bello suscepto, duobus navalibus prælis dubio eventu pugnavit[1]. P. Ventidius, legatus M. Antonii, Parthos in Syria prælio vicit, regemque eorum occidit[2]. Judæi quoque

4. *P. Ventidius* Bassus, *Antonii legatus* (vide ad Juvenal. VII, 199; Appian. Bell. Civ. III, 66, 80, IV, 2, V, 31-35, 50; Gell. XV, 4; Plin. VII, 43, 44; Vell. II, 65; Val. Max. VI, 9, § 9), *Parthos prælio victos Syria expulit* an. Urb. 715, *Labieno eorum duce* (vid. not. 1) *occiso;* conf. Plut. Anton. p. 930 sq. Appian. Bell. Civ. V, 65, et hist. Parth. 71-74; Dio, XLVIII, 39-42. Hæc et seqq. non bene temporibus digesta esse, adversus Noris. disputat Pagius in apparatu chronol. ad annales Baronii, § 83 et 93.

5. *Quum vicinus Italiæ hostis Sex. Pompeius* (cujus classibus præfecti erant perfidus Menas, seu Menodorus et Menecrates, liberti paterni) *Siciliam teneret, et commercium annonæ* (ut Epit. XCIX) *impediret... haberet* a. U. 715; vid. Appian. Bell. Civ. V, 66-74; Dio, XLVIII, 30, 31, 36 sq. Zon. X, 22; Vell. II, 73, 76, 77.

6. *Motus Africæ et bella ibi gesta* civilia a T. Sextio cum Cornificio et Fangone; vid. Appian. Bell. Civ. IV, 53-56, V, 12, 12, 26, 75; Dio, XLVIII, 21 sq. — *Et bella ibi gesta;* vox *ibi* deerat ante Sigon. qui hanc in vet. cod. reperit. Ed.

Epit. CXXVIII. 1. *Quum Sex. Pompeius... pugnavit* a. Urb. 716; vid. Appian. Bell. Civ. V, 77-100; Dio, XLVIII, 45 sq. — *Pacem, quam acceperat,* Voss. *quam acceptaverat.* Sed alterum unius codicis auctoritate, contra vulgatam codd. fidem non mutandum est. Ed.

2. *P. Ventidius... Parthos vicit regemque eorum* Pacorum *occidit,* et ab Antonio, fortunæ ejus invido, Romam dimissus de Parthis primus triumphavit a. Urb. 716; vide ad Epitom. CXXVII, 4; Dio, XLIX, 19-21, et Frontin. I, 1, § 6.

a legatis Antonii subacti[3] sunt. Præterea belli Siculi apparatum[4] continet.

EPITOME LIBRI CXXIX.

Adversus Sex. Pompeium, vario eventu, navalibus prœliis pugnatum est, ita ut ex duabus Cæsaris classibus altera, cui Agrippa præerat, vinceret; altera, quam Cæsar duxerat, deleta, expositi in terram milites in magno periculo essent. Victus deinde Pompeius[1] in Siciliam profugit. M. Lepidus, qui ex Africa velut ad societatem belli, contra Sex. Pompeium a Cæsare gerendi, trajecerat, quum bellum Cæsari quoque inferret, relictus ab exercitu[2], abrogato triumviratus honore, vitam impetravit. M. Agrippa navali corona a Cæsare donatus est : qui honos nulli ante eum habitus erat[3].

3. *Judæi a legatis Antonii subacti* a. Urb. 717; vid. Joseph. Ant. Jud. XIV, 26 sq. XV, 1, Bell. Jud. I, 12 sq. Hegesipp. I, 30; Dio, XLVIII, 41. — Antea hic locus legebatur ita: *Judæorum quoque legati ab Antonio interempti sunt.* Nostra lectio, e vet. lib. eruta, debetur Sigonio. Ed.

4. *Belli Siculi apparatum* adversus Sex. Pompeium; vid. Dio, XLVIII, 49, XLIX, 1; Appian. Bell. Civ. V, 100.

Epit. CXXIX. 1. *Adversus Sex. Pompeium... victus deinde Pompeius* novo prœlio inter Mylas et Naulochum, prope Pelorum prom. Siciliæ, a. Urb. 718, a M. Agrippa, *in Siciliam* (immo *ex Sicilia;* Drak.) *profugit* Mitylenen et inde in Asiam, ut opem imploraret Antonii; sed bello ibi infeliciter renovato jussu Antonii vel legatorum ejus, Amyntæ et Titii, quibus se dediderat, Midaii aut Mileti interfectus est a. U. 719. Cf. Epit. CXXXI pr. Dio, XLIX, 1-18; App. Bell. Civ. V, 100-122, 127, 133-143; Vell. II, 79; Sueton. Aug. 16; Flor. IV, 8; Eutrop. VII, 6.

2. *M. Lepidus... relictus ab exercitu* a. U. 718, *abrogato triumviratus honore, vitam impetravit,* et solum pontificatum max. retinuit usque ad vitæ finem a. Urb. 741; vid. Appian. Bell. Civ. V, 97, 98, 104, 117, 122-126, 131; Dio, XLIX, 11, 12, 15; Vell. II, 80. — *Relicto exercitu* pro *relictus ab exercitu* in codd. suis Drakenb. legi testatur, et apparere in omnibus edd. usque ad Frobenium, qui anno 1535 quod nunc legitur dedit. Ed.

3. *M. Agrippa navali corona*, rostrata, *a Cæsare donatus est, qui honos nulli ante* et post *eum habitus*

EPITOME LIBRI CXXX.

M. Antonius, dum cum Cleopatra luxuriatur[1], tarde Mediam ingressus, bellum cum legionibus octodecim et sexdecim millibus equitum Parthis intulit; et quum, duabus legionibus amissis, nulla re prospere cedente, retro rediret, insequutis subinde Parthis, et ingenti trepidatione, et magno totius exercitus periculo, in Armeniam reversus est, viginti et uno diebus trecenta millia[2] fuga emensus. Circa octo millia hominum tempestatibus amisit: tempestates quoque infestas super tam infeliciter susceptum Parthicum bellum culpa sua passus est; quia hiemare in Armenia nolebat, dum ad Cleopatram festinat.

EPITOME LIBRI CXXXI.

Sex. Pompeius, quum in fidem M. Antonii veniret, bellum adversus eum in Asia moliens, oppressus a legatis ejus, occisus est[1]. Cæsar seditionem veteranorum, cum magna pernicie motam, inhibuit[2]: Iapydas et Dalmatas et Pannonios subegit. Antonius Artavas-

erat; conf. Dio, XLIX, 14; Vell. II, 81; Sen. de Ben. III, 32. « Sed apud Lips. de Mil. Rom. V, 17; Grut. ad Vell. l. l. Cerdam ad Virg. Æneid. VIII, 684, et Scheffer. de Mil. nav. IV, 3, contraria sunt testimonia scriptorum veterum. Alii hos lapsos putant, alii illos. Schefferus ad figuram et speciem coronæ navalis diversam referendum censet ». Duk.

Epit. CXXX. 1. *M. Antonius, dum cum Cleopatra luxuriatur;* et hinc bellum Parthicum diu per legatos gerit, *tarde Mediam... ad Cleopatram festinat* a. Urb. 718-721. Conf. Plut. Anton. p. 932-940; Dio, XLIX, 22-33, 39-44; Joseph. Ant. Jud. XV, 3 sq. Flor. IV, 10; Vell. II, 82, 83.

2. *Trecenta millia*, h. e. ex Crev. centum leucas nostrates. Ed.

Epit. CXXXI. 1. *Sex. Pompeius... occisus est;* vide ad Epit. CXXIX, 1. — Pro *veniret* mallet Gronovius *venisset*. Ed.

2. *Cæsar seditionem veteranorum ... inhibuit;* vid. Appian. IV, 127, 131; Dio, XLIX, 13 sq. — *Iapydas et Dalmatas et Pannonios subegit* a. U. 719 sq. vid. Appian. Illyr. 16-28; Dio, XLIX, 34-38, 43. — *Iapigas*

dem, Armeniæ regem[3], fide data perductum, in vincula conjici jussit, regnumque Armeniæ filio suo, ex Cleopatra nato, dedit; quam uxoris loco, jam pridem captus amore ejus, habere cœperat.

EPITOME LIBRI CXXXII.

Cæsar in Illyrico Dalmatas domuit[1]. Quum M. Antonius ob amorem Cleopatræ[2], ex qua duos filios habebat, Philadelphum et Alexandrum, neque in Urbem venire vellet, neque, finito triumviratus tempore, imperium deponere, bellumque moliretur, quod Urbi et Italiæ inferret, ingentibus tam navalibus quam terrestribus copiis ob hoc contractis, remissoque Octaviæ sorori Cæsaris repudio, Cæsar in Epirum cum exercitu trajecit. Pugnæ deinde navales et prælia equestria secunda Cæsaris referuntur.

multi codd. sed male; vid. Drakenb. ad Liv. XLIII, 5, § 3. Ed.

3. *Antonius Artavasdem* (forte *Artavasden*; Drak.), *Armeniæ regem* perfidum, Tigranis filium, qui Antonium Parthis prodiderat... *in vincula conjici jussit, regnumque Arm. filio suo, ex Cleopatra nato, dedit* a. U. 720. Conf. Plut. Anton. p. 932 sq. 939 sq. Dio, XLIX, 25 sq. 31, 32, 39-41 (ubi Armeniam Alexandro, Cleopatræ fratri, datam dicit), 44; Appian. Bell. Civ. II, 71, et hist. Parth. 31, 36, 38, 68, 76, 78, 99; Oros. VI, 19; Joseph. Antiq. Jud. XV, 3 sq. Strab. XI, 12, 4, XI, 13, 9, 10, 15, p. 524, 530, 532. *Artavasdes* quibusdam *Artabazes*, et Dioni utroque modo, dicitur, nomenque ejus in MSS et hujus Epit. et scriptorum modo laudatorum in varias formas distortum reperitur.

Epit. CXXXII. 1. *Cæsar in Illyrico D. d.* conf. ad Epit. CXXXI, 2.

2. *Quum M. Antonius ob amorem Cleopatræ... Philadelphum et Alexandrum..... Cæsar in Epirum c. e. trajecit... Pugnæ d. navales:* quamquam fere semper sola ad Actium pugna memoretur, eodem tamen bello alia prælia navalia accidisse bene monet Drakenborch. sed omnia, quæ præcesserant, obscuravit postremum illud in sinu Ambracio ad Actium, prom. Acarnaniæ a. U. 723. Cf. Dio, XLIX, 32-41, L, 1-35; Plut. Anton. p. 942-947; Vell. II, 82-85; Oros. VI, 19.

EPITOME LIBRI CXXXIII.

M. Antonius, ad Actium classe victus[1], Alexandriam profugit; obsessusque a Cæsare, in ultima rerum desperatione, præcipue occisæ Cleopatræ falso rumore impulsus, se ipse interfecit. Cæsar, Alexandria in potestatem redacta, Cleopatra, ne in arbitrium victoris veniret, voluntaria morte defuncta, in Urbem reversus, tres triumphos egit[2]; unum ex Illyrico, alterum ex Actiaca victoria, tertium de Cleopatra, imposito fine civilibus bellis altero et vigesimo anno. M. Lepidus, Lepidi, qui triumvir fuerat, filius, conjuratione contra Cæsarem facta, bellum moliens, oppressus et occisus est[3].

EPITOME LIBRI CXXXIV.

Cæsar, rebus compositis[1] et omnibus provinciis in certam formam redactis, *Augustus* quoque cognomi-

Epit. CXXXIII. 1. *M. Antonius, ad Actium classe victus... se ipse interfecit. Cæsar, Alexandria in p. redacta* ac (quod forte excidit) *Cleopatra, ne in a. v. v.*, etc. vid. Dio, LI, 1-18; Plutarch. Anton. p. 948-955; Strab. XVII, p. 1144 sq. Oros. VI, 19; Zonar. X, 30; Vell. II, 86 sq. Flor. IV, 11; intpp. Horat. Od. I, 37, et Virg. Æn. VIII, 675 sq.

2. *Tres triumphos egit*, Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum; cf. Dio, LI, 21; Suet. Aug. 22. — *Tertium de Cleopatra;* sic legi jussit Sigonius, non *ex Cleopatra*, quoniam cum nominibus hominum propriis verbum *triumphare* postulat præpositionem *de*, non *ex*. Ed. — *Imposito fine civilibus bellis altero et vigesimo anno*, quot anni a Lentulo et Marcello coss. a. 704, ad Cæsarem V et Sex. Apuleium coss. a. 724 numerantur; Sigon. Conf. intpp. Vell. II, 89. — Ante Sigonium legebatur *altero et tricesimo*. Ed.

3. *M. Lepidus... occisus est* a. U. 724; vid. Vell. II, 88, et Sueton. Aug. 19.

Epit. CXXXIV. 1. *Cæsar, rebus compositis...* a. Urb. 727, *Augustus cognominatus est, et mensis*, etc. forte *ut et mensis Sextilis in h. e. a.;* Gron. vel *ut et m. Sextilis, in h. e. ita appellatus;* Periz. Conf. Dio, LI, 19 sq. LIII, 16 sq. Sueton. Aug. VII, 31; Ovid. Fast. I, 607 sq. Censorin. cap. 21; Oros. VI, 20; Vell. II, 90, 91, et Marm. Ancyr.

natus est; et mensis Sextilis in honorem ejus appellatus est. Quum ille conventum Narbone ageret[2], census a tribus Galliis, quas Cæsar pater vicerat, actus. Bellum adversus Bastarnas et Mœsos et alias gentes a M. Crasso gestum[3] refertur.

EPITOME LIBRI CXXXV.

Bellum a M. Crasso adversus Thracas[1], et a Cæsare adversus Hispanos gestum refertur; et Salassi, gens Alpina, perdomiti[2].

EPITOME LIBRI CXXXVI.

Rætia a Ti. Nerone et Druso, Cæsaris privignis, domita[1]. Agrippa, Cæsaris gener, mortuus[2]; et a Druso census actus est[3].

2. *Quum ille conventum Narbone ageret;* dant nonnulli codd. *egit*, quod olim edebatur. Ed. — *Census a tribus Galliis*, Belgica, Aquitanica et Celtica (vid. Cæs. Bell. Gall. I, 1), *actus* a. Urb. 727; vid. Dio, LIII, 22. In Galliis, quibus Julius Cæsar quadringenties in singulos annos stipendii nomine imposuerat (vid. Suet. Cæs. 25). Augustus primus censum agere instituit, quod fortassis nunquam ante eum in ulla provincia, sed non multo post etiam in aliis quibusdam a Romanis factum est; Duk. Cf. ad Tac. Ann. I, 31, n. 6.

3. *Bellum adversus Bastarnas et Mœsos... a M. Crasso gestum* a. U. 724 sq. vid. Dio, LI, 23-27; Flor. IV, 12.

Epit. CXXXV. 1. *Bell. a M. Crasso adversus Thracas gestum;* conf. ad Epit. CXXXIV, 3. — *A Cæsare adversus Hispanos*, Astures, Cantabros (unde bellum Cantabricum dicitur) et Britannos gestum a. Urb. 727-730. Conf. Dio, LIII, 22, 25-29; Horat. Od. I, 35, III, 14; Flor. IV, 12, 46 sq. Oros. VI, 21. — *Gestum refertur;* vox *refertur* non apparet in Vossio, teste Drak. Ed.

2. *Salassi, gens Alpina, perdomiti* a. Urb. 729 a Terentio Varrone; vid. Dio, LIII, 25; Strab. IV, 6, 7, p. 205.

Epit. CXXXVI. 1. *Rætia a Ti. Nerone et Druso, Cæsaris privignis, domita* una cum Vindelicia et Norico a. Urb. 739. Conf. Dio, LIV, 20-22; Strab. IV, 206, VII, 292; Vell. II, 95 sq. intpp. Horat. Od. IV, 4 et 14; Oros. VI, 21. Cæterum ante hanc Epitomen intercidisse duas alias, jam monui in Procemio.

2. *Agrippa, Cæsaris gener, mortuus* a. U. 742. Conf. Dio, LIV, 28 sq. Plin. VII, 8.

3. *A Druso census actus est*, scil. in Galliis, ut est in fragm. orationis

EPITOME LIBRI CXXXVII.

Civitates Germaniæ, cis Rhenum et trans Rhenum positæ, oppugnantur a Druso[1], et tumultus, qui ob censum exortus in Gallia[2] erat, compositus; ara Cæsari ad confluentem Araris et Rhodani dedicata[3], sacerdote creato C. Julio Vercundari Dubio Æduo.

EPITOME LIBRI CXXXVIII.

Thraces domiti a L. Pisone[1]; item Cherusci, Tencteri, Chatti[2] aliæque Germanorum trans Rhenum gentes subactæ a Druso referuntur. Octavia, soror Augusti, defuncta, antea amisso filio Marcello[3]; cujus monimenta sunt theatrum et porticus, nomine ejus dedicata.

Claudii Imp. apud Gruter. Inscr. pag. 192; Duk.

Epit. CXXXVII. 1. *Civitates Germaniæ... o. a Druso* a. U. 741-745. Conf. Epit. CXXXVIII, CXXXIX, CXL; Dio, LIV, 25, 32 sq. 36, LV, 1, 2; Vell. II, 97; Suet. Claud. 1; Strab. VII, 290, 291; Oros. VI, 21; Flor. IV, 12; Hor. Od. IV, 2; Cellarii Diss. de Claudii Drusi expeditt.

2. *Tumultus, ob censum* et avaritiam Licinii Enceladi *exortus in Gallia*; vid. Dio, LIV, 19, 21; Sueton. Aug. 67; Macrob. Sat. II, 4.

3. *Ara* Lugdunensis *Cæsari* et Romæ *ad confluentem Araris et Rhodani dedicata;* vide ad Juvenal. I, 44; Sueton. in Calig. 20, in Claud. 2; Dio, LIV, 32; Strab. IV, 3, 2, pag. 192, et *Menestrier, Histoire consulaire de Lyon*, pag. 68-73. — *Sacerdote creato C. Julio V. Dubio Æduo:* Ædui μεταξὺ τοῦ Δούβιος καὶ τοῦ Ἄραρος habitabant (vid. Strab. IV, 192): quare flumini forte illi vicina fuit urbs ignobilis ejusdem nominis, hujus *C. Julii* patria, unde *Dubius* vocatur, gente Æduus; Drak. — Vocem *creato* insigni negligentia omiserunt Donat. et Cleric. Ed.

Epit. CXXXVIII. 1. *Thraces domiti a L. Pisone*, qui Pamphyliæ præerat, a. Urb. 743; vid. Dio, LIV, 34; Vell. II, 98; Flor. IV, 2. — Ante Sigonium perperam legebatur *a L. Scipione*. Ed.

2. *Cherusci, Tencteri, Chatti*, etc. vide ad Epit. CXXXVII, 1.

3. *Octavia* minor, *soror Augusti, defuncta* a. U. 743, *antea amisso filio Marcello*, Augusti nepote et genero, a. U. 731; vid. Dio, LIII, 30, LIV, 35; Suet. Aug. IV, 61, 63; Vell. II, 93; Virg. Æn. VI, 855-888 (ubi cf. Heyn.), et Horat. Od. I, 12, 45; ubi

EPITOME LIBRI CXXXIX.

Bellum adversus Transrhenanas gentes a Druso gestum[1] refertur: in quo inter primores pugnaverunt Senectius et Anectius tribuni, ex civitate Nerviorum. Dalmatas et Pannonios Nero, frater Drusi[2], subegit. Pax cum Parthis facta est, signis a rege eorum, quæ sub Crasso et postea sub Antonio capta erant, redditis[3].

EPITOME LIBRI CXL.

Bellum adversus[1] Germanorum trans Rhenum civitates, gestum a Druso, refertur. Ipse ex fractura, equo super crus ejus collapso, tricesimo die, quam id acciderat, mortuus est. Corpus a Nerone fratre, qui, nuntio valetudinis evocatus, raptim adcurrerat,

vid. Mitscherl. — *Cujus* Marcelli *monimenta sunt theatrum et porticus, nomine ejus dedicata*, h. e. æque ac si ille dedicasset, Marcelli theatrum et porticus appellata; Sigen. Vid. Dio, LIII, 30; Suet. Aug. 29, 43. — Vett. edd. pro *nomine* dant *nomini*. Ed.

Epit. CXXXIX. 1. *Bellum adversus Transrhenanas gentes a Druso gestum*, etc. cf. ad Epit. CXXXVII, 1. Verba *Senectius et Anectius*, etc. corrupta esse, ex MSS probabile fit. — Pro *refertur* Boend. et edit. Campan. *continetur*. Ed.

2. *Dalmatas et Pannonios* Ti. *Nero, frater Drusi, subegit* a. U. 742; vid. Dio, LIV, 31; Vell. II, 39, 96.

3. *Pax cum Parthis facta est, signis a rege eorum* Phraate IV, *quæ sub Crasso et Antonio capta erant, redditis* Augusto, in Asia versanti et sola nominis rerumque gestarum fama metuve belli Parthos terrenti; vid. Dio, LI, 18, LIII, 33, LIV, 8; Joseph. Antiq. Jud. XVIII, 2, 4; Strab. IV, 441, XVI, 1805 sq. Sueton. in Aug. 21, 43, in Tib. IX; intpp. Horat. Od. I, 2, 51, et 3, 5. Hæc vero jam facta sunt a. Urb. 734. Hinc Massonus in Jano reser. IV, 2, 2, suspicabatur, vel vocem *ante* post *facta est* excidisse, vel hæc verba librariorum errore loco mota et huc detrusa esse. Conf. ad Epit. CIII, 10, et Duk. ad h. l.

Epit. CXL. 1. *Bellum adversus... conditum* a. Urb. 745; vide ad Epit. CXXXVII, 1; Dio, LV, 1, 2, et ad Tac. Ann. III, 5. — Pro *adcurrerat* legi jubet Gruterus *adcucurrerat* ex MSS Pall. Quamvis vero Livius ipse

Romam pervectum et in C. Julii tumulo conditum. Laudatus est a Cæsare Augusto vitrico, et[2] supremis ejus plures honores additi.

augmentum præteritis compositorum verbi *curro* sæpe addiderit, ut notavit Drak. ad Liv. I, 12, § 8, idem tamen et auctorem Epitomarum fecisse non observavimus. Ed. — *Romam pervectum*; vett. edd. *revectum* exhibent. Ed. — *In C. Julii tumulo*, h. e. in Augusti (qui solo h. l. *C. Julius* vocatur) monimento, seu mausoleo, ut apud Suet. Aug. 17, et Tac. Ann. III, 4, n. 1. Conf. Duk. et Drak. ad h. l. et Dio l. l.

2. *Laudatus est a Cæsare Augusto* et Tiberio, *et supremis*, etc. Cf. Dio l. l. et Tac. Ann. III, 5. *Suprema* pro morte, sive eo, quod mortuis fieri solet, etiam pro reliquiis cadaveris cremati, poni, Salmas. ad Solinum, pag. 16 et 31 docet; Drak. Conf. ad Tac. Ann. I, 8, n.

EPITOMARUM FINIS.

PRÆMONITIO

AD LECTOREM

DE HANNIBALE APENNINUM TRANSEUNTE.

Quod superest, antequam ad indices Livianos transeamus, obligatam, supra pag. 412, fidem exsolvere volumus. Nescio quonam singulari fato factum sit, ut Hannibalis itinera, temporum nocte obscurata, in ambiguo relinquantur, quasi, quum romanos duces falleret, etiam posteros decipere voluerit callidissimus imperator. Jam enim in hujus Livianæ editionis volumine IV, p. 475, de Alpibus ab eo superatis fuse disseruimus : nunc vero qua parte Apenninum transcenderit, inter doctos ambigitur. At ecce quæstionem jampridem ac solenniter minus tractatam, neque satis feliciter explanatam, arripuit vir (1), non minus antiquitatis quam naturæ sagax et literatus indagator, Clar. Cuvier, cujus nomen pronuntiatum in se laudem splendidissimam habet. Si autem illa fax eruditissimi ingenii non difficultatem sustulerit, quis unquam nodum tentare ausurus est?

N. E. Lemaire.

(1) *Recherches sur les ossements fossiles de Quadrupèdes, p.* 87, *tom. I.*

EXCURSUS

DE ITINERE QUOD SEQUI DEBUIT HANNIBAL, QUUM PER APENNINUM A TREBIA AD TRASIMENI LACUM PROPERARET.

LIB. XXII, CAP. I, ET SQQ.

Multi et doctissimi viri diligentibus studiorum curis hodiernum ad hunc diem definire tentaverunt, quænam juga per Alpium tractus ruperit Hannibal, unde cum exercitu suo in Italiam descenderit. Alii Polybium, alii Titum Livium, tantos historiarum scriptores, ducem sequuti, modo huic, modo illi palmam victoriæ detulerunt; nonnulli utrumque de facinore hoc inter omnia tunc audacissimo dissentientem conciliare conati sunt; atque omnes in hanc quæstionem tam sæpe, tam acriter disputaverunt, ut dubium esse fere crediderim, utrum plus Hannibal in aperiendis per Alpes itineribus, an docti plus in investiganda ipsius via exsudaverint. (Vide, si placet, Excursum de ipso transitu Alpium, et variarum dissertationum indicem, quem collegimus pag. 475 et sqq. volum. IV hujus editionis.)

Nunc autem alia est quæstio, paucioribus antiquitatis interpretibus agitata, diu nulli soluta, scilicet de itinere, quod per Apenninum montem sequutus est idem Hannibal, post Romanorum exercitus ad Ticinum Trebiamque profligatos, ut Etruriam ingrederetur, et ad campos Cortonam inter et Trasimenum sitos perveniret, ubi tertiam, nec minus insignem victoriam reportavit. Cujus itineris vestigia densioribus tenebris involuta clarissimam ad lucem nuper

protulit vir in omni scientiarum genere nulli secundus, Clar. Cuvier, quem de hac re rationibus firmis, ut ipsi mos est, disserentem adducere nobis operæ pretium videtur : qui quidem labor difficilis duobus his constat, primum collatis optimorum inter veteres auctorum opinionibus; deinde locorum ipsorum situ habituque accurate demonstrato. Sic igitur utrumque aggrediamur.

Polybius, lib. III, cap. 74, descripta ad Trebiam pugna, addit, « Pœnos imbrium impeditos sævitia, progredi ulterius « nequivisse, et adeo intolerabili frigoris vi afflictos, ut ele- « phanti omnes, uno excepto, jumenta magna ex parte, ho- « minum quoque atque equorum ingens numerus perierit : « Sempronium vero misisse Romam, qui nuntiarent hieme « sibi e manibus ereptam victoriam». Pugnatum ergo ad Trebiam sub autumni finem.

« Ineunte vere », addit Polybius, cap. 77, « cum exer- « citu in Tusciam profectus Flaminius, Aretium pervenit, « dum Servilius per Umbriam iter agens, copias Ariminum « traducebat. » Narrat idem, c. 78, « Hannibalem, quum Gal- « lorum animos sibi infensos sentiret, maturius movendum « ex hibernis intellexisse, et vocatis qui docti itinerum « erant, vias quæ in agrum hostilem tenderent, ab iis quæ- « sivisse : cæteras audivisse et longas et notas hostibus; unam « quæ per paludes in Tusciam duceret, tametsi difficilem, « perbrevem tamen, et qua in Flaminium nec opinantem « reique novitate terrendum ferri cum exercitu ipse posset : « quum fama per ipsius castra sparsisset iter palustre eme- « tiendum, cunctos ad id itineris perficiendum segnes, loca « profunda et lacus valde timuisse ».

Describit deinde Polybius, quo ordine agmen traduxerit Hannibal, et quæ sui, et ipse passi sint. « Tandem, ait idem, « superatis, præter omnium opinionem, paludibus, quum « certum per exploratores habuisset, Flaminium circa Aretii « mœnia esse, castra propter ipsas paludes in sicco posuit, « partim ut fessum tot laboribus exercitum reficeret, partim « ut consilia et vires hostium, et regionis situm, et itinera » scrutaretur. Postquam vero compertum habuit, eam regio-

« nem in primis Italiæ fertilem esse, camposque qui Fæsulas « inter atque Arretium jacent, frumento, et omni copia rerum « opulentos : præterea consulem ferocem quidem et popu- « larem, sed artis bellicæ expertem, et rebus suis nimis con- « fidentem, cogitavit optimum fore, si a læva relicto hoste, « ultra progredi et Fæsulas petere simularet, ac prædabundus « per Etruriæ agros grassaretur; ratus consulem, ob insitam « ejus ingenio conciliandæ apud vulgus gratiæ cupiditatem, « haud passurum vastitatem per provinciam fieri: et ut ne- « minem bene gestæ rei socium haberet, nequaquam ex- « spectaturum collegæ opem, sed ipsum suis viribus, dimi- « candi animo, quacumque intrepide sequuturum. »

« Nempe », pergit Polyb. cap. 83, « quanta celeritate potuit « Hannibal, a Fæsulanis agris profectus, relicto post se Fla- « minio, campos Etruriæ cædibus atque incendiis vastare « cœpit. Quibus rebus accensus consul, simul contemni se « ab hostibus putans, simul res sociorum in conspectu suo « vastari, sibi dedecus ratus, nullum quietis locum capere « poterat. Etsi igitur multi suaderent collegam exspectaret, « nihilominus in Hannibalem suos jussit irrumpere... Ad « sinistram Hannibalis Cortona urbs erat, ad dextram Tra- « simenus lacus; ille quamplurimum agros vastabat, quo « magis irritaretur animus consulis. Dein, ubi ingressam « campos majorem partem copiarum, et jam propinquantem « sibi consulem animadvertit, obversa fronte dat simul om- « nibus invadendi signum, et ad eos mittit, qui in insidiis « erant, ut prorumperent. » Scilicet lacum inter et colles proximos, ingens illud commissum fuit prælium.

His ex Polybii locis satis patet Hannibalem, debellatis ad Trebiam Romanis, in Etruriam palustri maxime itinere devenisse; mox paludibus egressum castra posuisse ad Fæsulas, ac deinde læva relictis post se Romanis qui prope Arretium constiterant, quod agri est Cortonam urbem inter et lacum Trasimenum occupasse. Illud igitur primum pro indubitato habemus, Pœnum ducem ab agris Fæsulanis profectum, per superiorem quam Arnus interfluit vallem, Arretium, et inde, secundum Clanis ripas, in Cortonensem agrum

properasse. Nunc autem qua via prope Fæsulas pervenerit, quibus emersus paludibus, qua parte Apennini superata, quærendum est.

Nos, ut de hac altera itineris parte aliquid certi denique haberemus, nihil satius esse judicavimus, quam Polybium, Livium, Nepotemque perlegere, atque ubi ille deficeret, horum adhibere testimonia. Quanquam multi Livium arguant nihil aliud quam Polybii sententias latino exprimere sermone, ideo quod plurima e Polybio sumit, ita ut verbum verbo sæpe reddidisse videatur, credibile est tamen non unum ei Polybium auctorem fuisse earum rerum quas memoravit, et scribenti alia præsto fuisse auxilia; quæ si defecissent, narrationem Polybii plurimis non ornavisset adjunctis, minime quidem aspernandis, quæque, quum cæteræ narrationi apprime conveniant, falsa nullo modo dici possunt.

Postquam Livius, lib. XXI, cap. 57, factam Placentiæ deditionem narravisset, easque fuisse hibernas Hannibalis expeditiones, addit illum, « ad prima ac dubia veris signa profectum, in Etruriam milites duxisse, eam quoque gentem, sicut Gallos Ligursque, aut vi, aut voluntate adjuncturum. » Legenda est tempestatis descriptio, quæ conantem Apenninos montes transire Hannibalem deterruit. Tanta vis mixti vento imbris; tanti strepentis cæli sonitus et micantium ignium fragores; tantum nivosæ grandinis decidit, adeoque miserabilis hominum jumentorumque strages, ut ipsarum Alpium fœditatem prope superaverit. « Biduum, inquit Livius, ipso illo, quo deprehensi fuerant, loco velut obsessi mansere; et post elephantos, qui prælio ad Trebiam facto superfuerant, ad unum absumptos, Hannibal retro degressus Apennino ad Placentiam rediit; et postero die, secundum pugnam ingentibus animis, vario eventu, cum hostibus commissam, in qua concursus acrior quam cædes et clades utriusque partis æquata fuit, Hannibal in Ligures, Sempronius Lucam concessit. »

Hæc deinde Livius de Apennini transitu, initio libri XXII: « Jam ver appetebat, quum Hannibal ex hibernis movit, et

« nequidquam ante conatus transcendere Apenninum (1) in-
« tolerandis frigoribus, et cum ingenti periculo moratus ac
« metu, etc.» Et infra, «quia jam Flaminium consulem Arre-
« tium pervenisse fama erat, quum aliud longius, cæterum
« commodius, ostenderetur iter, propiorem viam per palu-
« dem petit, qua fluvius Arnus per eos dies solito magis
« inundaverat».Tum quo agmen ordine ire jusserit Hannibal, iisdem fere ac Polybius verbis edocet, usque dum prope Fæsulas eum deduxerit. « Regio, inquit, erat in primis Italiæ « fertilis, Etrusci campi, qui Fæsulas inter Arretiumque ja-
« cent, frumenti ac pecoris et omnium copia rerum opulenti»; nempe superior Arni vallis : ac postquam exposuit, Polybio auctore, quam de consule opinionem Pœnus conceperit, sic pergit: « læva relicto hoste, *Fæsulas petens*, medio Etruriæ « agro prædatum profectus, quantam maximam vastitatem « potest, cædibus incendiisque, consuli procul ostendit». Deinde narrat, ut iratus se ex consilio proripuerit Flaminius, signumque simul itineris pugnæque proposuerit; moxque, cap. 4, « Hannibal, quod agri est inter Cortonam « urbem Trasimenumque lacum, omni clade belli pervastat, « quo magis iram hosti, ad vindicandas sociorum injurias « acuat». Cæterum nil a Polybio differt Livius.

Ea autem verba, *Fæsulas petens*, multam huicce quæstioni noctem offudere, hicque, aut Livium errasse, aut scribas qui nobis opera Livii tradiderunt, necesse est. Hannibalem sane constat, quem vidimus iis campis potitum, qui Fæsulas inter Arretiumque jacent, cædibusque et incendiis certantem ut consul relicto Arretio Cortonam demum flecteret, non averso itinere petiisse Fæsulas! Debuit igitur Livius, auctorem usque Polybium sequutus, nedum Fæsulas perduceret Hannibalem, Pœnos contra Fæsulis abducere. Forsan et ipse *Fæsulas linquens* scripserat, non *Fæsulas petens*. Quod si compertum haberemus, Livius jam Polybiusque in eo concordarent; neque aliter differunt, quam quod addidit Livius, paludes illas quas permeavit Pœnorum exercitus, easdem esse quas

(1) Vid. lib. XXI, 58, 59.

nunc totius Italiæ teterrimas videmus, circa fluvium Arnum, nec eas solum quas bifurca amnis aqua includit, aut quas ad septemtrionem, Liguriam versus, habet extrema Etruria, sed quæ totam Arni inferioris vallem complent, vix leucis aliquot ab urbe Fæsulis distantes.

Qua autem potissimum, quod superest, parte, Hannibal Apenninum transcenderit, e Cornelio Nepote discemus, qui in vita Hannibalis, cap. 4, « per Ligures, inquit, Apenninum transiit, petens Etruriam »: tum addit Hannibalem hoc in itinere fuisse altero captum oculo. Sed quid Livium Corneliumque sollicitamus, quum sola fax rationis, id ipsum, nullius auctoris ope, subjecisset. Quæ enim per Apenninum via eligenda fuit Hannibali, Placentia post Trebianam victoriam profecto, abhorrentique ab eo itinere, commodiore quidem, sed longo nimis nimiumque Romanis noto, quod Mutinam Bononiamque ducit? Sane, qui primus patuit per montes aditus, eum occupare debuit, circa Trebiæ Tarique fontes, inde ad caput Macræ descendere, uno verbo, iter ad Apuam sequi. Illic profecto in eas paludes incidit, quas dextra lævaque fluvius Arnus habet, illo tempore latiores multo quam nunc, neque aggeribus coercitas, e quibus, per vallem Arni superiorem, in melius firmiusque solum emersit, quod sub Fæsulis et circum Florentiam jacet, locatisque ubi primum in sicco potuit castris, quievit. Mox per vallem superioris Arni Etruriam interiorem petiit, dumque Arretium prætergrederetur, Flaminium lacessendum non omisit: quo ab læva relicto, Clanis vallem ingressus est, trans Cortonam ad Trasimeni lacus ripas tendens, qua ascendit ad Perugiam via, ibique exspectavit, donec se sponte sua consul profligandum præberet. Id iter Hannibalis fuisse ita ratio demonstrat, ita auctorum testimonia naturaque locorum postulant, ut aliud quodvis excogitari potuisse vix ac ne vix quidem credendum sit. Multi, seu quos illa verba *Fesulas petens*, quæ apud Livium emendanda notavimus, deceperunt, seu quos in errorem suum Strabo induxit, seu qui mutatos variis temporibus fines, quibus ab Etruria Liguria discriminatur, ignoraverunt, alias

prorsus flexisse iter Hannibalem, ac nobis descriptum est, contendunt.

Cluverius, Ital. ant. vol. I, pag. 580, illa verba, *Fæsulas petens*, in Livio damnat, quæ damnavimus, supplendumque *a Fæsulis profectus*, collatis Livio Polybioque, affirmat, quod et ipsi affirmavimus. Ecce autem statim a sententia nostra aversus, Hannibalem vult per viam Bononiensem petiisse *Fæsulas*, Nepotemque increpat, qui Pœnos duxerit per Ligures. Cluverio si fides adhibeatur, iter illud commodius, et longius, Romanisque nimis notum, id erit, quod per Ariminum atque Umbriam munitum erat; quasi Bononiæ via minus esset nota, neque omnis esset montana, nedum his altis rupta paludibus, quas ipse, nullo præter se ipsum auctore, Florentiæ circumjecit. Quæ si paludes exstitissent, Hannibali eam viam sequuto, non antequam Fæsulas perveniret, sed hoc ultra oppidum obfuissent, brevique temporis spatio fuissent superatæ.

Eadem opponenda sunt doctiss. viris *Cini*, *Villani* et *Scala* qui Hannibalem *Pratum*, *Pistoriamque* transiisse volunt, montesque Apenninos supra *Mutinam*, esse ingressum; tum *Lucæ Holstenio*, qui eum per *forum Livii* venientem a montibus, in Etruriam descendisse putat, et Italo *Guazzesi* apud quem Pœni eamdem hanc invadunt regionem, per Casentinum agrum et fines Balnei. Equidem fateor, si hac via immissos Etruriæ Pœnos credamus, nihil esse in Livio emendandum, Hannibalemque potuisse læva *relicto hoste Fæsulas petere:* quum autem validissimis argumentis demonstratum sit verbum *petens*, qualecumque fuerit Hannibalis iter, penitus esse eradendum, jam errrare arguemus omnes, qui ita Pœnorum viam descripserint, ut illud verbum deleri necesse non sit: immo nullæ in illa regione, utpote montibus maxime aspera, obfuissent paludes, quæ videlicet ex inundantis Arni stagnantibus aquis concrevissent. Immo qui eam defendunt sententiam, et qui circa Pistoriam superatos Apenninos arbitrantur, exiguam habere videntur rei militaris rationem. Hannibal enim non modo iter multum produxisset suum, atque difficillimos tractus regionum transeundos

habuisset, sed Servilio forsan latus aut tergum præbuisset, qui *Arimini* stativa habebat, et quem, quominus Pœnos paucis diebus assequeretur, nihil admodum prohibebat.

Ii autem auctores, idcirco sane erraverunt, quod, quum diceretur Hannibal permeasse paludes, dum festinaret in Etruriam, eas paludes extra Etruriam sitas esse debere ex eo collegerunt, neque in ea provincia circa fluvium Arnum, sed in Gallia Cisalpina secus Padum, esse quærendas.

Quæ quidem videtur Strabonis fuisse sententia, qui Geogr. lib. V, 219, ait fuisse olim prope Placentiam, juxta Padum, paludes in quibus plurimum Hannibal laboravit, petens Etruriam.

Vir doctus nobis jam supra memoratus *Guazzesi*, huic opinioni ita tenax adhæsit, ut *Arni* loco *Padum* aut *Eridanum* supplere voluerit, aut etiam verbum illud omnino delere, licet in omnibus codicibus, quos aut per se, aut per alios cognoverat, repertum esset. (Vid. *Mémoires de l'Acad. de Cortone*, *VI*, *p.* 29 *et* 30.)

Ex Polybio autem ipso patet, Etruriam, quo tempore scribebat, fluvio Arno a Liguria discriminatam fuisse: nempe huicce regioni, occiduum solem versus, Pisas, quæ prima urbs est Etruriæ, Arretiumque agrum fines fuisse. Ligurum autem, Luccam tumque et diu fuisse postea ex his constat Frontini verbis: « Domitius Calvinus obsidebat Lucam oppidum Ligurum. » (Lib. III, cap. 2.) Cæsaris autem in provincia sitam Lucam dicit Suetonius (cap. 24), quia Liguriam provinciam, nedum Etruriam, Cæsar habebat.

Quod si deinceps Strabo Pliniusque amni Macra Etruriam a Liguria divisam dixerunt, id sane causæ habuerunt, quod eas limites Augustus, dum Italiam partiretur, mutaverat. Quas limitum varias mutationes doctissime illustravit Cluverius.

Ex his omnibus sequitur, Hannibalem, quamdiu dexteram Arni ripam sequutus est, in Etruria non esse versatum: Etruriam petebat, in quam per eos campos penetravit, qui inter fluvium et Arretium jacent; neque fluvium ullo modo trajecit, aut tunc primum trajecit, quum Fæsulas linqueret.

Qui fit, aiunt, ut linquentem Fæsulas, prætergredientemque Arretii mœnia, Flaminius Cortonam petere Pœnum illacessitum passus sit? Qui fit autem, rejiciamus nos, ut postea allicienti se Hannibali quasi obsequutus sit, seque in eum locum quem Hannibal destinaverat pugnæ, quasi in insidias immiserit? Utriusque causa hæc una est, quod Flaminius omnino belli rudis erat.

Veniamus nunc ad opinionem omnium minime probandam, quæque et rationi, et locis veterum auctorum citatis, sive mendosis, sive emendatis repugnat: quam *Panleolinus* et *Dinus* primi proposuerunt, postea renovavit illustrissimus eques *Folard*, celeberrimusque Parisiensis Academiæ Rector *Rollin* sibi quoque assumpsit: nempe paludes non in ea regione, quæ utrum Liguriæ sit an Etruriæ ambigitur, sed in intima Etruriæ, quantulacumque sit, parte, non circa Florentiam, sed circa Clusium, non secus Arnum, sed secus Clanem amnem, esse sitas.

Qui potuit Hannibal cum exercitu inter Ariminum et Arretium ita instituere iter, ut consulem utrumque vitaret? tum superato Apennino statim Clusium pervenire? at Umbria, non Liguria erat peragranda: trajiciendus etiam superior Tiberis, unde facile Roma peteretur. At Clusium venerit, volo; quin, quum longe abesset Flaminius, recta Perusiam atque inde Romam tendebat, nedum peteret Fæsulas prætergrediens Arretium, cujus sub mœnibus iterum incedendum foret, quum Fæsulas linquens, Perusiam lacumque petiturus esset? Quomodo autem in Etruriam festinans paludes Clusias trajecisset, quum eæ in medio Etruriæ sint sitæ? Ea tamen omnia, doctissimus Polybii interpres *Folard*, propterea quod prius in errorem inciderat, proposuit.

Opinioni tamen meæ quædam objiciuntur, primum hoc: qui fieri potuit, ut Hannibal, quum a Macra ad Arnum veniret, mari propior factus non sit, neque navem mittere prius potuerit Carthaginem, quam, devictis ad lacum Romanis, Hadriam obtinuerit. (Vid. Polyb. l. III, cap. 88.)

Mihi videtur Hannibal, quum assequi Flaminium properaret, nullumque adhuc eventum haberet dignum, qui se-

natui Carthaginis et civibus renuntiaretur, viam celeriter emensus, non curavisse, ut portum haberet, in quo navem posset ornare. Via quæ nunc a Macra ducit ad Arnum paulum a mari distat, paludesque etiam intersunt: forsitan Hannibalis temporibus et latius spatium fuit, et paludes difficiliores.

Alterum hoc objicitur, quod Hannibali eam viam ingresso, Luca et Pisa fuerunt sane expugnandæ : quas quomodo invaserit, vel quomodo evitarit, non perhibent auctores. At in quolibet alio itinere aliæ aderunt urbes forsan non minores. Non mirum est de iis siluisse historicos, si præsertim nullus fuit in iis expugnandis labor. Potuit Sempronius, quem scimus a consule revocatum, deserere Lucam; Hannibalque quum adverso Arno ire vellet, Pisas expugnandas non censuisse, qua forsan in urbe romanum non erat præsidium.

FINIS EXCURSUS DE TRANSITU APENNINI.

TABULA

RERUM QUÆ IN HOC OCTAVO VOLUMINE CONTINENTUR.

Liber quadragesimus secundus : breviarium. Pag. 1
Liber quadragesimus tertius : breviarium 121
Liber quadragesimus quartus : breviarium 167
Liber quadragesimus quintus : breviarium 261
T. Livii Patavini fragmenta Drakenborchii studio collecta et nunc passim aucta 365
Epitomæ librorum Livii 383
Epitome libri I 385
Epitome libri II 388
Epitome libri III 390
Epitome libri IV 392
Epitome libri V 393
Epitome libri VI 395
Epitome libri VII 396
Epitome libri VIII 397
Epitome libri IX 399
Epitome libri X 400
Epitome libri XI 401
Epitome libri XII 402
Epitome libri XIII 403
Epitome libri XIV 404

Epitome libri XV 405
Epitome libri XVI ..... *Ib.*
Epitome libri XVII 406
Epitome libri XVIIII 407
Epitome libri XIX 408
Epitome libri XX 410
Epitome libri XXI 411
Epitome libri XXII 412
Epitome libri XXIII 414
Epitome libri XXIV 415
Epitome libri XXV 416
Epitome libri XXVI 417
Epitome libri XXVII 418
Epitome libri XXVIII 419
Epitome libri XXIX 421
Epitome libri XXX 423
Epitome libri XXXI 424
Epitome libri XXXII 425
Epitome libri XXXIII 426
Epitome libri XXXIV 427
Epitome libri XXXV 428
Epitome libri XXXVI 429
Epitome libri XXXVII 430
Epitome libri XXXVIII ..... *Ib.*
Epitome libri XXXIX 432
Epitome libri XL 433
Epitome libri XLI 434
Epitome libri XLII 436
Epitome libri XLIII 437
Epitome libri XLIV 438

Epitome libri XLV 439
Epitome libri XLVI 440
Epitome libri XLVII 442
Epitome libri XLVIII 444
Epitome libri XLIX 447
Epitome libri L 453
Epitome libri LI 456
Epitome libri LII 457
Epitome libri LIII 460
Epitome libri LIV ..... *Ib.*
Epitome libri LV 462
Epitome libri LVI 464
Epitome libri LVII 466
Epitome libri LVIII 467
Epitome libri LIX 470
Epitome libri LX 473
Epitome libri LXI 475
Epitome libri LXII 476
Epitome libri LXIII 477
Epitome libri LXIV 478
Epitome libri LXV 479
Epitome libri LXVI 480
Epitome libri LXVII ..... *Ib.*
Epitome libri LXVIII 482
Epitome libri LXIX 484
Epitome libri LXX 486
Epitome libri LXXI 488
Epitome libri LXXII ..... *Ib.*
Epitome libri LXXIII 489
Epitome libri LXXIV 490

Epitome libri LXXV 491
Epitome libri LXXVI 492
Epitome libri LXXVII 493
Epitome libri LXXVIII 495
Epitome libri LXXIX ..... *Ib.*
Epitome libri LXXX 497
Epitome libri LXXXI 498
Epitome libri LXXXII 499
Epitome libri LXXXIII ..... *Ib.*
Epitome libri LXXXIV 501
Epitome libri LXXXV 502
Epitome libri LXXXVI ..... *Ib.*
Epitome libri LXXXVII 504
Epitome libri LXXXVIII ..... *Ib.*
Epitome libri LXXXIX 506
Epitome libri XC 508
Epitome libri XCI 509
Epitome libri XCII 510
Epitome libri XCIII 511
Epitome libri XCIV 512
Epitome libri XCV ..... *Ib.*
Epitome libri XCVI 513
Epitome libri XCVII 514
Epitome libri XCVIII 516
Epitome libri XCIX 518
Epitome libri C 519
Epitome libri CI ..... *Ib.*
Epitome libri CII 520
Epitome libri CIII 521
Epitome libri CIV 523

Epitome libri CV 525
Epitome libri CVI 526
Epitome libri CVII 527
Epitome libri CVIII 528
Epitome libri CIX 529
Epitome libri CX 530
Epitome libri CXI 531
Epitome libri CXII 532
Epitome libri CXIII 533
Epitome libri CXIV 535
Epitome libri CXV 536
Epitome libri CXVI 537
Epitome libri CXVII 538
Epitome libri CXVIII 540
Epitome libri CXIX ..... *Ib.*
Epitome libri CXX 542
Epitome libri CXXI 543
Epitome libri CXXII 544
Epitome libri CXXIII ..... *Ib.*
Epitome libri CXXIV 545
Epitome libri CXXV 546
Epitome libri CXXVI ..... *Ib.*
Epitome libri CXXVII 547
Epitome libri CXXVIII 548
Epitome libri CXXIX 549
Epitome libri CXXX 550
Epitome libri CXXXI ..... *Ib.*
Epitome libri CXXXII 551
Epitome libri CXXXIII 552
Epitome libri CXXXIV ..... *Ib.*